895-10



<36610196220013

<36610196220013

Bayer. Staatsbibliothek

Hom 895-10

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE SACRAMENTIS, BAPTISMI, CONFIRMATIONIS ET EUCHARISTIÆ,

QUAS

CUM IN ALMA ET ARCHIEPISCOPALI UNIVERSITATE SALISBURGENSI, TUM IN INCLYTO STUDIO EXEMTÆ CONGREGATIONIS BENEDICTINO - BAVARICÆ

AUDITORIBUS SUIS

EXPOSUIT

P. HERMANNUS SCHOLLINER,
BENEDICTINUS OBERALTACENSIS,
SS. Theol. Doctor & Dogmatico - Speculativæ in eadem Universitate Professor Publ. Ord. Celsissimi & Reverendissimi Archiepiscopi & S. R. I. Principis Salisburg. &c. &c. Consiliarius Ecclesiasticus.

TOMUS X.

SUPERIORUM PERMISSU & APPROBATIONE.

AUGUSTÆ VINDEL. & OENIPONTI,
SUMPTIBUS JOSEPHI WOLFF.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Approbatio Censoris.

Tractatus hic Theologicus *de Sacramentis Baptismi, Confirmationis & Eucharistiæ*, non solum nec fidei, nec bonis moribus repugnat, sed varias difficultates perspicua claritate, doctrinæque soliditate accurate pertractat, publico conspectu, usu & plausu dignus. Augustæ Vindel. die 21, Novemb. 1765.

Henricus Sigismundus de Fercher,
SS. Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Cathedralis Augustanæ Canonicus Capitularis, Serenissimi Elect. Palatini, ac Rev. & Ser. Principis & Episc. Augustani, Landgravii Hassiæ &c. Consiliarius Ecclesiasticus & Vicarius in Spiritualibus Generalis, Decanus Capituli Monheimensis & Parochus Civitatis Wembdinganæ.

Franciscus Josephus de Herz,
SS. Theol. Lic. Rev. & Sereniss. Princ. & Episc. August. Consil. Eccl. Maj. Pœnit. & Libr. Cens. nec non Insign. Eccles. Colleg. ad S. Maur. Canon. & Paroch.

Approbatio
Sacræ Facultatis Theologicæ.

Hisce *Prælectionibus Theologicis de Baptiſmo, Confirmatione & Euchariſtia*, operi quidem ſuo coronidem, ſuo autem Nomini immarceſcibilem meritorum coronam impoſuit Author clariſſimus; quas proinde, cum non tantum genuinam Catholicæ Fidei, morumque Doctrinam contineant, verum etiam ampliſſimam Eruditionem ſpirent, digniſſimas cenſeo, ut in publicum prodeuntes, coronam legitime pro Religione certantibus præparatam accipiant.

Dabam Salisburgi die 3. *Februar.* 1769.

P. RUPERTUS GUTRATH,
Benedictinus San-Petrens. SS. Theol. Doctor, Ejusdemque in Scripturiſtico-Dogmaticis & Polemicis Prof. Ordinarius, Celſiſſ. ac Reverendiſſ. Archiep. & S. R. I. Principis Salisb. Conſiliar. Eccleſiaſt. Almæ Univerſitatis Procancellarius & Vice-Rector.

CON-

CONSPECTUS.

Numerus designat paginam.

De Sacramento Baptiſmi.

CAPUT I.

De Natura, Exiſtentia, & Diverſitate Baptiſmi.

§. I.

De Exiſtentia & Inſtitutione Baptiſmi.

Varii Hæreticorum Errores. 3
Reſolutio. Baptiſmus Chriſti ante Paſſionem, & probabilius inſtitutus fuit, poſtquam Chriſtus Baptiſmum a Joanne ſuſcepit. 5

§. II.

De Baptiſmo Joannis, ejusque a Baptiſmo Chriſti Diverſitate.

Resolutio I. Baptismus Joannis, divino Instinctu institutus, & excellentior fuit mosaicis Mersionibus. 13
Resolutio II. Multiplex fuit Differentia inter Baptismum Joannis, & Christi. 14
Resolutio III. Differentia præcipua, inter utrumque Baptismum, hæc erat; quod Baptismus noster conferat Gratiam ex opere operato: non autem ille Joannis. 15

CAPUT II.

De Materia Baptismi.

§. I.

De Materia remota Baptismi.

Recensentur varii Errores. 21
Resolutio. Sola Aqua *naturalis*, est Materia valida Baptismi. 22

§. II.

De Materia proxima Baptismi.

Modus Ablutionis olim diversus, per Immersionem, Aspersionem & Affusionem. 24
Resolutio I. Valet Baptismus, sive per Immersionem, eamque unam, vel trinam, sive per Affusionem, sive per Aspersionem, collatus. 29
Resolutio II. Trina Mersio olim necessaria erat Necessitate *Præcepti* ecclesiastici, non autem Necessitate *Medii*, aut Præcepti divini. 32

CA-

CAPUT III.

De Forma Baptiſmi.

§. I.

De diverſis Hæreticorum; item Græcorum baptizandi Formulis.

Præmittitur Hiſtoria Errorum. 36

§. II.

An ad Baptiſmi Valorem requiratur expreſſa SS. Trinitatis Invocatio?

Reſolutio. Nunquam valuit Baptiſmus, ſine expreſſa trium Perſonarum SS. Trinitatis Invocatione collatus. 42

CAPUT IV.

De Miniſtro Baptiſmi.

§. I.

De Miniſtro Baptiſmi ſolennis.

Reſolutio. Miniſter *ordinarius*, & *præcipuus* Baptiſmi, in prima Eccleſia erat *ſolus* Epiſcopus: Presbyteri erant quidem aliquando ordinarii, ſed ab Epiſcopo dependentes: Diaconi ex conceſſione Epiſcopi, Miniſtri erant extraordinarii. 55

Resolutio II. Clerici inferiores, & Laici, nunquam erant Ministri, ne quidem *extraordinarii*, Baptismi *solennis.* 59

§. II.

De Ministro Baptismi Necessitatis.

Resolutio I. Baptismus in Necessitate, valide & licite a Laico confertur. 60
Resolutio II. Valet quoque Baptismus, in Necessitatis Casu a Muliere collatus. 63

§. III.

De Valore Baptismi, ab Hæretico, Schismatico, vel Infideli collati.

Recensentur Errores. 67
Resolutio. Valet Baptismus ab Hæretico &c. sub debitis Conditionibus collatus. 69

§. IV.

An ab Hæresi, & gravi crimine excusari valeant Patres rebaptizantes?

Resolutio I. Patres rebaptizantes ab Hæresi multis Rationibus excusantur. 76
Resolutio II. Plura sunt, quæ Patres rebaptizantes, præcise quod opinionem S. Stephano I. R. P. contrariam propugnaverint, a graviore culpa excusare valent. 81
Resolutio III. Si Modus spectetur, quo S. Cyprianus, & Firmilianus, aliique Africani,

cani, aut Asiatici, Errorem suum defenderunt, a Peccato vix excusari possunt. 85
Resolutio IV. Certo non constat, an S. Cyprianus, Africani, & Asiatici Præsules, Errorem suum ante obitum deposuerint. 86

CAPUT V.

De Subjecto Baptismi.

Enarrantur quorumdam Errores. 91

§. I.

De Valore Pœdo-Baptismi.

Resolutio. Parvuli ante Usum Rationis valide & licite baptizantur. 93

§. II.

De Baptismo Parvulorum in utero Matrum.

Resolutio. Parvulus in utero Matris existens, dum Aqua corpus illius attingere potest, saltem sub conditione baptizandus est. 101

§. III.

An extra Necessitatis Casum licite baptizentur Proles Infidelium, absque eorum consensu?

Resolutio. Est Sententia, Romæ sæpius decisa, & a Benedicto XIV. R. P. confirmata, ejusmodi Baptismum esse illicitum. 107

§. IV.

De Baptiſmo Adultorum.

Hiſtorica Narratio de antiquis Baptiſmi Ritibus, & Diſpoſitionibus. 111

CAPUT VI.

De Neceſſitate Baptiſmi.

§. I.

An Baptiſmus ſit omnibus neceſſarius.

Reſolutio. Baptiſmus omnibus omnino Hominibus, etiam Fidelium Liberis neceſſitate Medii, Adultis inſuper neceſſitate Præcepti divini neceſſarius eſt. 117

§. II.

De Baptiſmo Sanguinis, & Flaminis.

Reſolutio I. Martyrium tam in Parvulis, quam Adultis, ſupplet Defectum Baptiſmi Aquæ, ſeu, operatur remiſſionem Peccatorum, originalis & actualium, tam quoad Culpam, quam quoad Pœnam, idque ex opere operato. 126

Reſolutio II. Etiam Baptiſmus Flaminis, deficiente Baptiſmo Fluminis, aut Sanguinis, eundem Effectum, ſed non eodem Modo, operatur. 136

§. III.

§. III.

An Fides, aut Votum Parentis pro Parvulo Defectum Baptismi Fluminis, aut Sanguinis suppleat?

Resolutio. Negativa. 140

CAPUT VII.

De Effectu Baptismi.

§. I.

De erroneis Baptismi effectibus.

Resolutio. Falsum est, Baptismo irritari omnia Vota. 154

§. II.

De veris Baptismi Effectibus, & Baptizatorum Obligationibus.

Recensentur Baptismi Effectus, & Obligationes. 159

De

Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

De Existentia, & Institutione Confirmationis.

§. I.

§. I.

An Confirmatio ſit verum novæ Legis Sacramentum?

Reſolutio affirmativa. 165

§. II.

An hoc Sacramentum immediate a Chriſto, & quo Tempore fuerit inſtitutum?

Reſolutio. Hoc Sacramentum a Chriſto immediate, & probabiliter poſt Reſurrectionem inſtitutum fuit. 171

CAPUT II.

De Materia, & Forma Confirmationis.

§. I.

De Materia Confirmationis.

Reſolutio I. Impoſitio Manus Epiſcopi, quæ Unctioni conjungitur, non illa prævia Extenſio, eſt eſſentialis Materia Confirmationis. 177

Reſolutio II. Etiam Unctio cum Chryſmate, eſt eſſentialis Materia Confirmationis. 184

§. II.

De Materia Chryſmatis.

Re-

Resolutio I. Ordinarie, ex Præcepto Ecclesiæ, seu, Traditione apostolico-humana, admixtio Balsami requiritur. 189
Resolutio II. Balsami mixtio non est de Necessitate Sacramenti, illudque suppleri potest per alias species fragrantes. 190

§. III.

An Episcopalis Benedictio Chrismatis ad Sacramenti Valorem requiratur?

Resolutio I. Benedictio Chrismatis ad Episcopum, tanquam Ministrum ordinarium, Jure divino pertinet. 195
Resolutio II. Facultas, benedicendi Chrisma, Presbytero simplici, velut Ministro extraordinario, *saltem a Pontifice Romano delegari potest.* 201
Resolutio III. Ut Chrisma sive ab Episcopo, sive a Presbytero sit benedictum, ad Sacramenti Valorem haud requiritur, præscindendo ab Authoritate S. Thomæ. 205

§. IV.

De Forma Confirmationis apud Latinos & Græcos.

Resolutio. I. Oratio deprecatoria, & invocatoria Spiritus Sancti, saltem hodie, non est essentialis Forma hujus Sacramenti. 210
Resolutio II. Forma essentialis Confirmationis apud Latinos, saltem hodie, in his con-

sistit

ſiſtit Verbis: *ſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate Salutis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Licet hæc Forma quibusdam Mutationibus accidentalibus fuerit obnoxia. 215

Reſolutio III. Forma Græcorum hæc eſt: *ſignaculum Doni Spiritus S.* 218

CAPUT III.

De Miniſtro Confirmationis.

§. I.

De Miniſtro ordinario Confirmationis.

Reſolutio. Miniſter ordinarius hujus Sacramenti Jure divino eſt ſolus Epiſcopus. 222

§. II.

De Miniſtro extraordinario Confirmationis.

Reſolutio. Simplex Presbyter de Romani Pontificis, non autem alterius Epiſcopi, Licentia extraordinarius eſt Miniſter Confirmationis. 226

CAPUT IV.

De Subjecto, Neceſſitate, & Effectu Confirmationis.

§. I.

§. I.

De Subjecto hujus Sacramenti, & Dispositionibus ad illud requisitis.

Resolutio I. Subjectum hujus Sacramenti, valide recipiendi, est solus baptizatus. 240

Resolutio II. Non modo permissum, sed & consultum est, ut Parvulis, aliisve de vita periclitantibus, Confirmatio administretur. 241

Resolutio III. Ad hoc Sacramentum, ab Adultis suscipiendum, præter Statum Gratiæ, qui certe necessarius est, olim requirebatur Doctrina, Oratio & Jejunium. 244

§. II.

De Necessitate hujus Sacramenti.

Resolutio. Confirmatio non est necessaria necessitate Medii, sed Præcepti ecclesiastici, & in quibusdam Circumstantiis, etiam divini. 247

§. III.

De Effectu Confirmationis.

Resolutio. Duplex est Sacramenti Confirmationis Effectus. I. Spirituale Robur ad profitendam Fidem: II. Perfectio Christiana: Neuter Unctione verticali in Baptismo suppletur. 253

De

De Sacramento Euchariſtiæ.

CAPUT I.

De Exiſtentia, & Inſtitutione Euchariſtiæ.

§. I.

An Euchariſtia ſit Sacramentum, & in quo Ratio hujus Sacramenti conſiſtat?

Reſolutio I. Euchariſtia eſt verum novæ Legis Sacramentum. 264
Reſolutio II. Euchariſtia eſt Sacramentum, non ſolum in ſui Uſu, ſed permanens. 265
Reſolutio III. Rationem Sacramenti non conſtituit 1) Conſecratio, nec 2) Sumtio: nec 3) utraque ſimul: nec 4) Corpus & Sanguis Chriſti, per ſe, & ratione ſui; ſed 6) Sacramentum Euchariſtiæ eſt totum illud quaſi aggregatum e Corpore & Sanguine Chriſti ſub ſpeciebus Panis & Vini poſito. 268

§. II.

De Inſtitutione Euchariſtiæ.

Reſolutio I. Paſcha Judaicum ex Præcepto Legis immolandum erat Menſe Niſan, hoc eſt, Martio, qui erat Initium Anni ſacri, Luna XIV. exeunte, ſeu in Veſpera II. Diei

Diei XIVtæ, quæ erat Initium Diei XVtæ tanquam primæ Azymorum. 274
Resolutio II. Tempore Christi nondum erat in Usu duplex Neomenia, hoc est, Novilunium, nec duplex Calendarium astronomicum, quorum alterum Judæi Hierosolymitani, alterum Galilæi, observaverint. 277
Resolutio III. Christus legale Pascha cum Discipulis suis manducavit pridie quam pateretur, Luna XIVta exeunte. 279
Resolutio IV. Christus Pascha non anticipavit, sed eodem cum reliquis Judæis Die celebravit. 281
Resolutio V. Nullus Judæorum Anno Passionis Christi *Pascha* in Diem sequentem distulit, *sed omnes* juxta Præscriptum Legis *Luna* XIVta illud celebrarunt. 282

CAPUT II.

De Essentia Eucharistiæ.

§. I.

De reali Præsentia Christi in hoc Sacramento.

Referuntur varii Errores. 292
Resolutio. Christus vere, realiter ac substantialiter præsens est in Eucharistiæ Sacramento. 294
Pro innumeris dissolvendis objectionibus statuuntur quædam Regulæ. 304

§. II.

De Modo realis Præsentiæ Christi in Eucharistia.

Præmittuntur variæ Hypotheses. 309
Resolutio I. Corpus Christi non est præsens in Eucharistia per Inpanationem. 312
Resolutio II. Corpus Christi non est præsens per Consubstantiationem, Ubiquitatem, seu, Omnipræsentiam. 313
Resolutio III. Christus est præsens in Eucharistia per Transsubstantiationem. 315

CAPUT III.

De Materia, e qua fit Eucharistia.

§. I.

De Pane consecrando.

Resolutio I. Remota Eucharistiæ Materia est Panis triticeus, vel æquivalens. 321
Resolutio II. Valori non obest, sive Panis sit azymus, sive fermentatus: quælibet tamen Ecclesia Ritum suum observare tenetur. 325
Resolutio III. Ecclesia Latina a sui Exordio usque modo in azymo consecravit; quamvis Fermentum forte non ubique, nec semper fuerit exclusum. 326

§. II.

De Materia Consecrationis Calicis.

Re-

Resolutio I. Vino consecrando miscenda est Aqua. 337
Resolutio II. Admixtio Aquæ non est de Necessitate Sacramenti, nec Præcepti divini, sed ecclesiastici. 339
Resolutio III. Aqua per Consecrationem non convertitur in illam Aquam, quæ e Latere Christi in Cruce persosso profluxit. 342

CAPUT IV.

De Forma Eucharistiæ.

§. I.

De Forma Consecrationis a Christo adhibita.

Resolutio. Christus Verbis Evangelicis: *hoc est Corpus meum* &c. consecravit: quamvis id de Fide non sit. 349

§. II.

Quibus verbis nunc facienda sit Consecratio?

Referuntur Errores & Opiniones. 354
Resolutio I. Eucharistia consecratur Verbis Evangelicis, non autem aliis Precibus, antecedentibus, vel subsequentibus. 356
Resolutio II. Ad Valorem Consecrationis Panis, sufficiunt, & requiruntur hæc Verba:

hoc est Corpus meum. Ad Confecrationem Vini: *hic est Sanguis meus.*

§. III.

Quomodo Verba Consecrationis a Sacerdote proferantur?

Resolutio. Verba Formæ non modo *historice*, sed etiam assertive, & authoritative proferuntur. 370

CAPUT V.

De Proprietatibus Eucharistiæ.

§. I.

De Adoratione Eucharistiæ debita.

Resolutio. Christus sub speciebus existens, adorandus est. 380

§. II.

De Necessitate Eucharistiæ.

Resolutio I. Eucharistia non est necessaria Necessitate Medii. 382

Resolutio II. Eucharistiæ sumptio Adultis necessaria est vi Præcepti divini. 386

§. III.

De Communione sub utraque Specie.

Re-

Resolutio I. Utriusque speciei sumtio nec Necessitate Sacramenti, nec Præcepti divini, Adultis necessaria est. 389
Resolutio II. Ecclesia Usum Calicis Laicis, aliisque non sacrificantibus, optimo Jure interdicere potuit. 395
Resolutio III. Eucharistia sub duplici specie percepta, non confert plus Gratiæ, saltem *ex operato.* 396

CAPUT VI.

De Ministro, & Subjecto Eucharistiæ.

§. I.

De Ministro Eucharistiæ conficiendæ.

Præmittuntur Errores. 402
Resolutio. Soli Sacerdotes, legitime ordinati, Ministri sunt Eucharistiæ consecrandæ. 403

§. II.

De Ministro Eucharistiæ dispensandæ.

Resolutio I. Episcopi & Presbyteri, Jure divino sunt Ministri Eucharistiæ dispensandæ. 410
Resolutio II. Diaconi ex sua Institutione erant Ministri Eucharistiæ dispensandæ. 411
Resolutio III. Clerici minores & Laici, nunquam in Ecclesia publice dispensarunt, pri-

vatim autem ex Conceſſione Eccleſiæ tam ſibi, quam aliis, Euchariſtiam miniſtrarunt. 412

Reſolutio IV. Laici in Occidente, etiam in Caſu Neceſſitatis, hodie non permittuntur Euchariſtiam miniſtrare, niſi ex Diſpenſatione Summi Pontificis. 414

§. III.

De Subjecto Euchariſtiæ.

Reſolutio I Infantibus olim in utraque Eccleſia Euchariſtia diſpenſabatur, quæ jam a Sæc. XII. in Occidente denegatur, in Oriente autem adhuc hodie iisdem conceditur. 415

Reſolutio II. Energumenis Euchariſtia olim in plerisque Eccleſiis non dabatur, niſi in Articulo Mortis. Hodie iisdem conceditur, quando ſibi præſentes, & debite diſpoſiti inveniuntur. 416

Reſolutio III. Amentibus olim in Articnlo Mortis, ubi absque Irreverentiæ Periculo fieri poterat, Euchariſtia fuit conceſſa: Hodie non niſi illis conceditur, qui lucida habent Intervalla, & quasdam Rationis ſcintillas. 417

Reſolutio IV. Circa Damnatos ad ultimum Supplicium varia eſt Eccleſiarum Diſciplina. 418

Reſolutio V. Mortuis Euchariſtiam dare non licet. 418

CA-

CAPUT VII.

De Effectu & Dispositionibus, ad Eucharistiam digne recipiendam requisitis.

§. I.

De Effectibus hujus Sacramenti.

Resolutio I. Nec *unicus*, nec *primarius* Eucharistiæ Effectus est, Remissio Peccatorum gravium. 421

Sententia affirmans, Eucharistiam *per accidens*, & *indirecte*, Peccatum mortale remittere, recensetur, unacum AA. Responsis. 422

Sententia negans pariter adducitur cum suis Argumentis & Solutionibus. 426

Resolutio II. Eucharistiæ proprii Effectus recensentur & probantur. 430

§. II.

De Dispositionibus ad licitam, & utilem Eucharistiæ perceptionem requisitis.

Resolutio I. Ad *licitam*, & *utilem* hujus Sacramenti sumtionem necessarius est Status Gratiæ, tanquam spiritualis Vita Animæ. 435

Resolutio II. Ad *utilem* Eucharistiæ susceptionem requiritur Immunitas ab Affectu ad Peccata venialia. 436

Reſolutio III. Ad *utilem* ſumptionem adhuc requiritur *actualis*, vel ſaltem *virtualis* Devotio &c. 437

Reſolutio IV. Ex Parte Corporis requiritur Jejunium naturale, de Præcepto Eccleſiæ, & Puritas Corporis. 441

CAPUT VIII.

De Euchariſtia ut Sacrificio.

§. I.

An Euchariſtia ſit verum novæ Legis Sacrificium?

Reſolutio affirmativa. 445

§. II.

De eſſentiali Ratione Sacrificii.

Reſolutio. Eſſentia Sacrificii Miſſæ non conſiſtit 1. in Oblatione: nec 2. in Fractione Hoſtiæ: nec 3. in Diſtributione: nec 4. in Sumtione; ſed 5. in ſola Conſecratione Panis & Vini: quamvis ſumptio ad Integritatem Sacrificii pertineat.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

BAPTISMUS ab origine Vocabuli græci idem ſonat, ac *Immerſio*, ſeu, *ablutio*. Per Immerſionem enim olim communiter conferri ſolebat, ad repræſentandam ſepulturam CHRISTI, ut dicit PAULUS Rom. VI. 4. *Conſepulti ſumus per Baptiſmum in mortem.* Dicebatur quoque a Patribus ſæpe *Illuminatio*, ut a JUSTINO, & CLEMENTE Alexandrino. Hinc PAULUS Hebr. VI. 4. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, iterum renovari ad pœnitentiam*, videlicet per alterum Baptiſmum. CYRILLUS Jeroſolym. proxime baptizandos, ſeu, *electos*, & pro

Baptiſmo *competentes*, vocat *illuminandos*, quandoque etiam per anticipationem, *illuminatos*. 2. Dicebatur quoque *Initiatio*, *Inſtitutio*. Hinc frequens illud antiquorum Patrum. ex *diſciplina arcani* obſcure loquentium: *Norunt initiati, quod dicitur*. 3. *Indulgentia*, ſive, *Remiſſio*. Ita Concilium CARTHAGINENSE ſub CYPRIANO, & ROMANUM Can. VII. apud COTELERIUM Not. in Conſt. Apoſtol. L. 3. C. IX. 4. *Regeneratio*. 5. *Chriſma*, ſive *unctio*, uti GREGORIUS Nazianz. Orat. 40. de Baptiſ. „ Donum vocamus, gratiam, Baptiſmum, „ Unctionem, illuminationem, incorruptionis documentum, regenerationis lavacrum, ſigillum, ac denique excellentiſſimo quovis Nomine appellamus. „ 6. Vocabatur *Salus*, nempe ab Effectu. 7. Paſſim nominabatur *Myſterium*, *Signaculum*, *Character dominicus*. 8. *Sacramentum* Fidei, & Pœnitentiæ, de quibus cum tempore legi poterit BINGHAM origin. Eccleſiaſt. Vol. IV. p. m. 138. De hoc igitur Sacramento per aliquot Capita inquiram, I. ejus naturam & exiſtentiam. II. Materiam. III. Formam. IV. Miniſtrum. V. Subjectum. VI. Neceſſitatem. VII. Effectus Baptiſmi.

CAPUT I.

De Natura, Exiſtentia, & Diverſitate Baptiſmi.

§. I.

De Exiſtentia & Inſtitutione Baptiſmi.

Hæretici varie de Baptiſmo ſentiunt. Quidam illum Sacramentum eſſe omnino negarunt. I. Ascodrutæ, qui genus quoddam erant Gnoſticorum, Religionem omnem in cognitione ponebant, nec ulla externa cultus externi Symbola admittebant. Dicebant enim, teſte Theodoreto hæret. Fabul. I. 10. „ Non debere „ divina Myſteria, quæ ſunt Signa inviſibilia, per res viſibiles perfici &c. propterea nec baptizabant eos, qui accedebant, nec apud eos celebrabatur baptiſmatis Myſterium; Redemptionem „ enim appellabant univerſorum cognitionem. „ De Marcosianis, & Valentinianis eadem refert Irenæus L. I. cap. 18. & Epiphanius. Ejusdem Erroris Quintillam fœminam, quæ etiam Jus docendi ſibi arrogaverat, incuſat Tertullianus; quod ſolam fidem ad Salutem 1

Reſolutio III. Ad *utilem* ſumptionem adhuc requiritur *actualis*, vel ſaltem *virtualis* Devotio &c. 437

Reſolutio IV. Ex Parte Corporis requiritur Jejunium naturale, de Præcepto Eccleſiæ, & Puritas Corporis. 441

CAPUT VIII.

De Euchariſtia ut Sacrificio.

§. I.

An Euchariſtia ſit verum novæ Legis Sacrificium?

Reſolutio affirmativa. 445

§. II.

De eſſentiali Ratione Sacrificii.

Reſolutio. Eſſentia Sacrificii Miſſæ non conſiſtit 1. in Oblatione: nec 2. in Fractione Hoſtiæ: nec 3. in Diſtributione: nec 4. in ſumtione; ſed 5. in ſola Conſecratione Panis & Vini: quamvis ſumptio ad Integritatem Sacrificii pertineat.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

BAPTISMUS ab origine Vocabuli græci idem ſonat, ac *Immerſio*, ſeu, *ablutio*. Per Immerſionem enim olim communiter conferri ſolebat, ad repræſentandam ſepulturam CHRISTI, ut dicit PAULUS Rom. VI. 4. *Conſepulti ſumus per Baptiſmum in mortem.* Dicebatur quoque a Patribus ſæpe *Illuminatio*, ut a JUSTINO, & CLEMENTE Alexandrino. Hinc PAULUS Hebr. VI. 4. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, iterum renovari ad pœnitentiam*, videlicet per alterum Baptiſmum. CYRILLUS Jeroſolym. proxime baptizandos, ſeu, *electos*, & pro

Baptiſmo *competentes*, vocat *illuminandos*, quandoque etiam per anticipationem, *illuminatos*. 2. Dicebatur quoque *Initiatio*, *Inſtitutio*. Hinc frequens illud antiquorum Patrum. ex *diſciplina arcani* obſcure loquentium: *Norunt initiati*, *quod dicitur*. 3. *Indulgentia*, ſive, *Remiſſio*. Ita Concilium CARTHAGINENSE ſub CYPRIANO, & ROMANUM Can. VII. apud COTELERIUM Not. in Conſt. Apoſtol. L. 3. C. IX. 4. *Regeneratio*. 5. *Chriſma*, ſive *unctio*, uti GREGORIUS Nazianz. Orat. 40. de Baptiſ. „ Donum vocamus, gratiam, Baptiſmum, „ Unctionem, illuminationem, incorru„ ptionis documentum, regenerationis la„ vacrum, ſigillum, ac denique excellen„ tiſſimo quovis Nomine appellamus, „ 6. Vocabatur *Salus*, nempe ab Effectu. 7. Paſſim nominabatur *Myſterium*, *Signaculum*, *Character dominicus*. 8. *Sacramentum* Fidei, & Pœnitentiæ, de quibus cum tempore legi poterit BINGHAM origin. Eccleſiaſt. Vol. IV. p. m. 138. De hoc igitur Sacramento per aliquot Capita inquiram, I. ejus naturam & exiſtentiam. II. Materiam. III. Formam. IV. Miniſtrum. V. Subjectum. VI. Neceſſitatem. VII. Effectus Baptiſmi.

CAPUT I.

De Natura, Exiſtentia, & Diverſitate Baptiſmi.

§. I.

De Exiſtentia & Inſtitutione Baptiſmi.

Hæretici varie de Baptiſmo ſentiunt. Quidam illum Sacramentum eſſe omnino negarunt. I. ASCODRUTÆ, qui genus quoddam *erant* Gnoſticorum, Religionem *omnem in* cognitione ponebant, nec ulla *externa* cultus externi Symbola admittebant. Dicebant enim, teſte THEODORETO hæret. Fabul. I. 10. „ Non debere „ divina Myſteria, quæ ſunt Signa inviſibilia, per res viſibiles perfici &c. propterea nec baptizabant eos, qui accedebant, nec apud eos celebrabatur baptiſmatis Myſterium ; Redemptionem „ enim appellabant univerſorum cognitionem. „ De MARCOSIANIS, & VALENTINIANIS eadem refert IRENÆUS L. I. cap. 18. & EPIPHANIUS. Ejusdem Erroris QUINTILLAM fæminam, quæ etiam Jus docendi ſibi arrogaverat, incuſat TERTULLIANUS ; quod ſolam fidem ad Salutem 1

necessariam diceret, quam Libro *de Baptismo* confutat. Archontici Baptismum tanquam Institutum Dei Judæorum reprobarunt. Baptismum Aquæ pariter rejecerunt Manichæi & Pauliciani, eoquod Aqua esset opus Dei Mali. An vero alio usi fuerint Baptismi genere, non satis constat. Hæc de Antiquis, quorum adhuc plures circa Materiam remotam erraruut, de quibus infra.

2 Novatores, ac inter eos Socinus & Ostorodius cum necessitatem Baptismi negent, Sacramentum quoque esse inficiantur, ea ducti ratione; quia Baptismus sæpe vocatur *Illuminatio*, quam fieri dicunt per Doctrinam, & Prædicationem Evangelicam. Qui tamen confutantur facile ex illo Pauli 1. Cor. I. 17. *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Lutherani & Calviniani, etsi Sacramentum esse fateantur, erronee tamen de ejus Natura sentiunt. Melanchton eum dicit Signum, quo Deus nobiscum agit, & recipit nos in gratiam. Calvinus vult esse Signum Initiationis, quo in Ecclesiæ cooptamur Societatem, ut Christo insiti inter Fideles Dei censeamur. Sed manca est definitio utraque. Prior quidem omni Sacramento, & etiam Verbo Dei convenit: Altera non explicat Essentiam Baptismi & Effectum principalem, qui est regeneratio: facile etiam Circumcisioni convenit.

Aptius

Aptius definiunt Catholici cum Catechiſmo Romano, quod Baptiſmus ſit *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*: quæ definitio facile cum aliis coincidit. Sacramentum eſſe, conſtat ex eo, quod habeat omnes partes requiſitas, nempe Eleementum ſenſibile, Formam a CHRISTO inſtitutam, promiſſionem Gratiæ, & divinam Inſtitutionem. At de Tempore Inſtitutionis non tantum Theologi, ſed & Patres ipſi in diverſa abire videntur. Communior tamen eſt hodie ſententia, fuiſſe ante CHRISTI Paſſionem inſtitutum, quæ etiam eſt

RESOLUTIO. Baptiſmus CHRISTI fuit 3
inſtitutus ante Paſſionem, & probabilius, poſtquam Chriſtus Baptiſmum a Joanne ſuſcepit.

PROB. I. Pars. CHRISTUS & diſcipuli leguntur baptizaſſe ante Paſſionem. Joann. III. 22. & IV. 1. Atqui non baptizarunt Baptiſmo JOANNIS: ergo Baptiſmo Chriſti, conſequenter ante Paſſionem fuit inſtitutus. *Min. prob.* Evangeliſta dicit: *Quamquam JEſus non baptizabat, ſed diſcipuli ejus.* Ergo hi baptizarunt Baptiſmo Chriſti, quia ſecus diceretur, quod JOANNES baptizaverit per diſcipulos CHRISTI: prout videtur ratiocinari S AUGUSTINUS Tract. XV. in Joann. „ Baptizabat enim „ (Chriſtus) quia ipſe mundabat: non ba„ ptizabat, quia ipſe non tingebat. Præ-

„ bebant discipuli ministerium corporis; „ præbebat ille adjutorium Majestatis. „ Et in Epist. ad Seleuciam: „ Ipsius enim „ erat Baptismi Sacramentum, ad discipu- „ los autem baptizandi Ministerium perti- „ nebat. „ Ipse Baptista testatur de CHRISTO: Joann. I. 33. *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.*

4 PROB. II. Nullibi legitur, baptizatos ante Passionem, per Discipulos Christi fuisse post Resurrectionem denuo baptizatos, quod tamen constat de iterato JOANNIS Baptismate, Act. XIX. 4. & ex AUGUSTINO Tractatu V. in Joann. „ Qui- „ dam qui habebant Baptismum Joannis, „ jussi sunt a Paulo baptizari; non enim „ habebant Baptisma Christi. . . Dedit „ Judas, & non baptizatum est post Ju- „ dam: dedit Joannes, & baptizatum est „ post Joannem, quia si datus est a Juda „ Baptismus; Christi erat. „

5 PROB. III. Discipuli JOANNIS venerunt ad eum, & dixerunt ei: *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce baptizat, & omnes veniunt ad eum* Joann. III. 26. Sed si Discipuli Christi baptizassent Baptismo JOANNIS; non fuissent æmulatione commoti Discipuli Joannis. Ergo &c.

PROB.

Prob. IV. Apoſtoli ante Paſſionem 6
Christi, receperunt Sacramentum Euchariſtiæ & Ordinis: ergo conveniebat prius fuiſſe baptizatos. Eſt inſuper vetus traditio, Petrum fuiſſe baptizatum a Christo, Apoſtolos reliquos a Petro: ergo &c.

Prob. II. Pars. Diſcipuli Christi 7
nunquam leguntur baptizaſſe, ante quam Chriſtus fuerat in Jordane baptizatus, quod fecere tamen mox poſtea: ergo tunc fuit inſtitutus Baptiſmus Christi &c.

Prob. II. Tunc inſtituitur Sacra- 8
mentum, quando deſignatur Materia & Forma, & Virtus producendi Effectum: atqui hoc *contigit* in Jordane: ergo. Major *eſt S.* Thomæ P. III. q. 66. art. 2. *Min. prob.* In Jordane conſecrata eſt Aqua per contactum carnis Christi, quo juxta communem SS. PP. Virtutem ſanctificandi accepit. Deſignata eſt etiam Forma: nam ut ait Augustinus Tract. VI. in Joann. „ Apparet manifeſtiſſima Trinitas: Pater in Voce, Filius in Carne, „ Spiritus S. in Columba. In iſta Trinitate miſſi ſunt Apoſtoli. „ Et Origenes in caten. Græcor. PP. p. 45. „ In „ Jordanis fluvio manifeſtata eſt hominibus Trinitas, ſi enim Pater teſtimonium dedit, & filius fuit, de quo teſtimonium eſt datum, & qui ipſum manifeſtavit Spiritus S. quomodo non Trini-

„ tas divina? „ Fuit etiam ibi manifestatus Effectus baptiſmi, dum Cœli, antea clauſi, aperti ſunt, & Spiritus S. in ſpecie columbæ apparuit, ut obſervat EPHREM Syrus caten. Græcor. PP. Vol. II. p. 85. „ Aperiuntur autem Cœli, quos clauſit „ Adam ſibi & poſteris. Quam ob rem? „ ut dicas, etiam te baptizato id fieri, „ Deum ad ſupernam gratiam te vocante... „ ſuper JEſum venit, Spiritus, ut oſtendatur, ſuper omnes fideles, dum baptizantur, ſeſe venturum. „

9 OBJIC. I. Ante CHRISTI Paſſionem nondum fuit determinata Forma Baptiſmi, quod primum contigit poſt Reſurrectionem, dum CHRISTUS aſcenſurus dixit Apoſtolis. *Euntes baptizate* &c. ergo non fuit ante inſtitutus.

RESP. *Diſt.* Non fuit determinata Forma, per prolationem verborum. *Tranſ.* Per determinationem realem. *Neg.* Nam ut ait AUGUSTINUS Serm. III. de diverſ. „ Quamvis eſſet illud Baptiſma Joannis, „ ex eo tamen ſenſibiliter apparuit Trinitas, qua conſecratus eſt ipſius Chriſti „ Baptiſmus, quo baptizandi erant futuri „ Chriſtiani. „ Scriptura quidem tunc Formæ Verborum non meminit; vero ſimillimum tamen eſt, CHRISTUM per conſecratas ſuo attactu aquas immediate baptizaſſe Joannem; quod colligitur ex eo, quia Matth. III. 14. Joanni proteſtanti:

ego

ego a te baptizari debeo, & tu venis ad me? Chriſtus repoſuit: *Sine modo:* quod explicans Hieronymus in hunc locum ait: „ Pulchre dixit: *ſine modo*, ut oſtenderet, „ Chriſtum in Aqua, Joannem a Chri„ sto in Spiritu baptizandum. „ Determinatio Formæ poſt Reſurrectionem, ſpectat ad promulgationem Sacramenti jam ante inſtituti, & ad ejus Neceſſitatem.

Objic. II. Per Baptiſmum Christi 10
confertur Spiritus S. atqui ante Paſſionem *nondum erat Spiritus datus, quia JEſus nondum erat glorificatus.* Ut dicitur Joann. VII. 39. Ergo nec ante fuit Baptiſmus.

Resp. *Diſt. min.* Nondum erat Spiritus datus, *in* forma viſibili Linguarum, *& cum* Virtute extraordinaria Miraculorum, quod contigit in Pentecoſte. *Conc.* Nullo modo, nec inviſibiliter. Nego. Ita S. Augustinus Quæſt. VI. inter 83. „ Spi„ ritus S. latenter dabatur ante Domini „ glorificationem ; poſt manifeſtationem „ autem divinitatis ejus manifeſtius datus „ eſt. Et hoc dictum eſt: *Spiritus non„ dum erat datus*, id eſt, nondum ſic ap„ paruerat, ut omnes datum eſſe fateren„ tur, ſicut etiam Dominus nondum erat „ glorificatus inter homines , ſed tamen „ glorificatio ejus interna nunquam eſſe „ deſtitit. „

11 Objic. III. Juxta S. Augustinum & communem PP. Sacramenta fluxerunt ex Latere Christi, per Aquam & Sanguinem designata: atqui Aquæ nomine denotatur Baptismus. Ergo ante Passionem non fuit institutus.

Resp. *Dist.* Sacramenta fluxerunt ex Latere Christi, id est, ex Passione Christi prævisa. *Conc.* peracta. *Neg.* Omnis nostra Justificatio, etiam in veteri Testamento, ortum habuit ex Meritis Passionis Christi prævisæ: non autem actu & physice existentibus. Ex hoc enim sequeretur, quod neque Eucharistia ante Passionem fuisset instituta: quod falsum.

12 Objic. IV. Multi PP. apud Berti p. 213. expresse docent, Baptismum fuisse institutum post Passionem. Ergo &c.

Resp. Fateor PP. hac in controversia non esse concordes. Cum autem sit Quæstio Facti, non Dogmatis; nobis cum Augustino rationibus quoque probabilioribus sentire licebit.

13 Objic. V. Quamvis in Jordane fuisset facta Designatio Materiæ & Formæ, & declarata Efficacia, hoc nondum ad ejus institutionem sufficit, quod probatur a pari. Quamvis Luc. IX. in Muliere peccatrice designatæ fuerint partes omnes, nimirum *Contritio* in lacrymis, *Satisfactio* in operi-

ribus charitatis, *Forma* in verbis a CHRISTO prolatis: *remittuntur tibi peccata tua*; non ibi tamen, ſed poſt Reſurrectionem fuit inſtitutum Sacramentum Pœnitentiæ. Ergo.

RESP. *Conc.* Non quamlibet Deſignationem Materiæ & Formæ, poſſe dici Inſtitutionem Sacramenti; ſed debet fieri ab ipſomet Inſtitutore, quod CHRISTUS in Domo Phariſæi non fecit; non enim determinavit Lacrymas ad Rationem Sacramenti Pœnitentiæ; ſed videns Mulieris Dolorem, tanquam ſummus Author gratiæ *extraordinarie* Peccata dimiſit. Defuit quoque Peccatorum Confeſſio. CHRISTUS etiam nullibi, neque poſt Reſurrectionem, pro *Materia* præſcripſit lacrymas, nec *terſionem* capillorum materialem. Alii hanc Differentiam eſſe dicunt; quia Pœnitentia inſtituta eſt per modum Judicii, ubi per Sententiam Sacerdotis abſolvuntur Rei. Debent ergo ante Judicium conſtitui Judices: quod tamen contigit primum poſt Reſurrectionem: Miniſtri autem Baptiſmi, Diſcipuli jam erant ante Paſſionem.

§. II.

§. II.

De Baptiſmo Joannis, ejusque a Baptiſmo Chriſti Differentia.

14 De JOANNIS Baptiſmo diverſi fuere Hæreticorum Errores. Quidam nimis illum deprimebant, ut SOCINUS & OSTORODIUS, qui nullum in eo agnoſcebant divinum Mandatum. Alii nimis extollebant, uti PETILIANUS *Donatiſta*, qui eundem eſſe docuit cum Baptiſmo CHRISTI, tribus tamen gradibus conſecratum. Nimirum dedit Aquam JOANNES ſine Nomine Trinitatis: dedit Spiritum S. Chriſtus. Spiritus S. ignis in Apoſtolos ſupervenit: ſed hæc tria unum volebat conſtituere Baptiſmum, quem Errorem refert, atque refutat S. AUGUSTINUS L. II. contra Literas Petiliani cap. XXXIV. ſic urgendo: „ Cur „ ergo aquam repetierunt Apoſtoli in eis, „ quibus jam Joannes aquam dederat, per „ Trinitatem ad unum Baptiſmum, tribus „ gradibus conſecratum? „ Proteſtantes, plerique ſaltem, licet accidentariam quamdam Diverſitatem, ex circumſtantiis Perſonarum, temporis &c. admittant, nullam tamen in Effectu concedunt; eoquod uterque juſtificet ex Fide baptizati, ſeu, ex *opere operantis.*

Ma-

Magiſter Sententiarum duo diſtinguebat Hominum baptizatorum genera: Unum eorum, qui ita tingebantur, ut Spem ſuam ponerent in JOANNIS Baptiſmate: & hos ait denuo fuiſſe baptizandos Baptiſmo CHRISTI. Alterum eorum, qui ex illo Baptiſmo non ſperabant Juſtificationem, ſed ſperabant in CHRISTUM, & gratiam Spiritus S. hos autem negat fuiſſe denuo baptizatos. 15

D. THOMAS junior, ſcribens in ſententias, docuit, Baptiſmum JOANNIS fuiſſe Sacramentum Leg. Vet. quod poſtmodum in Summa retractavit, faſſus, fuiſſe ſolum Præparationem ad Baptiſmum CHRISTI, ideoque ad Legem novam potius, quam ad veterem pertinuiſſe.

RESOLUTIO I. Baptiſmus Joannis divino inſtinctu inſtitutus, & excellentior fuit Moſaicis Merſionibus. 16

PROB. I. CHRISTUS Matth. XXI. 25. Interrogat Phariſæos: *Baptiſmus Joannis e Cœlo erat, an ex hominibus?* Ipſi Phariſæi optime introſpexerant Vim Dilemmatis, ita ſecum ratiocinantes: *Si dixerimus e Cœlo: dicet nobis, quare ergo non credidiſtis illi?* Ergo CHRISTUS innuere voluit, JOANNEM divino inſtinctu ſuum inſtituiſſe, & miniſtraſſe Baptiſmum.

II. LUCAS Evangeliſta narrat III. 2. 17
Tunc venit Joannes in Regionem Jordanis præ-

prædicans Baptiſmum, quando factum eſt ſuper eum Verbum Domini. Ergo divino Mandato baptizabat JOANNES.

18 III. Ipſe Baptiſta ait Joann. I. 33. *Qui miſit me baptizare in aqua* &c. quod vero fuerit excellentior Merſionibus Moſaicis, expreſſe docet S. BASILIUS apud BERTI. Ratio eſſe poteſt: quia propius diſponebat ad Baptiſmum CHRISTI, & fidem explicitam Meſſiæ, cui viam præparabat, & poſt ſe venturum prædicebat JOANNES.

19 RESOLUTIO II. Multiplex fuit Differentia inter Baptiſmum JOANNIS & CHRISTI.

PROB. I. Baptiſmus JOANNIS erat ab ipſomet inſtitutus, quamvis ex ſpeciali Dei Inſpiratione, adeoque neque Sacramentum erat, quod de facto ab Homine puro inſtitui nequit. Hinc neque vocatur *ſimpliciter* Baptiſmus, ſed *Baptiſmus Joannis.*

20 II. Altera Differentia erat iſta, quod Baptiſmus JOANNIS caruerit Formula Verborum. Equidem prædicationem adhibuit JOANNES ad excitandam fidem in Chriſtum proxime venturum, & præparanda corda Judæorum ad ſuſcipiendum Baptiſmum, ut colligitur ex illo Act. XIX. 4. *Joannes baptizavit Baptiſmo Pœnitentiæ populum dicens, in eum qui venturus eſſet poſt*

ipſum

ipſum, ut crederent, hoc eſt, in JEſum: Verbis autem conſecratoriis uſum fuiſſe, non conſtat.

III. Differebat ratione Subjecti; Adul- 21
tis enim ſolum conferri poterat: cum Parvuli non fuerint Pœnitentiæ capaces. Contrarium eſt in noſtro Baptiſmo, qui etiam Parvulis conferri utiliter poteſt & debet, ut fatentur Proteſtantes. Poſſet & hæc addi Differentia, quod Baptiſmus JOANNIS ſuppoſuerit Circumciſionem, & pro actualibus ſolum Peccatis fuerit inſtitutus: cum Baptiſmus noſter principaliter ſit datus pro originali.

RESOLUTIO *III.* Differentia præcipua 22
inter utrumque Baptiſmum hæc erat, quod *Baptiſmus* noſter conferat gratiam ex opere operato, non autem ille JOANNIS.

PROB. I. Ipſè Joannes hanc aſſignat Differentiam Matth. III. 11. *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt: .. Ipſe vos baptizabit in Spiritu S. & Igni.* Igitur Baptiſmus JOANNIS ſolum diſponebat ad Actus veræ Pœnitentiæ, quibus mediantibus adquirebatur Juſtificatio.

PROB. II. Si æqualis fuiſſet Efficaciæ 33
Baptiſmus Joannis; tunc poſt illum acceptum non potuiſſent denuo baptizari Baptiſmo CHRISTI. At baptizati ſunt mul-

ti Act. 19. AUGUSTINI est hoc Argumentum Lib. V. contra Donatist. cap. X. „ Quæro itaque, si Baptismo Joannis pec„ cata dimittebantur, quid amplius præ„ stare potuit Baptismus Christi eis, quos „ Apostolus Paulus post Baptismum Joan„ nis voluit baptizari? ... Quæ igitur „ causa est? nisi quia Baptisma, quod il„ los jussit Paulus accipere, non hoc erat, „ quod per Joannem dabatur. „ Et OECUMENIUS ad idem Pauli factum alludens ait: „ Ostendens parvi momenti fuisse „ Baptisma Joannis: neque enim dixit: „ Remissionis fuisse, sed Pœnitentiæ. „

24 PROB. III. Ex traditione. S. BASILIUS Lib. de Spiritu S. cap. XV. „ Hinc co„ gnoscitur, quantum inter eam gratiam, „ quæ a Spiritu proficiscitur, & Bapti„ smum eum, qui aqua tantum constabat, „ sit discriminis; quod Joannes quidem „ baptizavit aqua: Dominus autem meus „ JESUS CHRISTUS in Spiritu S. „ GREGORIUS Naz. Orat. 39. in sancta Lumina. „ Baptizavit etiam Joannes, non jam ille „ quidem Judaico more, sed etiam ad Pœ„ nitentiam, nondum tamen prorsus spi„ ritualiter: nec enim addit: *in Spiritu.* „ Baptizat quoque JEsus, sed in Spiritu: „ quod quidem perfectum, numerisque „ omnibus absolutum Baptismum reddit. „ HIERONYMUS adversus Luciferianos: „ Au„ di, quid Scripturæ doceant. Joannis

„ Ba-

„ Baptiſma non tam Peccata dimiſit, quam „ Pœnitentiæ Baptiſma fuit, in Peccato- „ rum remiſſionem, id eſt, futuram remiſ- „ ſionem, quæ eſſet poſtea per Sanctifica- „ tionem Chriſti ſubſecutura. „ GREGORIUS M. hom. VII. in Evang. „ Joannes „ non Spiritu, ſed aqua baptizat; quia „ Peccata ſolvere non valens, corpora per „ aquam lavat, ſed tamen mentem per ve- „ niam non lavat. „ Vid. etiam hom. XX. in Evang. quæ recitatur Sabbat. poſt Dom. III. Advent. Lect. III.

OBJIC, I. Baptiſmus JOANNIS, & CHRISTI, conveniunt in omnibus. Ergo &c. 25

Nam 1. *fuit inſtitutionis* cœleſtis, juxta *Reſolutionem* I.

2. *Ratione* Materiæ remotæ & proximæ.

3. Ratione Formæ; nam veroſimile eſt, Joannem non muta Ceremonia, ſed verborum etiam forma uſum fuiſſe: v. g. *baptizo te in Nomine Chriſti venturi*: hoc enim innuunt illa verba: „ Joannes ba- „ ptizavit populum Baptiſmo Pœnitentiæ, „ *dicens*, in eum qui venturus eſſet, ut „ crederent. „

4. Ratione Effectus; nam & Baptiſmus *JOANNIS* Peccata dimiſit, ex eo enim quod Petrus Act. II. 28. dixerit: *Baptizetur unusquisque veſtrum in Nomine JEſu Chriſti in remiſſionem Peccatorum*, bene in-

tur, vim remittendi peccata inesse Baptismo. Ergo etiam ex illo Marci I. Vers. 14. *Fuit Joannes in Deserto baptizans & prædicans Baptismum Pœnitentiæ in Remissionem Peccatorum*, bene infertur idem Effectus, quod videntur etiam docere nonnulli PP. Basilius Orat. de Baptis. „ Simul atque accesserat aquis, & Peccata „ sua, quantumcunque & qualiacunque „ confessus fuerat; in Jordanis flumine „ baptizabatur, & confestim peccatorum „ Remissionem accipiebat. „ Ambrosius „ de Spiritu S. cap. III. „ Joannes in „ Remissionem Peccatorum, in advenientis JEsu, non in suo baptizabat Nomine. „

Resp. Nego *ant.* ad I. Disting. Baptismus *cœlestis* erat, quoad Mandatum, quo debuerat a Joanne institui. *Conc.* Quoad Potestatem & Effectum. *Neg.* Jussus fuit Joannes baptizare in Aqua in Pœnitentiam, ad quam non Virtus aquæ, sed Prædicatio Joannis persuadendo disponebat, ita D. Thomas III. P. Q. 38. a. 2. „ Ritus quidem baptizandi non fuit ex „ hominibus, sed a Deo, qui familiari „ Spiritus S. revelatione Joannem ad baptizandum misit. Effectus autem illius „ Baptismi fuit ab Homine, quia nihil in „ illo Baptismo efficiebatur, quod homo „ facere non posset, „ nempe persuadere prædicando ad Pœnitentiam. Tertullianus id ipsum ex instituto probat Lib. de

Ba-

Baptis. cap. X. „ Divinum quidem eum „ Baptismum fuisse, Mandato tamen, non „ Potestate, quod & Joannem a Domino „ missum legimus in hoc munus ceterum „ humanum conditione, nihil enim cœle- „ ste præstabat, sed cælestibus præmini- „ strabat, Pœnitentiæ scilicet præposi- „ tus. „

II. Conc. Ad III. Nego, fuisse adhibitam Formam Verborum *consecratoriam*, quod ad rationem tamen Sacramenti requiritur. JOANNES sua prædicatione disposuit audientium Animos, ut proxime venturum Messiam acceptarent, Pœnitentiæ Actibus se eo disponendo, nulla vero verborum Forma ad sanctificandas Aquas adhibita.

Ad IV. Nego Baptismum habuisse *ex se* Virtutem remittendi Peccata, sed ratione Virtutis Pœnitentiæ, adeoque ex *opere operantis*. Vocatur enim semper *Baptismus Pœnitentiæ*. Contra Baptismo CHRISTI, sine addita Pœnitentia, Remissio Peccatorum annexa est, quod patet in Parvulis. Sic dicebat ANANIAS ad SAULUM: *Baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipsius*. Actor. XXII. 16. Hoc ipsum dico ad oppositos Textus SS. Patrum.

CAPUT II.

De Materia Baptiſmi.

Conſtat ex dictis, Materiam Sacramentorum aliam eſſe *remotam*, aliam proximam: de utraque agendum.

§. I.

De Materia remota Baptiſmi.

26 Circa Materiam remotam varie errarunt Hæretici. 1. MARCITÆ, ſeu MARCOSII, oleum miſcebant Aquæ cum profanis quibusdam formulis, ut teſtatur IRENÆUS apud GOTTI de Ver. Rel. Chr. Tom. VII. part. I. fol. 217. SELEUCIANI, & HERMIANI Aquam rejiciebant, Igne obſignantes Aures initiandorum: eoquod Joannes de Baptiſmo Chriſti dixerit, eum baptizaturum *in Spiritu S. & igni.* MANICHÆI & PAULICIANI, nullam omnino Vim Baptiſmo Aquæ tribuebant, exiſtimantes, ſola Fide in CHRISTUM omnem abſolvi Baptiſmum; eoquod dixerit: *Ego ſum aqua viva*: quamvis interdum parvulos ſuos Catholicis Presbyteris offerrent baptizandos, non ad remiſſionem Peccati originalis, ſed ad Salutem Corporis, ut teſtatur EUTHYMIUS

MIUS Panopliæ part. II. tit. XXI. MESSALIANI, ſive EUCHITÆ, qui omnem ſuam Religionem in precibus ponebant, prioribus hæreticis quoad Baptiſmum a nonnullis accenſentur. At dubitari de iis poteſt, quoniam non legitur, quod Eccleſia eos juſſerit rebaptizari, præſertim, cum eorum Error in hoc maxime verſaretur, quod dicerent, Baptiſmum tantum donare remiſſionem Peccatorum: nihil vero aliud ſuperaddere gratiæ & Roboris. COPTI, ſeu, JACOBITÆ, a Bellarmino dicuntur loco aquæ baptizare per Ignem: quos tamen excuſat BERTI, aſſerens, eos quidem ignitas Cruces Brachiis ſuis inurere, & ſtigmatizare, ſed tantum ob Reverentiam *Crucis*, & ad deſignandum *Effectum Baptiſmi*, non autem negligere Aquam. Nonnulli, de quibus teſtatur Edmundus MARTENE Tom. I. de antiquis Eccleſiæ Ritibus Lib. I. cap. I. Art. XIV. pag. m. 48. Oleum, Vinum, Cereviſiam, quin & Arenam in Aquæ penuria adhibebant. LUTHERUS, & BEZA, cum putent ablutionem tantum ſervire ad excitandam Fidem, omnem admittunt Materiam & Liquorem, quæ ablutioni ſervit, ſaltem in Neceſſitate. Sic enim ait BEZA Epiſt. II. ad Thomam Filium: „ Deſit etiam aqua, „ & tamen Baptiſmus alicujus differri cum „ ædificatione non poſſit nec debeat; ego „ certe quovis alio liquore non minus rite, quam aqua baptizarim. „ Haud ali-

aliter LUTHERUS in Sympoſiacis apud BELLARMINUM.

27 RESOLUTIO. Sola Aqua naturalis, eſt Materia valida Baptiſmi: eſt de Fide. Ex TRIDENTINO Concilio Seſſ. VII. can. II.

PROB. Ex Scriptura, ubi ab ipſo CHRISTO Aqua determinata eſt, utique non alia, quam communis & naturalis. Joann. III. *Niſi quis fuerit renatus ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Act. VIII. Eunuchus Reginæ Candacis deſiderans a PHILIPPO baptizari in torrente, ait: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? deſcendit ergo uterque in aquam.* Paul. eph. V. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ* &c. Traditio Patrum, & Senſus totius Eccleſiæ, quæ ſemper reprobavit Baptiſmum, aliter quam in Aqua collatum, legi poteſt apud obvios Theologos dogmaticos: tantum allego Reſcriptum GREGORII IX. ad Archiepiſcopum Nidroſienſem 1241. datum: „ Cum „ ſicut ex tua relatione didicimus, nonnun„ quam propter aquæ penuriam infantes „ terræ tuæ (in Norwegia) contingat in „ Cereviſia baptizari, tibi tenore præſen„ tium reſpondemus, quod cum ſecundum „ Doctrinam Evangelicam oporteat in aqua „ & Spiritu S. renaſci, non debent repu„ tari rite baptizati, qui in Cereviſia ba„ ptizantur. „

OB-

OBJIC. I. STEPHANUS II. juxta alios III. Rom. Pontif. interrogatus, num Baptiſmus Vino collatus valeat? reſpondit affirmative apud Natalem ALEXANDRUM Sæcul. VIII. „ Si in Vino quis propterea, quod aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit, „ nulla ei exinde adſcribitur culpa. Nam „ ſi aqua adfuit præſens, ille Presbyter „ excommunicetur, & Pœnitentiæ ſubmittatur, quia contra Canonum ſententiam „ agere præſumpſit. „ 28

RESP. Plerique arbitrantur Reſponſum illud eſſe ſuppoſititium. Quis enim ſibi perſuadeat, Rom. Pontificem ignoraſſe tam communem Traditionem, quam ne infimi quidem *Clerici* aut Laici ignorant? Natalis ALEXANDER ſuſpicatur, Mendum eſſe in Textu & addendam particulam *Si*: ut hic ſit ſenſus: *Nulla Presbytero adſcribitur culpa, ſi infantes ſic permaneant in ipſo Baptiſmo.* Non ergo reſpondit Pontifex de Valore Baptiſmi: ſed tantum, an excommunicationem incurrat ejusmodi Presbyter.

OBJIC. II. NICEPHORUS L. III. Hiſt. cap. XXXVII. & ex eo alii narrant, tempore MARCI AURELII Imperatoris quemdam Judæum, qui cum Chriſtianis Iter faciens repentino morbo correptus, dum Baptiſmum a Chriſtianis petiit; nec eum defectu aquæ & Sacerdotis impetrare po- 29

 tuit,

tuit, tandem ab illis Christianis cum Invocatione SS. Trinitatis ter arena conspersum, indeque subito Sanitati restitutum fuisse.

Resp. Transmissa veritate historiæ, nego, Baptismum fuisse validum; nam ut narrant iidem citati, Re ad Dionysium Episcopum Ascalonensem, vel Alexandrinum delata, respondit, baptizatum esse Judæum, si modo Aqua subito perfunderetur. Quod vero fuerit subito sanatus; contingere potuit propter Baptismum *flaminis*, & bonam fidem Judæi: non autem propter Baptismum Arenæ.

§. II.

De Materia proxima Baptismi.

30 Ablutionem, esse Materiam proximam, nemo dubitat, quod ex Christi Præcepto: *Baptizantes eos* &c. satis clare deducitur. Potest autem Ablutio tribus modis fieri: *Immersione* in Aquam, *Aspersione*, & *Affusione*. Prior modus Ecclesiæ utrique per plura Sæcula erat usitatus; ut enim Imitationem mortis Christi, novamque Regenerationem ex Aquis vividius exprimerent veteres, baptizandos depositis Vestibus, ac toto corpore nudos, in fontem Baptismalem ter immergebant cum Invocatione Trinitatis, quo Ritu designa-

ſignabatur & Peccatorum Depoſitio, & regeneratio novæ Creaturæ; quod egregie dilucidat CYRILLUS Jeroſolimitanus Cat. Myſtag. 2. CHRYSOSTOMUS, AMBROSIUS, aliique. Quo tamen Mulierum præcaveretur pudori, omnique Indecentiæ, pleraque Miniſteria circa eas exercebant Diaconiſtæ, exuebant Veſtibus, induebant, toto ungebant Corpore: Sacerdos tantum mergebat, pronuntiabat Formam, & ungebat in vertice, Epiſcopus in fronte &c. inſuper ſeparatis a Virorum Baptiſterio locis tingebantur, aut diverſo ſaltem tempore: nec promiſcue Viri ac mulieres. Hic Immerſionis Ritus a plerisque etiam hæreticis retinebatur. Soli EUNOMIANI, ab *ARIANIS oriundi*, accuſantur a *THEODORETO hæret.* Fab. L. IV. 3. quod Baptizandos tantum usque ad Pectus madefecerint, reliquis autem partibus tanquam execrandis Aquam adhibere prohibuerint, ex quo conſequitur, præpoſtera ratione eos baptizaſſe, nempe Capite demerſo, pedibus in ſublime porrectis, uti refert S. EPIPHANIUS hæreſ. 76. *hyſtopedes*, ſive, *pederecti*, propterea appellati.

Hic quidem erat mos uſitatiſſimus baptizandi per *Immerſionem* ipſos quoque Parvulos: duobus tamen caſibus mitigari ſolebat regula. 1. Siquis ægrotaret cum extremo Vitæ Periculo, ubi loco Immerſionis in aquam, adhibebatur *aſperſio*, vel 31

aſſuſio ſupra ægrotum in Lecto jacentem, qui vocabantur *Clinici*, de quorum Baptiſmi valore cum dubitaret MAGNUS, reſpondit CYPRIANUS ab eo conſultus, legitimam eſſe Epiſt. $\frac{76}{69}$ ad eundem. Etſi autem pluribus canonibus ſancitum fuerit, ne in lecto baptizati, ad Ordines ſacros admitterentur; id non eo fiebat, quod Baptiſmus eorum crederetur nullus, ſed, quia rei erant gravis Negligentiæ, Baptiſmum usque ad Vitæ Exitum differentes. Altero caſu conferebatur Baptiſmus ſine Immerſione, quando Aquæ copia difficilibus Eccleſiæ Temporibus procurari non poterat: ut, ſi baptizandus erat Martyr in carcere, aut ipſe alium baptizare volebat, cujusmodi Factum refertur in Actis Martyrii S. LAURENTII. Hunc quidem Ritum, baptizandi per affuſionem, reprobavit MARCUS Epheſius, ſoluto Concilio FLORENTINO eum Latinis exprobrans, & Græci Schiſmatici hodie, exiſtimantes, ad Valorem Sacramenti ſpectare trinam Immerſionem.

32 Antiquiſſimus quidem fuit Ritus Eccleſiæ, ter mergendi baptizandos, quem ex Apoſtolica Traditione deſcendere ait S. BASILIUS M. L. de Spir. S. cap. XXVII. *Ter immergi hominem, unde ex Scripturis hauſtum?* Et HIERONYMUS Dialog. adverſus Luciferianos cap. IV. & de eo tanquam univerſali conſuetudine teſtatur TER-

TUL-

TULLIANUS L. contra Praxeam cap. XXVI. *Non ſemel, ſed ter, ad ſingula Nomina, in Perſonas ſingulas tingimur.* Item de Corona militis: *Dehinc ter mergitamur*, cujus rationem variam dant Patres. DIONYSIUS Areopagita Lib. de cœleſt. Hierarch. cap. II. AUGUSTINUS, Hieronymus, & alii propter Trinitatem Perſonarum. AMBROSIUS de Sacram. L. II. cap. VII. ut multiplicem lapſum ſuperioris ætatis abſolveret trina Confeſſio. GREGORIUS Nyſſenus de Bapt. Chriſti, CYRILLUS Hieroſolymitanus Catech. Myſtag II. N. 4. S. LEO M. Epiſt. IV. ad Epiſcopos Siculos cap. III. propter triduanam CHRISTI Sepulturam.

Circa Initium autem Sæculi VII. in 33
Hiſpania conſuetudo occaſione Arianorum inolevit; ut, quoniam ipſi ex *trina* Immerſione occaſionem ſumebant oppugnandi *Conſubſtantialitatem* Perſonarum, Catholici per *unicam* Immerſionem S. Trinitatis Conſubſtantialitatem oſtenderent, quam conſuetudinem probavit S. GREGORIUS M. a Leandro Hiſpalenſi interrogatus Lib. I. Epiſt. XLI. vid. can. 80. 85. Diſt. IV. de Conſecrat. Attamen aliis in Eccleſiis trinæ Immerſionis Ritus perduravit usque ad Sæculum fere IX. Nam ut teſtatur WALDAFRIDUS STRABO de Cultu Eccleſ. cap. XXVI. „ Alii trinam Immerſionem „ volunt in ſimilitudinem triduanæ Sepul- „ turæ, ut in Canonibus Apoſtolorum „ ſta-

„ statutum habetur, & Romanorum con„ suetudo observat: alii unam, propter „ Divinitatis unitatem contendunt, ut in „ Concilio Toletano plenissime habetur, „ ubi etiam commemoratur, quid B. Gre„ gorius interrogatus super hoc a Lean„ dro inter cetera ita responderit: quia „ in una fide nihil officit Ecclesiæ consue„ tudo diversa. „ De Sæculo XII. testatur PETRUS LOMBARDUS Magister Sentent. qui de Materia proxima pertractans altum silet *Affusionis*; de *Immersione* vero ait: *Si quæratur, quomodo fieri debeat? præcise respondemus, vel semel, vel ter, pro more Ecclesiæ.* D. THOMAS Sæcul. XIII. ait III. Part. q. 66. a. 7. „ Quamvis tutius sit, „ baptizare per modum immersionis, quia „ hoc habet communior usus &c. „ Item „ art. 8. „ Communiter observatur in „ Baptismo trina immersio, & ideo gravi„ ter peccaret aliter baptizans, quasi ri„ tum Ecclesiæ non observans. „ Attamen a fine Sæculi XIV. penitus desiisse videtur Ritus Immersionis; eoquod Rituales Libri, ab illo tempore editi, plerumque Affusionem præscribant.

34 Cur autem ab illo Tempore in Occidente (in Oriente enim adhuc observatur) trinæ Immersionis Ritus in Desuetudinem venerit, verosimiles proferuntur rationes. 1. Quia cum illo tempore tota fere Europa jam fuisset ad Fidem Chri-

stia-

ſtianam converſa, & raro aliqui baptizarentur Adulti (ſed plerumque Parvuli; horum valetudini Eccleſia conſulere voluit per Affuſionem. 2. Quia cum deficerent plerumque Diaconi & Diaconiſſæ, voluit Pudori Mulierum conſulere, & ab earum denudatione, conſequenter etiam ab Immerſione abſtinere. 3. Cum præcipue illa Incommoda nullo alio inſigni Emolumento compenſari ſperarentur, quod tamen contigit olim, ubi ex Myſtica horum Rituum Significatione alii ad fidem allici poterant, illis ſaltem Temporibus, quibus non amplius vigente *Diſciplina Arcani*, Baptiſmi collationem Exteri conſpicere poterant. His hiſtoriæ præmiſſis ſtatuuntur

Resolutio I. Valet Baptiſmus, ſive per Immerſionem, eamque vel unam, vel trinam, ſive per Affuſionem, ſive per Aſperſionem collatus. 35

Quoad *trinam* Merſionem nemo dubitat: de *unica* Merſione conſtat ex conſuetudine Hiſpaniæ, probata a S. Gregorio Magno N. 33. & ex eo, quia etiam unica Merſio eſt propria Ablutio. De *Affuſione* conſtat ex Baptiſmo Clinicorum, & Baptizatorum in carcere N. 31. De *Aſperſione* colligitur ex Act. II. & III. ubi legitur, Petrum una die baptizaſſe quinque, aut tria Hominum millia, quod *abſolute* quidem per Immerſionem fieri potuit, cum

Ju-

Judæi, Ablutionibus aſſueti, varias, multasque habuerint hydrias, Vaſaque purificatoria; facilius tamen *aſſuſione*, vel *aſperſione* præſtari potuit.

36 Objic. I. Can. Apoſt. XLIX. deponi jubet Presbyterum, *qui non trina perfecerit unius Baptiſmatis Myſteria*: ergo &c.

Resp. Non ibi declaratur nullitas Baptiſmi, una merſione collati, ſed deponi jubetur Presbyter, ſi novum Ritum invehere volens in Eccleſiam, priſtinum morem præceptum ex contemptu transgrediatur. Aut dico, ideo damnari unicam Merſionem, quia aliqui eam conferebant cum hac forma: *in Nomine ſolius Chriſti mortui pro nobis*. Vid. can. immediate ſequens, de quo infra, ubi de Forma.

37 Objic. II. Unam Merſionem invenit Eunomius hæreticus, ut teſtatur Theodoretus hæret. Fab. Lib. IV. C. quod tamen Patres in eodem reprobarunt. *Ergo* &c.

Resp. Damnatus eſt Eunomius, non propter unicam Immerſionem, ſed quia etiam falſa utebatur forma; ait enim citatus Theodoretus de illo: „ Dicens, „ non oportere ter mergi eum, qui ba„ ptizatur, nec Trinitatem invocare, ſed „ ſemel baptizare in mortem Chriſti. „ Et de eodem Epiphanius hæreſ. 56. teſtatur ſequenti uſum fuiſſe forma: *In Nomine*

mine Dei increati, & in Nomine Filii creati, & in Nomine Spiritus ſanctificantis, & a creato Filio procreati.

OBJIC. III. Quamvis CYPRIANUS in 38
laudata ad MAGNUM Epiſtola validum habeat Clinicorum Baptiſma, id tamen non tanquam *certum*, ſed ſolum ut *probabile* affirmat, quia approbat etiam repetitionem Baptiſmi per affuſionem collati. Scribit enim: „ Aut ſi aliquis exiſtimat eos „ nihil conſecutos, eoquod ab aqua ſalu„ tari tantum perfuſi ſint; ſi inanes & va„ cui ſunt, non decipiantur, ut, ſi in„ commodum languoris evaſerint, & con„ valuerint, baptizentur. „ Ergo &c.

RESP. Non dubitat CYPRIANUS de *Baptiſmo Clinicorum*, ſed tantæ erat Modeſtiæ, ut in eo, quod ſibi etiam certum perſuadebat, Collegas tamen nollet damnare. Ita etiam ſe geſſit in Quæſtione de Baptiſmo Hæreticorum; ut quamvis tenaciter affirmaret, illum eſſe invalidum, alios tamen, ſibi contrarios Epiſcopos, haud quaquam damnaret. Sic enim ſcribit inter alia Epiſtola ad Stephanum I. R. P. „ Qua in re nec nos vim cuiquam faci„ mus, aut legem damus; cum habeat in „ Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ „ arbitrium liberum unusquisque Præpo„ ſitus, rationem actus ſui Domino red„ diturus. „ Unde etiam colligitur, Illum quæſtionem de Baptiſmo Immerſionis, uti

etiam

etiam de Ministro, Rebus Disciplinæ adnumerasse, ut infra dilucidabitur.

39 Objic. IV. Cornelius Papa dubitat de Valore Baptismi, a Novatiano in Mortis Lectulo per Affusionem suscepti. *Si tamen talem Baptismum percepisse dicendum sit*, Epist. ad Fabium Antiochen.

Resp. Cornelius non dubitabat de Valore Baptismi *quoad Substantiam*, sed quoad *Effectum*, & *Fructum*, propter Defectum Dispositionis. Plures enim Patres existimabant, illos, qui Baptismum usque ad Finem Vitæ differebant, non satis esse dispositos ad consequendum Effectum; cum eum non ex motivo Amoris Dei, sed solo Metu Gehennæ suscipere crederentur. Ideo Clinicos ab Ordinis Sacramento arcebat Antiquitas: ex quo anticipato colligi potest, quid Patres illi senserint de modernorum Theologorum sat frequenti sententia, qui Attritionem, ex solo Pœnarum Metu conceptam, ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficere docent.

40 Resolutio II. Trina Mersio olim necessaria fuit necessitate Præcepti Ecclesiastici, non autem necessitate *Medii*, aut Præcepti divini, contra nonnullos Græcos.

Prob. I. Pars constat ex N. 32. cui addendus Tertullianus Lib. de Corona militis c. 3. „ Ergo quæramus, an & „ Traditio non scripta non debeat recipi? „ Pla-

„ Plane negabimus recipiendam, ſi nulla „ Exempla præjudicant aliarum obſerva- „ tionum, quas ſine ullius Scripturæ In- „ ſtrumento, ſolius Traditionis Titulo, „ exinde Conſuetudinis Titulo vindicabi- „ mus. Denique ut a Baptiſmate ingre- „ diar, Aquam adituri ibidem, ſed ali- „ quando prius in Eccleſia ſub Antiſtitis „ Manu conteſtamur, nos renuntiare Dia- „ bolo, & Pompæ, & Angelis ejus. De- „ hinc ter mergitamur. .. Harum & alia- „ rum ejusmodi diſciplinarum, ſi legem „ expoſtules Scripturarum; nullam inve- „ nies: Traditio tibi prætenditur auctrix, „ Conſuetudo confirmatrix, & Fides ob- „ ſervatrix. „ Vid. etiam Can. Apoſt. XLIX. *ubi obſervandum*, Proteſtantes, *qui omnem rejiciunt* Traditionem, nec unam, nec trinam merſionem, vel affuſionem, ex S. Scriptura probare poſſe, adeoque admittere debere aliquid, cujus in Scriptura nec Præceptum extat, nec Exemplum.

Prob. II. Pars. Valuit Baptiſmus Cli- 41
nicorum, utpote ne a rebaptizantibus quidem Patribus in dubium vocatus: valuit quoque Baptiſmus, unica merſione in Hiſpaniarum Eccleſiis Sæculo VI. conferri ſolitus; ex N. 33. Patet quoque ex eo, quod trinæ Merſionis Ritus a Tertulliano appellatur *Diſciplina*: quæ vero ad Diſciplinam ſpectant, ea Mutationi ſubeſſe

possunt, atque hoc ipso Jus, ac Praeceptum divinum, quod immutari nequit, non involvunt.

42 Objic. I. Concilium Constantinopolitanum I. Can. VII. rebaptizari decernit Eunomianos, unica mersione baptizatos; „ Eunomianos, qui in unam demersionem baptizantur, ut gentiles acceptamus, & tunc demum eos baptizamus. „

Resp. Eunomianos fuisse rebaptizatos, quia illorum Baptismus propter Formam erroneam fuit nullus: non autem propter unicam mersionem ex N. 37.

43 Objic. II. Quae tradiderunt Apostoli, sunt Juris divini: sed trina Mersio fuit ab Apostolis tradita: ergo est Juris divini, non quidem necessitate *Medii*, sed saltem *Praecepti.*

Resp. *Neg. Maj.* universaliter sumptam. Dantur quidem Traditiones Apostolico-divinae, quarum Apostoli non Authores, sed tantum promulgatores fuere. Sic aliquando loquitur Paulus: *Non ego dico, sed Dominus.* Aliae autem sunt Apostolico-humanae, dum Apostoli nonnulla pro Temporum circumstantiis constituere, uti dum ait Paulus: *Cetera, cum venero, disponam.* Item: *Ego dico, non Dominus.* Sic Augustinus Epist. CXVIII. ad Januarium probat, Eucharistiam nonnisi Jejunis dandam, Traditionis esse Apostolicae, quae tamen juris est solum humani. CA-

CAPUT III.
De Forma Baptiſmi.

Formam Baptiſmi in his conſiſtere verbis, aut æquivalentibus: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* in vulgus notum eſt: quod tum ex Præcepto CHRISTI Matth. XXVIII. fin. tum ex Decreto EUGENII IV. ad Armenos, tum ex perpetua Eccleſiæ Traditione ſatis conſtat. Equidem controverſia quondam fuit Sæculo XII. inter Theologos, an in Formæ prolatione exprimi debeat Actus Ablutionis, nec ſufficiat ſola Ablutio, cum Invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, absque verbo *Baptizo?* HUGO Victorinus, PETRUS Cantor, STEPHANUS Tornacenſis & PRÆPOSITIVUS apud HABERT exiſtimarunt, non requiri expreſſionem verbi, *baptizo.* At contrarium declaravit ALEXANDER III. cap. I. *de Baptiſmo*, his verbis: „ Si quis puerum ter in aqua „ immerſerit *in Nomine Patris & Filii &* „ *Spiritus S. amen*: & non dixerit: *ego* „ *te baptizo &c.* Puer non eſt baptizatus. „ Confirmavit EUGENIUS IV. in ſuo decreto, & ALEXANDER VIII. damnavit anno 1690. hanc ordine 27. Propoſitionem: „ Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac for„ ma collatus: *in Nomine Patris & Filii* 44

„ *& Spiritus S.* prætermiſſis illis: *ego te* „ *baptizo.* „ Hoc Capite inquiritur 1. in varias Hæreticorum baptizandi formulas, ac de Forma Græcorum, male a nonnullis in ſuſpicionem vocata, nonnulla dicam: 2. An ad Valorem requiratur expreſſa SS. Trinitatis, ſeu ſingularum Perſonarum Invocatio, aut ſine hac unquam valuerit?

§. I.

De diverſis Hæreticorum; item Græcorum baptizandi Formulis.

45 Formam Baptiſmi adulterarunt Hæretici plures: ac 1. Tritheitæ, & Gnostici, qui tria Entia, Initii expertia, ſine ulla ad invicem Relatione in Trinitate ſtatuebant. Hunc Errorem in Forma quoque Baptiſmi expreſſerunt, quos damnat Can. Apoſt. XLIX. „ Si quis Epiſcopus, „ aut Presbyter, ſecundum Domini con„ ſtitutionem non baptizaverit *in Nomine* „ *Patris & Filii & Spiritus S.* ſed in tria „ ſine initio Principia, aut in tres Filios, „ aut in tres Paracletos, deponatur. „ Et Concilium Bracarense I. Can. II. „ Si „ quis extra S. Trinitatem alia, neſcio „ quæ, divinitatis Nomina introducit, di„ cens: quod in ipſa divinitate ſit Trini„ tas Trinitatis, ſicut Gnoſtici & Priſci„ lia-

„ lianiſtæ dixerunt, anathema ſit. „ Item VIGILIUS P. R. Epiſt. II. ad *Profuturum*, ſive *Eleutherium*. cap. VI.

II. MENANDER, Diſcipulus SIMONIS 46
Magi, negabat Baptiſmum validum eſſe, niſi in ſuo nomine; (nam Meſſiam ſe profitebatur,) fuiſſet collatus, ut teſtatur TERTULLIANUS de Præſcript. cap XLVI. IRENÆUS L. I. cap. XXI. EPIPHANIUS hæreſ. XXII. THEODORETUS fabul. I. cap. II.

III. ELCESÆI carminibus variis, Dæ- 47
monumque Invocationibus in Baptiſmi adminiſtratione utebantur, ut refert THEODORETUS loc. cit. L. II. c. VII.

IV. MONTANISTÆ, a MONTANO, qui 48
ſe *Paracletum* jactabat, & PRISCILLA MAXIMILLAque mulierculis, ceu vatibus utebatur, oriundi, *in Nomine Patris, & Filii, & Montani, vel Priſcillæ baptizarunt* teſte BASILIO Epiſt. can. I. quibus jungendi ſunt SABELLIANI, Trinitatem in unius Perſonæ anguſtias cogentes, ut loquitur S. HIERONYMUS Epiſt. LIV. ad Marcellam adv. Montanum.

V. MARCESIANI, a MARCO quodam 49
Mago præſtigiatore, VALENTINI Diſcipulo oriundi ſequente utebantur depravata Forma: *In Nomine Ignoti Patris univerſorum, in Veritatem Matrem omnium, & in JEſum, qui deſcendit*, vel, ut vult EU-

SEBIUS H. E. L. IV. cap. XI. *in eum, qui descendit in JEsum ad unionem & redemptionem, communionemque Poteſtatum.*

50 VI. PAULIANISTÆ, a PAULO *Samoſateno*, qui CHRISTI Divinitatem negabat, deſcendentes, cum Perſonas in Trinitate non diſtinguerent, invalida utebantur Forma, quia eorum Baptiſmus pro nullo fuit declaratus a Concilio NICÆNO I. Can. XIX. & teſtatur INNOCENTIUS I. R. P. Epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ C. V. eos *in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. minime baptizaſſe.*

51 VII. EUNOMIANI pro Invocatione SS. Trinitatis baptizabant *in mortem Chriſti.* De AETIANIS idem teſtatur THEODORETUS hæret. fab. L. IV. c. III. quod reprobatur Can. Apoſt. L. „ Si quis Epiſcopus, „ aut Presbyter, non tres merſiones unius „ initiationis, ſeu Baptiſmi fecerit, ſed „ unam merſionem, quæ detur in morte „ Domini: deponatur; non enim dixit „ Dominus: *in mortem meam baptizate*: „ ſed, *euntes docete* &c. „ ANOMÆOS, qui erant ſectatores EUNOMII, hac uſos eſſe forma: *In Nomine Dei increati, & in Nomine filii creati, & in nomine Spiritus ſanctificantis & a creato Filio procreati*, teſtis eſt S. EPIPHANIUS hæreſ. 76. ſed & GREGORIUS Nyſſenus L. II. contra Eunomium affirmat, eum baptizaſſe *in Opificem &*

Crea-

Creatorem, & non ſolum Patrem unigeniti, ſed etiam Deum.

VIII. ARIANOS non ſemper legitima 52
Forma baptizaſſe, ſed Errorem quandoque ſuum eidem inſperſiſſe, ex eo colligitur; quod Concilia & Patres aliquando ab ARIANIS baptizatos, & nunc ad Eccleſiam reverſos, interrogari juſſerint de Symbolo, in quo baptizati fuerint.

IX. Idem dicendum de PHOTINIANIS, 53
quos Concilium ARELATENSE II. Can. 16. decrevit rebaptizari.

X. De BONOSIACIS teſtatur S. GRE- 54
GORIUS Magnus Epiſt. 76. non baptizaſſe *in Nomine SS.* Trinitatis. Vid. Can. *hi vero hæret.* 24. *de Conſecr.* diſt. 4. Qua vero uſi fuerint Forma, non liquet. Suſpicantur nonnulli, eos adhibuiſſe MONTANISTARUM formulam.

XI. Errarunt omnes illi, quos can. 7. 55
Concilii CP. I. & can. 95. TRULLANI, rebaptizandos ſtatuunt. Vid. etiam notas PP. Maurianorum in Epiſt. S. GREGORII M. 61. L. 9. hodie 67.

XII. Errant denique Novatores ho- 56
dierni, LUTHERUS, & Calvinus, qui, cum ſola Fide juſtificari Hominem doceant, ad quam excitandam Sacramenta ſint inſtitu-

ta, consequenter asserunt, Baptismum, quibuscunque verbis datum, valere, etiamsi non detur in Nomine Domini, modo illa verba Fidem excitent in audiente." Ita LUTHERUS de Baptis. Babylon. Cap. de Bapt. & ZWINGLIUS Lib. de vera & falsa Religione.

57 Græci alia utuntur Forma Baptismi, quam Latini; non enim ajunt: *baptizo te*, sed, *baptizatur Servus Christi.* De hac olim dubitabatur inter Theologos, qui putabant Græcos uti Forma deprecatoria: *baptizetur* Servus Christi: sic enim illi legebant: at cessat hæc controversia hodie, cum ex Græcorum Euchologiis, & Ritualibus, a mille annis exaratis, constet, illos non *deprecative*, sed enuntiative baptizare; nam legitur ibidem βαπτίζεται *baptizatur*: non autem optative βαπτιζέσθω *baptizetur*. Sed & si dixissent: *baptizetur* illud non optative, sed imperative sumendum foret. Usi sunt autem hac Forma, ut omnis occasio Schismatis præcluderetur, ne aliqui ex dignitate baptizantis, aut fide, Valorem Baptismi, aut majorem saltem Fructum derivaret. Nam jam primis Apostolorum Temporibus orta quædam fuit inter Christianos æmulatio, quorum aliqui dicebant: *ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ.* Ad quod alludit CHRYSOSTOMUS hom. I. in Act. Apost. ubi animadvertit, Christum non dixisse:

ego vos baptizabo: ſed: *vos autem baptizabimini Spiritu S.* & addit: „ docens nos, „ ut modeſte de nobis ſentiamus, ne quis „ putaret. ab ipſo baptizante dependere „ ſalutem, ſed magis a Chriſto, quia hic „ eſt, qui baptizat per quemcunque Mi- „ niſtrum. „ Utraque, ſive Græcorum, ſive Latinorum, Forma valet; quia ubique Actio Miniſtri, & SS. Trinitatis Invocatio exprimitur. Quamvis autem Latinorum Forma primo apud S. GREGORIUM M. legatur; eam tamen non ille primus invenit, ſed de ea, tanquam apud Latinos ubique uſitata, loquitur.

§. II.

An ad Baptiſmi Valorem requiratur expreſſa SS. Trinitatis Invocatio.

Fuiſſe olim nonnullos, qui docebant, valere Baptiſmum *in Nomine ſolius Chriſti*, colligitur ex libro URSINI Monachi Africani Sæcul. V. quem GENNADIUS Lib. de Script. Eccleſ. cap. XXVII. teſtatur „ ſcripſiſſe adverſus eos, qui rebaptizan- „ dos hæreticos decernant, docentem, „ nec legitimum, nec Deo dignum reba- „ ptizari illos, qui in Nomine vel ſimpli- „ citer CHRISTI, vel in Nomine Patris, & „ Filii, & Spiritus S. quamvis pravo ſen- 58

„ ſu baptizentur: iis autem poſt S. Trinitatis & Chriſti ſimplicem confeſſionem „ ſufficere ad ſalutem manus impoſitionem „ Catholici Sacerdotis. „ De S. AMBROSIO idem ſentit BINGHAM: & plures de Stephano I. R. P.: quos in objectione vindicabo. *Magiſter ſententiarum* L. IV. Diſt. III. docuit valere Baptiſmum in Nomine unius tantum de Trinitate Perſonæ collatum. Div. THOMAS III. P. Q. 66. Art. VI. ait, Apoſtolos ex ſpeciali Chriſti revelatione in primitiva Eccleſia in Nomine Chriſti baptizaſſe, ut ſic magis inclareſceret nomen JEſu.

59 RESOLUTIO. Nunquam valuit Baptiſmus, ſine expreſſa trium Perſonarum S. Trinitatis Invocatione collatus. *Communis.*

PROB. I. ex S. Scriptura. Matth. ultimo Chriſtus expreſſe præcepit Apoſtolis, ut docerent omnes gentes baptizantes eos *in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. docentes, eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Quod Præceptum agnovere Patres, ut infra oſtendam.

60 PROB. II. Act. XIX. „ Cum PAULUS „ veniret Epheſum, inveniretque quos- „ dam diſcipulos, dixit ad eos. *Si Spiri-* „ *tum S. accepiſtis credentes?* „ At illi dixerunt ad eum. „ *Sed ſi Spiritus S. eſt,* „ *audivimus.* „ Ille vero ait: „ *in quo ergo* „ *ba-*

„ *baptizati estis?* „ ex quo non obscure colligitur, in Baptismo ab Apostolis conferri solito, non solius CHRISTI, sed & *Spiritus S.* factam fuisse *expressam* mentionem.

PROB. III. ex Traditione. Can. Apost. 61
48. & Const. Apost. L. III. cap. XVI. item L. VII. cap. XXII. præcipitur nominatim Invocatio trium Personarum. Concilium ARELATENSE I. anno 314. celebratum can. VIII. de Afris, præcipit, ut rebaptizentur, qui baptizati non fuerint *in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Concilium NICÆNUM I. Can. VIII. decernit, non esse rebaptizandos CATHAROS, seu, NOVATIANOS: contra can. XIX. jubet rebaptizari PAULIANISTAS: Rationem reddit INNOCENTIUS I. Epist. 22. quia PAULIANISTÆ in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. minime baptizabant, & NOVATIANI iisdem tremendis, venerandisque nominibus baptizabant. Legantur etiam constitutiones Pontificum can. XXX. LXXVIII. LXXIX. LXXX. & sequentes Dist. 4. de Consecrat.

PROB. III. Ex SS. PP. Antiquissimis. 62
TERTULLIANO de Bapt. cap. XIII. „ Lex „ tingendi imposita est, & forma præ„ scripta, *Ite*, inquit, *docete omnes gen*„ *tes &c.* „ & Lib. contra Praxeam cap. XXVI. „ novissime mandans, ut tinge-

rent

„ rent in Patrem & Filium & Spiritum S. non in unum, nec semel, sed ter ad singula Nomina in singulas personas tingimur. De Præscript. c. 20. CYPRIANUS Epist. ad Jubajanum ex instituto docet, non valere Baptismum in solo Nomine Christi collatum, eoquod *Christus gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate.* OPTATUS Milevitan. Lib. V. „ Christi vox est, qui semel lotus est, non „ habet iterum necessitatem lavandi, quia „ est mundus, & de eo lavacro pronun„ tiavit, quod de Trinitate celebrandum „ esse mandaverat.. De aqua sancta, quæ „ de Trium Nominum fontibus inundat. „ S. ATHANASIUS Epist. ad Serapion. „ Qui „ aliquid de Trinitate detrahit, & in solo „ Patris, aut Filii Nomine baptizatur, „ aut sine Spiritu in Patre, & Filio; nihil „ accipit, sed vacuus, nec initiatus ipse, „ & ei, qui dare videtur, manet. Si„ quidem initiatio non nisi in Trinitate „ sita est. „ Et Orat. V. contra Arianos. „ Sanctum Baptisma, in quo totius „ Fidei nostræ posita est constitutio, non „ in Verbum, sed in Patrem, Filium, & „ S. Spiritum datur. „ S. BASILIUS Lib. de Spiritu S. cap. XII. quem immerito VOSSIUS, & PETAVIUS adversæ Parti adnumerant, sic scribit: „ Perfectus non „ est Baptismus, in quo solum nomen „ Spiritus invocatur.. In Baptismo sepa„ rare Spiritum a Patre, & Filio, ut pe-

„ ri-

„ riculoſum eſt baptizanti, ita inutile eſt „ Baptiſmum accipienti; ſicut enim credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum „ S. ſic & baptizamur in Nomine Patris, „ & Filii, & Spiritus S. „ S. AMBROSIUS L. de Myſteriis cap. IV. „ Niſi baptizatus fuerit in Nomine Patris, & Filii „ & Spiritus S. remiſſionem non poteſt „ accipere Peccatorum. „ Omitto alios apud BINGHAM legendos: addo VIGILIUM Epiſt. II. ad Eutherium. „ Si quis Epi„ ſcopus, aut Presbyter juxta Præceptum „ Domini non baptizaverit in Nomine Pa„ tris, & Filii, & Spiritus S. ſed in una „ Perſona Trinitatis, aut in tribus Patri„ bus, aut in tribus Filiis, aut in tribus „ Paraclitis, projiciatur de Eccleſia. „

OBJIC. I. Apoſtoli baptizarunt in ſo- 63
lius CHRISTI Nomine. Atqui iſte Baptiſmus valuit. *Ergo* &c. *Maj. prob.* Act. II. ait PETRUS. *Baptizetur unusquisque veſtrum in Nomine JEſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum.* Ibidem cap. VIII. cap. X. & cap. XIX.

RESP. Baptizarunt in Nomine JESU CHRISTI, absque reliquarum Perſonarum Invocatione. *Nego.* Baptiſmo Chriſti, ad Diſtinctionem Baptiſmi Joannis, id eſt, Ritu a CHRISTO præſcripto. *Conc.* Nam, ut ait EULOGIUS apud PHOTIUM in Bibliotheca Cod. 280. „ In Chriſto Jeſu bapti„ zari, ſignificat, ſecundum Præceptum

„ &

„ & Traditionem JEſu Chriſti baptizari,
„ hoc eſt, in Patre, & Filio, & Spiritu
„ Sancto. „ Et Basilius num. præc. cit.
ait. „ Nemo vero in fraudem inducat il-
„ lud Apoſtoli, qui nomen Patris, & Spi-
„ ritus S. mentionem in Baptiſmatis com-
„ memoratione frequenter omittit, neque
„ ideo putet harum vocum uſum eſſe in-
„ differentem..... Siquidem Chriſti Ap-
„ pellatio, totius Deitatis eſt Profeſſio,
„ quippe quæ ſimul declarat, & Deum,
„ qui unxit, & Filium, qui unctus eſt,
„ & Spiritum S. qui eſt unctio. Quem-
„ admodum a Petro in Actis didicimus:
„ *JEſum Nazarenum, quem unxit Deus in*
„ *Spiritu S.* videtur attamen interdum &
„ Spiritus tantum in Baptiſmate mentio-
„ nem feciſſe Apoſtolus: *Omnes*, inquit,
„ *in uno Corpore, & in uno Spiritu bapti-*
„ *zati ſumus*... At non ideo quis dixe-
„ rit, perfectum eſſe Baptiſma, in quo
„ ſolum Spiritus Nomen invocatum eſt:
„ oportet enim inviolabilem manere Tra-
„ ditionem. „ Vid. etiam Facundus Her-
„ mianeſ. Lib. I. p. 22.

64 Objic. II. S. Stephanus I. R. P. decrevit adverſus rebaptizantes, valere Baptiſmum in ſolo Chriſti Nomine collatum. *Ergo* &c. *Ant. prob.* I. Stephanum in Epiſtola ad Jubajanum exarata, & poſtea Cypriano communicata, ita definiiſſe, teſtatur Cyprianus Epiſt. ad eundem Juba-

ja-

janum 73. „ Quomodo ergo quidam di-„ cunt, foris, extra Eccleſiam, imo & „ contra Eccleſiam, modo in Nomine JE-„ ſu Chriſti, ubicunque, & quomodocun-„ que gentilem baptizatum remiſſionem „ peccatorum conſequi poſſe: quando ipſe „ Chriſtus gentes baptizari jubeat in ple-„ na & adunata Trinitate? „ Loquitur hic CYPRIANUS de Adverſario STEPHANO, nec eſt credibile, hunc S. Doctorem ſiniſtram Doctrinam Summo Pontifici voluiſſe affingere. *Ant. prob.* 2. STEPHANUS probavit Baptiſmum MARCIONIS; at hic baptizabat in *ſolo* CHRISTI nomine; quia non credebat in Patrem, Rerum omnium Creatorem. *Ergo. Maj. prob.* ex CYPRIANO *in cit. Epiſt.* „ Plane quoniam inve-„ *ni in Epiſtola*, cujus Exemplum ad me „ transmiſiſti, ſcriptum eſſe, quod quæ-„ rendum non ſit, quis baptizaverit, „ quando is, qui baptizatus ſit, accipere „ Remiſſam Peccatorum potuerit, ſecun-„ dum quod credidit, prætereundum hunc „ locum non putavi, maxime, cum in „ eadem Epiſtola animadverterim, etiam „ Marcionis fieri mentionem, ut nec ab „ ipſo venientes dicat baptizari oportere, „ quod jam in Nomine JEſu Chriſti ba-„ ptizati eſſe videantur. „

RESP. ad I. CYPRIANUS non dicit, quod STEPHANUS ita ſentiat, ſed reſpondent alii, aut non perveniſſe ad CYPRIANUM genuinum Exemplar Epiſtolæ

STE-

STEPHANI, aut hunc S. D. mentem STEPHANI non fuiſſe aſſecutum. Hoc unum enim voluit Romanus Pontifex, nullam Hæreſin obeſſe Valori Baptiſmi, modo in Nomine CHRISTI, id eſt, Ritu a CHRISTO præſcripto cum invocatione SS. Trinitatis fuerit collatus. Decretum Stephani exſtat in Epiſtola CYPRIANI ad Pompejum: „ Si quis ergo a quacunque hæ-
„ reſi venerit, nihil innovetur, niſi quod
„ traditum eſt, ut manus illi imponatur
„ in pœnitentiam; cum ipſi hæretici pro-
„ prie ad ſe venientes non baptizent, ſed
„ communicent tantum. „ Ubi nulla mentio Baptiſmi *in ſolo Chriſti Nomine.* Firmatur Reſponſio ex Epiſtola FIRMILIANI ad CYPRIANUM, ubi ſententiam Stephani ita refellere nititur: „ Sed in multum
„ proficit Nomen Chriſti ad fidem & Ba-
„ ptiſmi Sanctificationem, ut quicunque,
„ & ubicunque, in Nomine Chriſti ba-
„ ptizatus fuerit, conſequatur ſtatim gra-
„ tiam Chriſti, quando huic loco brevi-
„ ter occurri poſſit & dici: quoniam ſi
„ in Nomine Chriſti valuit foris Baptiſma
„ ad purgandum, in ejusdem Chriſti No-
„ mine valere illis potuit & manus impo-
„ ſitio ad accipiendum Spiritum S. . . .
„ Illud quoque abſurdum, quod putant,
„ quærendum non eſſe, quis ſit ille, qui
„ baptizaverit, eoquod qui baptizatus ſit,
„ gratiam conſequi potuerit, *invocata Tri-*
„ *nitate Nominum Patris, & Filii, & Spi-*

ritus

„ *ritus S.* &c. „ Ex quibus colligitur, Firmilianum probe perſpexiſſe, Stephanum per *Baptiſmum in Nomine Chriſti*, intellexiſſe Baptiſmum, cum expreſſa Invocatione SS. Trinitatis, a quocunque collatum, valere.

Resp. ad *prob.* 2. Si Stephanus docuit, valere Baptiſmum Marcionis; conditionate ſcripſit, nimirum, ſi cum Invocatione SS. Trinitatis fuerit collatus: quo ſenſu hoc ipſum docuit Augustinus Lib. III. contra Donatiſtas cap. XV. Natalis Alexander reſpondet, Cyprianum æſtu contentionis abreptum, perverſum ſenſum Epiſtolæ S. Stephani affinxiſſe; ex eo enim, quod Stephanus ſcripſerit, valere Baptiſmum a quocunque, etiam hæretico, collatum, Cyprianus erronee intulit, a Stephano etiam illum Baptiſmum probari, qui ſine verbis Evangelicis fuiſſet collatus. At in hoc falli potuit Cyprianus.

Objic. .III S. Hilarius Pictavienſis 65
Lib. de Synodis docet, valuiſſe Baptiſmum ab Apoſtolis in Chriſti Nomine collatum, ſic enim ſcribit; „ Ne poſtremo Apo„ ſtoli reperiuntur in crimine, qui bapti„ zare in Nomine Patris, & Filii, & Spi„ ritus S. juſſi, tantum in nomine JEſu „ baptizaverunt. „

Resp. S. Hilarius cit. loco adducit repugnantes ad ſpeciem inter ſe Evange-

liorum, & Actuum Apostolorum Textus, & probat, non ideo illos esse expungendos, quia apparens illa contradictio pravis opinionibus ansam dare potest: & ex hoc Principio infert, vocem ὁμοούσιον non ideo esse expungendam, quia nonnulli illam in pravos sensus detorquent. Integer textus sic habet: „ Pereant quoque (si videtur „ quod non ego dixerim, sed responsionis „ necessitas) omnia illa & sancta Evange„ lia salutis humanæ: ne se contraria di„ ctorum opinione compugnent: ne mis„ surus Dominus Spiritum S. ipse de Spi„ ritu natus intelligatur: ne mortem & „ gladium denuntians usuris, emi gladium „ passurus indicat: ne ad inferos descen„ surus, in Paradiso sit cum latrone: ne „ postremo Apostoli &c., ut in Objectione. Itaque S. Hilarii sensus est: etiamsi videatur esse contradictio inter Evangelium, & Acta Apostolorum, quoad Formam Baptismi; revera tamen contradictio non est; quia licet dicantur Apostoli baptizasse in Nomine Christi: non sequitur, baptizasse in *solo* Nomine Christi sine invocatione reliquarum Personarum.

66 Objic. IV. S. Ambrosius Lib. I. de Spiritu S. cap. III. docet: „ Quemadmo„ dum si unicum in Sermone comprehen„ das, aut Patrem, aut Filium, aut Spi„ ritum S.; fide autem nec Patrem, nec

„ Fi-

„ Filium, nec Spiritum S. abneges, ple-
„ num eſt fidei Sacramentum; ita etiam
„ quamvis & Patrem, & Filium, & Spi-
„ ritum S. dicas, & aut Patris, aut Filii,
„ aut Spiritus Sancti minuas Poteſtatem,
„ vacuum eſt omne Myſterium . . . Si
„ Chriſtum dicas; & Patrem, a quo un-
„ ctus eſt, & ipſum, qui unctus eſt Fi-
„ lius, & Spiritum S. quo unctus eſt, de-
„ ſignaſti. „

Resp. S. Ambrosium non loqui de *Forma* Baptiſmi, ſed de *Fide* ſuſcipientis; ſolebat enim baptizandus ad ſingulas Merſiones interrogari: *Credis in Patrem? credis in Filium? credis in Spiritum Sanctum?* jam ſi baptizatus reſponderit: *credo in Chriſtum*, videbatur Ambrosio fidem ſuam ſufficienter expreſſiſſe, & Baptiſmum tam quoad Valorem, quam Fructum ſuſcepiſſe. Alioquin ſi Ambroſius loqueretur de Forma Baptiſmi a baptizante prolata, ſequeretur invalidum fore Baptiſmum ab illo collatum, *qui quidem Patrem, & Filium, & Spiritum S. dicit, ſed tamen aut Patris, aut Filii, aut Spiritus S. poteſtatem minuit*, id eſt, Fidem rectam intus non habeat: quod de Ambbosio nemo dixerit. Mens hujus S. Patris præter textum pro nobis N. 62. citatum, colligitur ex Lib. de Sacram. cap. V. ibi: „ Venit Sacerdos;
„ precem dicit ad Fontem; invocat Pa-
„ tris Nomen, Præſentiam Filii & Spiri-
„ tus S. utitur verbis cœleſtibus. Cœle-

„ ſtia verba quæ ſunt? quod baptizamus „ *in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Et cap. VII. „ In uno autem nomine baptizare nos juſſit, hoc eſt, *in Nomine* „ *Patris, & Filii, & Spiritus S.* Noli „ mirari, quia dixi *unum nomen*, ubi eſt „ una ſubſtantia, una divinitas, una Ma„ jeſtas. Hoc eſt Nomen, de quo di„ ctum eſt, *in quo oportet omnes ſalvos* „ *fieri.* „

67 Objic. V. Nicolaus P. I. in Reſponſo ad conſulta Bulgarorum, de Baptiſmo a quodam Judæo collato interrogatus, reſpondit: „ Hi profecto, ſi in nomine „ SS. Trinitatis, vel tantum in nomine „ Chriſti, ſicut in Actis Apoſtolorum le„ gimus, baptizati ſunt (unum quippe „ idemque eſt, ut S. exponit Ambroſius) „ conſtat, non eſſe eos denuo baptizan„ dos. „ Ergo Nicolaus probavit Baptiſmum, in *ſolo* Chriſti Nomine collatum.

Resp. Nonnulli Nicolaum explicant, ſicut num. præced. explicavi, S. Ambrosium, quod loquatur de Fide baptizati, non de Forma Baptiſmi. At hoc videtur difficile; non enim erat interrogatus de Fide baptizati, ſed tantum de eo, an valeat Baptiſmus collatus ab aliquo, qui ignorabatur, an fuerit Judæus, vel Chriſtianus. Igitur hac omiſſa ſolutione reſpondeo cum communi, Reſcriptum Pontificis quoad illam ſolum partem eſſe legiti-

timum, qua respondetur ad id, de quo fuerat Quæstio. Cum ergo de Forma nulla fuerat proposita Dubitatio; hinc illa Responsionis Pars de Forma Baptismi tantum obiter solum & incidenter data fuit, & præsumitur perfecta a Pontifice, non ut Doctore publico, sed Persona privata, quo casu humanum quid pati potuit.

Objic. VI. Authoritas S. Bernardi 68
qui Epist. XLIII. alias CXL. interrogatus de Puero, quem ob Periculum Mortis Laicus baptizaverat his verbis: *Baptizo te in nomine Dei & veræ Crucis*, respondit: „ Ego vero hunc baptizatum puto, nec „ sonum Vocis Veritati Fidei, & Pietati „ Intentionis, præjudicare debuisse. „

Resp. Nonnulli in dubium vocant istam S. Bernardi Epistolam. Sed dato, esse genuinam; ille hanc singularem suam Opinionem protulit, *sine Præjudicio*, ut modeste ait, *sanius sapientis*.

CAPUT IV.

De Miniſtro Baptiſmi.

69 Baptiſmus vel confertur ſolenniter, ſecundum præſcriptos ab Eccleſia Ritus: vel in caſu Neceſſitatis absque ullis Ceremoniis: Pro hac Diverſitate alii quoque ſunt Miniſtri: *Primo* itaque agam de Miniſtro Baptiſmi ſolennis quoad licitam, *ſecundo* de Miniſtro Neceſſitatis, quoad validam hujus Sacramenti adminiſtrationem. Ubi etiam de Baptiſmo Hæreticorum. *Tertio* oſtendam, qua ratione Patres rebaptizantes ab Hæreſi excuſari poſſint.

§. I.

De Miniſtro Baptiſmi ſolennis.

70 Quamvis ad Subſtantiam Baptiſmi nil requiritur præter Ablutionem, cum Aqua naturali, & Formam debitam, cum Intentione ſeria prolatam; ut tamen licite in caſibus ordinariis adminiſtretur, neceſſe eſt, ut Ritus ab Eccleſia præſcripti, jam inde ab Apoſtolorum ævo deſcendentes, accurate ſerventur: cujusmodi eſt Exorciſmus, abrenuntiatio Diaboli, adhibitio Sponſorum, unctio verticalis, & alia in Rituali Romano, ac Diœceſano deſcripta,

pta, quæ omnia Baptiſmum ſolennem conſtituunt. De cujus Miniſtro ordinario, & extraordinario hic agendum.

Resolutio I. In prima Eccleſia Mi- 71
niſter *ordinarius*, & præcipuus Baptiſmi *ſolennis* fuit ſolus Epiſcopus: Presbyteri erant quidem aliquando ordinarii, ſed tamen ab Epiſcopo dependentes: Diaconi ex conceſſione Epiſcopi erant Miniſtri *extraordinarii*.

Prob. I. Pars. Apoſtoli, quorum ſucceſſores ſunt Epiſcopi, a Chriſto accepere Poteſtatem, ac Præceptum baptizandi. Hinc ſcribit S. Ignatius in Epiſt. genuina ad Smyrnenſes N. 8. „ Non licet ſine „ Epiſcopo neque baptizare, neque Aga„ pen celebrare, ſed quodcunque ille pro„ baverit, hoc & Deo gratum eſt. „ Tertullianus Lib. de Baptiſ. cap. XVII. „ Dandi quidem Baptiſmi jus habet Sum„ mus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus: de„ hinc Presbyteri, non tamen ſine Epi„ ſcopi Authoritate, propter Eccleſiæ ho„ norem, quo ſalvo, ſalva Pax eſt. „ Cyprianus de exhortat. Martyrii præfat. „ Nos tantum, qui Domino permittente „ primum Baptiſma credentibus dedimus, „ ad aliud quoque præparemus. „ Refert Theodoretus H. E. L. I. cap. XXVII. Constantinum M. Macario Jeroſolimitano Epiſcopo pretioſam donaſſe ſtolam, ut ea amictus Baptiſmi miniſterium obiret.

ret. Ex quo innuitur, illo adhuc tempore Episcopos communiter Baptismi Ministerio perfunctos fuisse. AMBROSIUS de Sacram. Lib. III. cap. I. „ Licet Presby-
„ teri fecerint, tamen Exordium Ministe-
„ rii a Summo est Sacerdote. „ HIERONYMUS Dial. adv. Luciferianos. „ Eccle-
„ siæ Salus in Summi Sacerdotis dignitate
„ ac veneratione consistit, cui si non ex-
„ ors quædam, & ab omnibus eminens
„ detur Potestas, tot in Ecclesiis efficien-
„ tur Schismata, quot Sacerdotes. Inde
„ ideo venit, ut sine Chrysmate, & jus-
„ sione Episcopi neque Presbyter, neque
„ Diaconus, jus habeant baptizandi. „

72 Ratio petitur ex eo; quia in prima Ecclesia Confirmatio plerumque conjungebatur cum Baptismo; cum ergo, saltem in Ecclesia Latina, Ministri ordinarii Confirmationis nunquam fuerint Presbyteri, sed soli Episcopi: & raro admodum Presbyteris concessa legatur Potestas confirmandi; hinc ipsi Episcopi isto baptizandi, simulque confirmandi munere communiter functi fuere.

73 PROB. II. Pars. Postquam dilatata fuit Ecclesia, saltem in remotioribus ab urbe Episcopali locis, Presbyteris & Diaconis facta fuit Potestas solenniter administrandi Baptismum, ut patet tum ex cit. jam textibus, tum etiam ex HIERONYMO, qui loco

loco allegato ait: „ Non quidem abnuo, „ hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut „ ad eos, qui longe in minoribus urbi„ bus, in villulis, & Castellis, & remo„ tioribus locis per Presbyteros & Dia„ conos baptizati &c. „ Concilium IL„ LIBERITANUM can. 77. „ Si quis Dia„ conus regens Plebem sine Episcopo, vel „ Presbytero aliquos baptizaverit, Episco„ pus eos per benedictionem *perficere*, id „ est, confirmare debebit. „ Quo quidem ex Canone colligitur, Diaconos illo tempore in Hispania fuisse Ministros quasi ordinarios, forte ob Defectum Sacerdotum, occasione Persecutionis, quæ hoc Concilium antecessit. Idem dicere videtur S. CYRILLUS *Hierosolym.* Catech. 17. ubi *Catechumenos* monet, „ ut tempore re„ cipiendi Baptismum ad Episcopum acce„ dant, aut Presbyterum, aut Diaconum „ adeant: ubique enim gratiam accipi & „ in oppidis & civitatibus, & apud Idio„ tas, & apud Eruditos, & apud Servos, „ & apud Liberos: non enim ex homini„ bus esse eam gratiam, sed donum a „ Deo per homines. „ Vid. etiam can. 46. al. 38. & can. 47. al. 39. inter Apostolicos. Constitutiones Apostolicæ L. III. cap. XI. quamvis Clericis inferioribus, quo nomine ibi etiam comprehenduntur Diaconi, inhibeant baptizare, solisque Episcopis eam Potestatem (ordinariam) faciant: & Lib. III. c. 20. L. VIII. c. 28.

 no-

nominatim Diaconos excludant: attamen L. VIII. c. 46. id eis permittunt ex Conceſſione Epiſcopi. „ Si Philippum Diaconum, & Ananiam fidelem fratrem, quidam cauſantur: quod ille quidem Eunuchum baptizavit, hic vero Paulum; ii non intelligunt, quæ dicimus: ſi quidem inquimus, neminem ſibi rapere ſacerdotalem dignitatem, ſed vel a Deo accipere, ut Melchiſedecus & Jobus: vel a Pontifice, ut Aaron a Moyſe. Igitur etiam Philippus, & Ananias non ſe ipſos conſtituerunt, ſed electi ſunt a Chriſto Pontifice, Deo incomparabili. „ GELASIUS P. I. Epiſt. IX. „ Absque Epiſcopo, vel Presbytero, baptizare non præſumat Diaconus: niſi prædictis fortaſſe officiis longius conſtitutis neceſſitas extrema compellat, quod & Laicis Chriſtianis facere plerumque conceditur. „ ISIDORUS Hiſpal. de Offic. L. II. cap. 24. „ Conſtat, Baptiſma ſolis Sacerdotibus eſſe tractandum, ejusque Miniſterium nec ipſis Diaconis explere eſt licitum absque Epiſcopo vel Presbytero: niſi his procul abſentibus ultima languoris neceſſitas cogat, quod & Laicis fidelibus plerumque permittitur. „ Et THEODORETUS in Paralipom. cap. XXIX. q. I. „ Quum abeſt Presbyter, & urget neceſſitas, neceſſe habet etiam Diaconus ei, cui opus eſt, exhibere Baptiſmum. „

RE-

Resolutio II. Clerici inferiores & Laici, nunquam fuere Miniſtri, nequidem *extraordinarii*, Baptiſmi ſolennis. 74

Prob. I. Pars. Conſt. Apoſt. Lib. III. cap. XI. expreſſe cautum legitur. „ Neque reliquos Clericos Baptiſmum conferre volumus, veluti Lectores, aut Pſaltas, aut Janitores, aut Miniſtros, niſi ſolos Epiſcopos, aut Presbyteros, miniſtrantibus Diaconis. Qui autem id præſumpſerint, Coritarum pœnas ferent. „

Prob. II. Pars ex iisdem Conſt. Apoſt. loc. cit. cap. X. „ Non permittimus Laicis quamlibet Sacerdotalium functionem uſurpare, ut Sacrificium, vel Baptiſma, vel impoſitionem manus, vel Benedictionem tum parvam tum magnam. Nec enim quisquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur a Deo. Nam per impoſitionem manuum Epiſcopis datur hæc dignitas. Qui autem eam non habet ſibi commiſſam, ſed ſibi illam rapuit, Oziæ ſupplicium ſuſtinebit. „ Quod vero in caſu Neceſſitatis Baptiſmum *non ſolennem* conferre poſſint tam Clerici, quam Laici, mox dicam: ubi tantum obſervandum, illo caſu Neceſſitatis ſervandum eſſe quemdam ordinem, ut præſente Clerico non baptizet Laicus: præſente Viro non tingat Mulier. 75

§. II.

§. II.

De Ministro Baptismi Necessitatis.

76 Quæri hic potest, an in Necessitatis casu valide, & licite conferatur Baptismus a Laicis Catholicis, an quoque a fæminis. Utrumque affirmant Catholici. At inter Protestantes non ita pridem fuit agitata Controversia de Baptismo Laicorum, validus ille sit, & licitus, an contra, sublata necessitate repetendus? Calvinus apud JUENIN docuit, illicitum esse a Laicis etiam in Necessitate collatum Baptismum. Idem testatur Arcudius de Græcis, & Russis: malle illos absente Presbytero infantes sine Baptismo e Vita decedere, quam eos salutari lavacro abluere, quod existiment, sibi Laicis, ne in Necessitate quidem, licere hoc munere fungi. De Baptismo Hæreticorum dicemus §. proximo.

77 RESOLUTIO I. Baptismus a Laico in Necessitate valide & licite confertur.

PROB. ex Traditione Ecclesiæ, quæ Baptismum Laicorum pro valido semper agnovit, nec unquam repetendum judicavit: sicut tamen dubitatum aliquando fuit de Baptismo Hæreticorum, & Infidelium. *Ergo. Ant.* prob. TERTULLIANUS de Baptis.

ptiſ. cap. XVII. *Dandi Baptiſmi etiam Laicis jus eſt; quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt.* Sæculo poſt TERTULLIANUM proximo Concilium ILLIBERITANUM can. 38. ſtatuit: „ Placuit peregre „ navigantes, aut ſi Eccleſia in proximo „ non fuerit, poſſe fidelem, qui lavacrum „ ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptizare in neceſſitate Infirmitatis poſitum Cathecumenum. „ Idem probatur ex facto ATHANASII tunc adhuc Laici, Pueros baptizantis. HIERONYMUS dialog. contra Lucifer. „ Sine Chryſmate „ & Juſſione Epiſcopi neque Presbyter, „ neque Diaconus Jus habet baptizandi: „ quod frequenter (ſi tamen neceſſitas co„ git) ſcimus etiam licere Laicis. „ Ita quoque AUGUSTINUS apud Gratian. cap. XXI. diſt. IV. de Conſecr. & can. 36. ibidem & Lib. II. contra Parmen. cap. XIII. „ Si Laicus aliquis pereunti dederit, ne„ ceſſitate compulſus, quicquid ipſe acce„ perit, dandum eſſe addidicit, neſcio an „ pie quisquam dixerit eſſe repetendum. „ Nulla enim neceſſitate ſi fiat, alieni mu„ neris uſurpatio eſt: ſi autem neceſſitas „ urgeat, aut nullum, aut veniale delictum „ eſt. „ Denique GELASIUS Epiſt. IX. ad Epiſcopos Lucanos cap. IX. & ISIDORUS n. 73. allegati.

OBJIC. I. S. CHRYSOSTOMUS de Sacerdot. Lib. III. cap. V. ſolis Sacerdotibus 78

tri-

tribuit Potestatem baptizandi, exclusis Diaconis & Laicis: sic enim ait: „ Manifesta dementia est, despicere tantum istum „ principatum, sine quo neque salutis, „ neque promissorum bonorum compotes „ fieri possumus. Nam si non potest in „ Regnum Cœlorum ingredi, nisi per „ aquam & Spiritum regeneratus fuerit: „ & qui non manducat Carnem Domini, „ & Sanguinem ejus non bibit, æterna „ vita privatur: omnia autem hæc non „ aliter, quam per sacrosanctas illas ma„ nus perficiuntur, manus inquam Sacer„ dotum: qui fiet, ut citra illorum opem „ aut gehennæ ignem evitare quis possit, „ aut reposita in Cœlo prœmia assequi. „ Ubi innuere videtur, in tantum necessariam esse Sacerdotis actionem ad administrandum Baptismum, quantum ad conficiendum Corpus Domini: atqui hoc ne in necessitate quidem quisquam præter Sacerdotium potest: ergo neque baptizare.

Resp. Chrysostomum velle, non posse alios, nisi Sacerdotes, in ordinariis casibus baptizare: secus sequeretur, neque valere Baptismum a Diaconis collatum, quod est contra Chrysostomum. qui homil. 61. scribit: „ Si enim necessitas fuerit, & inveniatur Infans nondum tinctus, & morti vicinus; Diacono eum tingere licet. „

Objic.

OBJIC. II. Cyprianus, Firmilianus, 79
Basilius M. Epist. ad Amphiloch. can. I. Laicos inhabiles declarant ad conferendum Baptismum. „ Hæretici & Schismatici, „ ait hic, ab Ecclesia abrupti sunt, Laici „ effecti, adeoque nec baptizandi, nec or„ dinandi habent potestatem, ut qui non „ possint amplius Spiritus S. gratiam aliis „ quoque præbere, a qua ipsi exciderunt. „ Quare eos, qui ab ipsis baptizati sunt, „ tanquam a Laicis baptizatos oportet ad „ Ecclesiam venientes, vero Ecclesiæ Ba„ ptismate expurgari. „ Atqui Laici nullo modo ordinarie possunt: ergo nullo modo baptizant valide.

RESP. Cum Patres illi fuerint e Numero rebaptizantium, qui negabant Valorem *Baptismi, ab* Hæretico collati; facile etiam in alterum Errorem potuerunt prolabi, Valorem Baptismi solis Sacerdotibus, & Diaconis, alligantes. Cum vero, ut infra ostendam, Quæstionem hanc, ad Disciplinam, non autem ad Dogma Ecclesiæ, pertinere fuerint arbitrati, monuerunt, quemque posse sequi Consuetudinem suæ Ecclesiæ.

RESOLUTIO II. Valet quoque Bapti- 80
smus, a Mulieribus in necessitate collatus. Contra BINGHAMUM.

PROB. Concilia, & Patres Num. 77. citati, universaliter ajunt, valere Baptismum, in Necessitate a Fideli Laico col-

la-

latum, nec Mulierem excludunt. S. AUGUSTINUS loc. cit. contra Parmen. c. 13. ait: „ Etsi nulla necessitate usurpetur, & „ a quolibet cuilibet detur; quod datum „ fuerit, non potest dici, non datum, „ quamvis recte dici possit illicite datum. „ Item de Bapt. Lib. VII. cap. LIII. non dubitat affirmare, „ habere eos Baptismum, „ qui ubicunque, & a quibuscunque, *il-* „ *lum* verbis Evangelicis consecratum, sine „ sua Simulatione, & cum aliqua Fide, „ accepissent. „ OPTATUS contra Parmen. Lib. V. ait: „ In quo baptizarentur gen- „ tes; a Salvatore mandatum est: per „ quem baptizentur; nulla exceptione di- „ scretum est. Non dixit Apostolis: *Vos* „ *facite, alii non faciant.* Quisquis in No- „ mine Patris, & Filii, & Spiritus S. ba- „ ptizaverit, Apostolorum opus imple- „ vit. „

81 OBJIC. I. Non nisi Hæretici MARCIONITÆ, COLLYRIDIANI, PEPUZIANI, CATHOPHRYGES, MONTANISTÆ, Fæminis Jus baptizandi asseruerunt. *Ergo.*

RESP. Hæretici illi nimium Fæminis tribuebant, nimirum *Jus ordinarium* docendi, baptizandi, Sacerdotii: quod utique erroneum. Nos tantum in Casu Necessitatis, & nullo alio præsente baptizandi Potestatem eis asserimus.

OBJIC.

OBJIC. II. TERTULLIANUS expreſſe hoc Jus illis denegat Lib. de Baptiſ. cap. XVII. Poſtquam enim Laicis conceſſerat, ait: „ Petulantia autem Mulieris, quæ uſurpa- „ vit docere, utique non etiam tingendi „ jus ſibi pariet? niſi ſi quæ nova Beſtia „ evenerit, ſimilis priſtinæ (Quintillam „ indigitat, contra quam totum librum „ ſcripſit) ut quemadmodum illa Bapti- „ ſmum auferebat, ita aliqua *per ſe* eum „ conferat. Quod ſi quæ Paulo perperam „ adſcripta ſunt, (Exemplum Theclæ) ad „ licentiam Mulierum docendi, tingendi- „ que defendunt; ſciant in Aſia Presbyte- „ rum, qui eam ſcripturam conſtruxit, „ quaſi titulo Pauli de ſuo cumulans, con- „ fictum atque confeſſum, id ſe amore „ *Pauli feciſſe*, loco deceſſiſſe. Quam „ enim fidei proximum videretur, ut is „ docendi & tingendi daret fæminæ Po- „ teſtatem, qui ne diſcere quidem con- „ ſtante mulieri permiſit? *Taceant*, in- „ quit, *& Domi viros ſuos conſulant.* I. Cor. XIV. „ Item Lib. de Valand. Virg. cap. IX. „ Non permittitur mulieri in „ Eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tin- „ gere, nec ullius virilis Muneris, nedum „ Sacerdotalis officii, ſortem ſibi vindica- „ re. 82

RESP. TERTULLIANUS negat Fæminis Jus baptizandi *ſolenniter*, & *ordinarie*. *Conc.* In extraordinario caſu. *Nego*. Alias ſequeretur, quod fæmina neque privatim poſſit ali-

aliquem inſtruere: cum tamen loco citato expreſſe dicat: „ Alioquin etiam Laicis „ jus eſt; quod enim ex æquo accipitur; „ ex æquo dari poteſt. „ Ergo Mulier, ſaltem baptizata, ex ratiocinio TERTULLIANI, baptizare poteſt. Dein univerſaliter de Laicis pergit ibidem: „ Domini „ Sermo non debet abſcindi ab ullo. Pro„ inde & Baptiſmus, æque Dei cenſus, „ ab omnibus exerceri poteſt... Sufficiat „ ſcilicet in Neceſſitatibus ut utaris, ſicu„ bi aut Loci, aut Temporis, aut Perſo„ næ Conditio compellit, tunc enim con„ ſtantia ſuccurrentis excipitur, cum ur„ get circumſtantia periclitantis. Quo„ niam reus erit perditi Hominis, ſi ſu„ perſederit præſtare, quod libere potuit. „ Atque eodem modo reſpondeo ad alterum TERTULLIANI Textum.

83 OBJIC. III. Concilium Carthaginenſe IV. can. 100. ſtatuit: *Mulier baptizare non præſumat.* Ita quoque Walafridus Strabo de Offic. cap. 26.

RESP. Concilium CARTHAGINENSE prohibet, ne mulier in Eccleſia tingat, id eſt, *ſolenniter*, & *ordinarie*, præſentibus Sacerdotibus, Clericis, virisque Laicis. Forte enim Mulieres, quando videbant, ſe officio Diaconiſſarum fungi, Sacerdotique in Baptiſmo Mulierum inſervire; etiam ipſum Fœminas baptizandi ſolenniter, & ordinarie, *per ſe*, ut ait TERTULLIANUS, Jus

ſibi

ſibi arrogare volebant: quod TERTULLIANUS, Carthaginenſesque Patres prohibent.

§. III.

De Valore Baptiſmi, ab Hæreticis, Schiſmaticis, vel Infidelibus collati.

Præter nominatos Tom. IX. Num. 305. 84
qui ad Valorem Sacramenti requirebant Fidem Miniſtri, Baptiſmum ſæpius iterarunt HEMEROBAPTISTÆ, qui non bis, ſed ſæpius, eodem quoque die, tingere, & lavare ſolebant: probabile tamen eſt, eos non niſi Phariſaicas lotiones iteraſſe: non autem ſacramentalem. Alii erant CÆLICOLÆ, de quibus Codex Theodoſ. tit. 8. item L. 44. de hæret. ait: „ Donatiſtarum, Hæreticorum, Judæorumque „ nova atque inuſitata detexit audacia: „ quod Catholicæ velint Fidei Sacramen„ta turbare. „ Et AUGUSTINUS Epiſt. 163. ad Eleuſium. „ Jam enim miſera„mus ad Majorem Cœlicolarum, quem „ audiveramus novi apud eos Baptiſmatis „ Inſtitutorem extitiſſe. „ Hæc itaque ex Judæis & Donatiſtis nova conflata hæreſis Anabaptiſmum probavit.

MARCION apud EPIPHANIUM hæreſ. 42. 85
non ſemel, ſed ter, Baptiſmum repeten-

dum censuit; nam cum Virginem in Patria constuprasset, & ingentis Flagitii convictus aufugisset, alterum sibi circumforaneus iste Baptismum adscivit, licere pernuntians, ter omnino aquis elui, ac Baptismo Peccatorum ad condonationem expiari. Istis nonnulli accensent MONTANISTAS: quorum tamen nomine intelligi debent DONATISTÆ, qui ab OPTATO & aliis *Montenses*, *Campitæ*, *Rupetani*, *Cutzupitæ*, nuncupantur, eoquod in montibus & rupibus primo congregari solerent. De Arianis nonnullis testatur S. AUGUSTINUS hæres. 49. *Rebaptizari quoque ab Arianis Catholicos novimus: utrum & Incatholicos, nescio.* Idem de EUNOMIO testatur EPIPHANIUS hæres. 76. „ Iterum baptizat EUNOMIUS, non modo, qui a Catholicis, aut „ aliis hæresibus, sed & eos etiam, qui „ ab ipsismet Arianis deficiunt. „

86 Hodie eundem Errorem retinent Anabaptistæ, quorum Auctor Nicolaus PELARGUS Opera CAROLSTADII, & MUNZERI, Wittenbergæ primum, dehinc in Helvetia, atque Moravia, Sæculo XVI. Sectam sparsit. Quinam autem ex Patribus præter AGRIPPINUM, CYPRIANUM, TERTULLIANUM, Africanos, ac FIRMILIANUM, & DIONYSIUM, Græcos, erroneo rebaptizantium Dogmati faverint, in objectionibus dicetur. Nunc firmandum est Dogma Catholicum.

RE-

RESOLUTIO, Valet Baptiſmus, ab Hæretico, Schiſmatico, aut Infideli, cum debitis conditionibus collatus. *Eſt de Fide.* 87

PROB. I. ex definitione Conciliorum. Concilii Arelatenſis anno 314. can. VIII. ex editione *Sirmondi* ſtatuit: „ De Afris, „ qui propria ſua lege utuntur, ut rebaptizent, placuit, ſi ad Eccleſiam aliqui „ de hac Hæreſi venerint, interrogent eos „ noſtræ fidei Sacerdotes Symbolum: & „ ſi perviderint, in Patre, & Filio, & „ Spiritu S. eos baptizatos, manus eis „ tantum imponatur, ut accipiant Spiritum Sanctum. Quodſi interrogati, non „ reſponderint hanc Trinitatem; baptizentur. „ Concilium NICÆNUM I. can. VIII. CATHAROS, ſive NOVATIANOS, prohibet: contra can. XIX. PAULIANISTAS *præcipit* denuo baptizari; quia hi non ſervabant legitimam Formam. Unde infertur, Baptiſmum, a quocunque Hæretico debite collatum, validum agnoſci a Nicænis Patribus. Idem repetit Concilium LAODICENUM can. VII. & VIII. Concilium CONSTANTINOPOLITANUM I. can. VII. ARELATENSE II. can. XVI. & XVII. TRULLANUM can. VII. &, ut alia taceam, Concilium TRIDENTINUM Seſſ. VII. de Baptiſ. Can. IV.

PROB. II. ex Traditione Patrum, de qua teſtantur 1. STEPHANUS in Reſcripto ad Africanos apud CYPRIANUM: „ Si quis 88

„ ergo a quacunque hæreſi venerit ad „ nos, nihil innovetur, niſi quod tradi- „ tum eſt, ut manus illi imponatur in pœ- „ nitentiam. „ S. AUGUSTINUS Lib. II. de Baptiſ. cap. VIII. de CYPRIANO loquens: „ *Ubique intuens univerſalem, robuſtamque* „ *conſuetudinem.* „ Et cap. VII. *Saluberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia.* cap. IX. *Conſuetudinis robore tenebatur orbis Terrarum.* Lib. IV. cap. VI. ait, CYPRIANUM *egiſſe adverſus totius orbis morem.* Et Lib. II. cap. VII. ait, *hanc conſuetudinem ex Apoſtolica ratione venire.* STEPHANI Decretum innovarunt Pontifices Romani Succeſſores, SIRICIUS Epiſt. ad Hymerium Tarracon. INNOCENTIUS I. Epiſt. ad Victricium Rothomag. Epiſcopum cap. VIII. Denique VINCENTIUS *Lirinenſis* Commonit. adv. hæreſ. cap. VI.

89 Ratio ex Scriptura dari poteſt hæc. Baptiſmus valet, quando eſt cum debitis conditionibus collatus: atqui etiam ab Hæretico ſupponitur debite collatus: ergo valet. Cum enim principalis Miniſter ſit CHRISTUS: *hic eſt, qui baptizat;* nulla Hæreſis, aut Improbitas Inſtrumenti, Valori Sacramenti oberit.

90 OBJIC. I. Nullitas Baptiſmi, ab Hæretico collati, nititur æque Traditione Patrum, & definitione Conciliorum: ergo pro ejus Valore non ſtat univerſalis Tradi-

di-

ditio. *Ant. prob.* quoad I. Partem. Nam pro nullitate Baptiſmi ſtant AGRIPPINUS, TERTULLIANUS, CYPRIANUS, cum tota Africa. Et poſt ipſum OPTATUS Milevitanus, qui licet admiſerit Baptiſmum Schiſmaticorum; Hæreticorum tamen videtur rejicere. FIRMILIANUS Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, DIONYSIUS Alexandrinus: S. BASILIUS Cæſarenſis: ATHANASIUS, CYRILLUS Hieroſolym. & nonnulli alii. *Prob. ant.* quoad alteram partem. Concilium ab AGRIPPINO ex Africæ & Numidiæ Provinciis congregatum, Concilia CARTHAGINENSIA celebrata a CYPRIANO, ICONIENSE in Phrygia, & SYNADENSE, rebaptizandos hæreticos decreverunt. Ergo &c.

RESP. Traditio illa fuit particularis, & *nova*; nullus enim ante AGRIPPINUM in Africa, Baptiſmum Hæreticorum in dubium vocavit, ut expreſſe teſtatur VINCENTIUS in Commonit. cap. VI. & S. STEPHANUS Novitati iſti Traditionem conſtantem oppoſuit. Pauci illi Epiſcopi, in Conciliis particularibus congregati, non fuere infallibiles; iis reſtitit totus Occidens; eorum Error a Donatiſtis innovatus, in Concilio œcumenico NICÆNO I. reprobatus fuit; ipſe denique CYPRIANUS, qui hanc Quæſtionem non ad Fidem, ſed ad Diſciplinam ſpectare arbitrabatur, in Unione Catholica perſtitit, nec propterea Schiſma excitavit, quod fecere poſtea Do-

natistæ, quos ita redarguit S. AUGUSTINUS Lib. II. de Bapt. contra Donat. cap. III. „ Certe nobis objicere soletis Cypriani „ litteras; Cypriani Sententiam; Cypria- „ ni Concilium. Cur autem authorita- „ tem Cypriani pro vestro Schismate as- „ sumitis, & ejus Exemplum pro Eccle- „ siæ pace respuitis? &c. „

91 OBJIC. II. CYPRIANUS, & FIRMILIANUS, opponebant varias Ratiunculas. 1. Sicut est unus Dominus, & una fides; ita unum Baptisma: atqui Hæretici non habent unum cum Catholicis Dominum, qui varia de Deo & Christo confingunt; non habent unam nobiscum fidem. Ergo nec unum nobiscum Baptisma: si autem non est unum nobiscum; ergo nec validum.

RESP. *Disting.* Ita & unum Baptisma, quoad Unitatem Ministri *principalis*, qui est CHRISTUS: *Conc.* quoad Unitatem Ministri *instrumentalis*, ita ut solus Catholicus illam conferre possit. *Nego.* Baptismus *unus* est, si cum debita Forma & Intentione fuerit collatus; quia semper *hic*, id est, CHRISTUS, *est*, *qui baptizat*, sive PETRUS baptizet, sive JUDAS.

92 2. Hæretici non habent Jus in Sacramenta CHRISTI, a quo non sunt missi: ergo invalide ministrant.

RESP.

Resp. *Diſt.* Non habent Jus in Sacramenta, ita ut hoc *licite*, & Poteſtate ordinaria faciant. *Conc.* Ut nec *valide* faciant, poteſtate uſurpatatoria. *Nego.* Ita S. Augustinus Lib. V. de Bapt. cap. VII. „ Nos autem Baptiſmum eos non juſte & „ legitime poſſidere concedimus: non poſ- „ ſidere autem, non poſſumus dicere; „ cum Sacramentum Domini in Evange- „ licis verbis cognoſcimus. „ Baptiſmum ergo *legitimum* habent, ſed non *legitime* habent.

3. Hæretici non poſſunt dare Spiri- 93
tum Sanctum, & remittere Peccata: ergo nec conferre Baptiſmum, cujus Effectus eſt remiſſio Peccatorum, & collatio S. *Spiritus.*

Resp. Nego *ant.* generaliter ſumptum. Poſſunt enim illum dare Parvulis, vel etiam Adultis in neceſſitate, quando in Hæreſi cum Miniſtro non participant, aut invincibiliter ignoratur Miniſtri Infidelitas. Itaque *Diſting.* Non poſſunt dare Spiritum Sanctum, id eſt, *Fructum* Baptiſmi, nempe, gratiam ſanctificantem, & quidem tantum communicantibus in Hæreſi. *Conc.* Non poſſunt dare *Valorem*, ſeu, Characterem, ut Sacramentum remoto obice reviviſcat: vel non poſſunt dare Spiritum Sanctum non communicantibus in Hæreſi, *nego.*

94 4. Sola Ecclesia Catholica, tanquam Sponsa CHRISTI, potest veros generare filios Sponso suo, quod fit per Baptismum. Ergo id non possunt Hæretici; consequenter illorum Baptismus nullus est.

Respondet S. AUGUSTINUS Lib. I. de Baptis. contra Donat. cap. XVI. Hæreticos generare CHRISTO per Baptismum filios, quemadmodum Ancillæ genuerant Patriarchis: „ Sed cum tales a spiritualibus „ evangelizantur, & Sacramentis imbuuntur, tanquam per se ipsam REBECCA „ eos parit, sicut ESAU. Cum autem per „ illos, qui non caste annuntiant Evangelium, tales in populo Dei generantur, „ SARA quidem, sed per AGAR &c. „ Denique universim observandum, Patres rebaptizantes plerumque *valorem* cum *fructu* Baptismi confundere consuevisse: cumque certum esset, non posse quempiam in Hæresi Remissionem Peccatorum consequi, propter Communicationem Hæreseos, inde inferebant, Baptismum ne quidem valere, sicque sinistre capiebant mentem STEPHANI, & Adversariorum.

§. IV.

§. IV.

An ab Hæreſi, gravique Peccato excuſari valeant Patres rebaptizantes.

Non Hæretici ſolum, ſed & Pontificiæ 95
Infallibilitatis impugnatores, ex Cypriani facto ſiniſtras quasdam ſequelas eliciunt. Hæretici quidem inde arguunt, non dari Traditiones divinas, aut certe eas dignoſci ab humanis non poſſe; cum in controverſia de Baptiſmo concordes haud fuerint Patres. Nonnulli alii inde inferunt, Cypriano, & Collegis, haud fuiſſe perſuaſum, Pontificem eſſe Judicem controverſiarum extra Concilium, & in *Fidei* quæſtionibus infallibilem; cum illius Decreto ſe haud ſubmiſerint, & contrariam ſententiam conſtanter propugnaverint, etiam poſt Concilium Nicænum. Inde etiam inferre quis poſſet, non eſſe ſtandum Patrum Authoritati, quorum bene multos, eosque inſignes, in Fidei Quæſtione erraſſe, ex hoc facto colligitur. At vero qui a Præjudiciis liber eſt, potius inde Argumentum deſumet pro Pontificia Authoritate: nam Stephani, etiam extra generale Concilium definientis, ſententiæ Catholicus ſe ſubmiſit orbis; ſubſcripſere poſtea omnia Concilia; & cum errarent Eccleſiæ particulares non paucæ; im-

immobilis perstitit Petra Ecclesiæ Romanæ, utpote Portis Inferi semper prævalitura. Denique ex hoc ipso colligitur, penes Romanos Præsules esse, Traditiones divinas ab humanis secernere: quod cum ex controversia ista de Baptismo, tum antea de Paschate, de Millenario Christi Regno, plurimisque aliis contigisse, in historia Ecclesiastica notissimum est. *Hic* solum inquiritur, an ab Hæresi, vel graviore Crimine excusari possint CYPRIANUS, & Socii, eoquod STEPHANI Decreto fuerint refractarii? & utrum Errorem ante mortem deposuerint?

96 RESOLUTIO I. Patres rebaptizantes ab Hæresi multis rationibus excusari possunt:

Primo, quod hanc Controversiam non ad Dogma Fidei, sed ad Disciplinam pertinere existimaverint, nec Unitatem Ecclesiæ læderint, quod probatur.

Perspectum erat illis Patribus, maxime CYPRIANO, Unitatis Fidei, & Ecclesiæ studiosissimo, quod demonstravit toto Libro *de Unitate Ecclesiæ*, ea, quæ ad Fidem pertinent, non posse variari, & salva Unitate diversis in locis diversa credi: Atqui iidem libenter permiserunt, ut pro Diversitate Temporum, & Locorum, Diversitas quoque toleretur Baptismi; nunc approbando, nunc reprobando Baptismum Hæreticorum: ergo non existimarunt hanc Quæstionem ad Fidem pertinere. *Min. prob.*

prob. FIRMILIANUS Epist. ad CYPRIANUM *ita* scribit: „ Circa celebrandos „ Dies Paschæ, & circa multa alia divinæ rei Sacramenta videat quis esse apud „ Romanos aliquas diversitates, nec observari illis omnia æqualiter, quæ Hierosolymis multa pro locorum & hominum diversitate variantur, nec tamen „ propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace, atque unitate, aliquando discessum „ est. „ Hic FIRMILIANUS Controversiam Baptismi, comparat cum Controversia de Paschate, quæ solum Disciplinam spectabat. Sic quoque CYPRIANUS Epist. ad Jubajanum. „ Hæc tibi breviter pro „ nostra mediocritate rescripsimus, nemini præscribentes, aut præjudicantes, „ *quo minus* quisque Episcoporum quod „ *putaverit*, faciat, habens arbitrii sui liberam facultatem. „ Item Epist. ad Stephanum R. P. „ Ceterum scimus, „ quosdam, quod semel imbiberint, nolle deponere, nec Propositum suum facile mutare, sed salvo inter Collegas „ pacis, & concordiæ vinculo, quædam „ propria, quæ apud se semel sunt usurpata, retinere; qua in re nec nos vim „ cuiquam facimus, aut legem damus; „ cum habeat in Ecclesiæ administratione „ Voluntatis suæ Arbitrium unusquisque „ Præpositus; rationem Actus sui Domino redditurus. „ Eodem modo loquuntur PP. Concilii CARTHAGINENSIS

III.

III. in præfat. Ex quo ſequitur, Romanos, qui admittebant Baptiſmum Hæreticorum, ab Africanis, pro Hæreticis habitos non fuiſſe: quod neceſſarium tamen, ſi Quæſtionem hanc ad Fidem pertinere judicaſſent.

97 Eadem *min. prob.* II. Patres, etiam poſt NICÆNUM I. Concilium rebaptizantes, hanc ſuam mentem eſſe declararunt. Nam BASILIUS M. Epiſcopus Cæſarenſis Epiſt. I. canonica ad Amphiloch. ſcribit; „ Sed quoniam nonnullis Aſiaticis omni- „ no viſum eſt propter multorum *aleoœco-* „ *nomiam*, & *Diſpenſationem* (quæ utique in Fide locum non habet) eorum (NOVATIANORUM) Baptiſmum ſuſcipi, ſuſcipiatur. „ Ibidem: „ Quoniam nihil de „ his aperte dictum; oportet nos eorum „ Baptiſma abrogare. Quod ſi hoc univer- „ ſali *Oeconomiæ* ſit Impedimento futurum; „ rurſus Conſuetudine utendum eſt, & ſe- „ qui oportet Patres, qui, quæ ad nos „ pertinent, providerunt. „ S. AUGUSTINUS in ſuis contra Donatiſtas Libris, rebaptizantium Doctrinam ſæpius vocat *conſuetudinem*, *humanæ fragilitatis Errorem.* ergo non ad Fidem, ſed Diſciplinam Eccleſiæ ſpectare hanc quæſtionem, judicavit AUGUSTINUS. Denique ipſummet Concilium NICÆNUM ita exiſtimaſſe videtur: quia ſecus Afros, & Aſiaticos, in eadem tunc adhuc conſuetudine hærentes, no-

mina-

minatim ut hæreticos damnaſſet: quod tamen factum non fuiſſe, ſat conſtat. Igitur Quæſtio Diſciplinæ tam ante, quam poſt Concilium æſtimabatur.

OBJIC. I. CYPRIANUS Epiſt. 74. ad 98
Pompejum, STEPHANI Sententiam, vocat *Errorem*, aitque Illum Hæreticorum cauſam contra Chriſtianos & contra Eccleſiam Dei aſſerere: At hoc indicat, CYPRIANI Sententiam fuiſſe Eccleſiæ adverſam, adeoque hæreticam. Ergo &c.

RESP. I. Etiam BASILIUS M. eodem ſæpe modo loquitur: quem tamen conſtat, hanc Quæſtionem, non Dogmatis, ſed Diſciplinæ judicaſſe. II. CYPRIANUS de *Veritate* ſuæ Opinionis præoccupatus, undique corradit Scripturæ Textus, ex quibus non *formaliter*, ſed *illative* aſſerit, ſuam Conſuetudinem eſſe conformiorem S. Scripturæ. III. Etiam Aſiatici QUARTADECIMANI ſuam Conſuetudinem ex Scriptura probabant, & Apoſtolorum Traditione; & tamen Controverſia illa ſolum ad Diſciplinam pertinebat.

RESP. IV. *Diſt.* STEPHANI Sententiam vocat Errorem, contra Fidem. *Nego.* contra Eccleſiæ ſuæ Diſciplinam, & Conſuetudinem, quæ a tempore AGRIPPINI in Africa invaluerat. *Conc.*

OB-

99 Objic. II. Ibidem ait: „ Baptisma „ non nisi unum est, quod apud nos „ (Catholicos) est, & intus est, & soli „ Ecclesiæ de divina gratia conclusum est. „ Quæ est ista obstinatio, quæ præsum- „ ptio, *humanam* Traditionem *divinæ di-* „ *spositioni* anteponere? „ Atqui hoc Hæresin insinuat: ergo &c.

Resp. Dicit esse contra divinam Dispositionem, *formaliter*, nego. illative. *Conc.* Quemadmodum sæpius Scholastici suas Sententias ex Scriptura probare solent: etsi eas tanquam Dogmata Fidei revelata non venditent.

100 Objic. III. Idem Cyprianus Epist. ad Jubajanum: „ Proinde frustra qui- „ dem, qui Ratione vincuntur, Consue- „ tudinem nobis opponunt; quasi Consue- „ tudo major sit Veritate, aut non id sit „ in spiritualibus sequendum, quod in me- „ lius fuerit a Spiritu S. revelatum. Igno- „ sci enim potest simpliciter erranti. . . . „ Post Inspirationem vero, & revelatio- „ nem factam, qui in eo, quod errave- „ rat, perseverat prudens & sciens, sine „ venia Ignorantiæ peccat; præsumptio- „ ne enim quadam & obstinatione utitur, „ cum ratione superatur. „ Ex quibus arguitur. Ille suam Sententiam ad Fidem pertinere existimat, qui eam dicit *a Spiritu S. revelatam*: qui contrarium dicit, *Errorem contra Christianos*, & *contra Ec-*

cle-

cleſiam, contra divinam diſpoſitionem, & eſſe *humanam traditionem, divinæ adverſam.* Atqui hæc omnia loc. cit. de ſua Sententia aſſerit CYPRIANUS. Ergo &c.

RESP. Dicit, ſuam Sententiam eſſe melius a Spiritu S. revelatam, id eſt, Scripturæ conformiorem per illationem, ut dictum eſt. Dein cum omnis Veritas, etiam *naturalis*, ſit a Spiritu S. tanquam prima Veritate, cumque CYPRIANUS exiſtimaverit, STEPHANUM eſſe de Veritate convictum, eoquod nullam Rationem ſuæ Sententiæ redderet, ſed ſolam Conſuetudinem opponeret; ideo eundem arguit, quod poſthabita Veritate inhæreret Conſuetudini. Ait enim CYPRIANUS: „ Proinde fruſtra quidam, qui Ratione vincuntur, Conſuetudinem nobis opponunt; quaſi Conſuetudo major ſit Veritate. „ Exiſtimavit ergo CYPRIANUS, ſuam Conſuetudinem eſſe Scripturæ conformiorem, quæ dicit *Unum Baptiſma*: alias CYPRIANUS contrariam aliarum Eccleſiarum Conſuetudinem non toleraſſet, ſi eam contrariam Fidei, & hæreticam judicaſſet.

RESOLUTIO II. Multa ſunt, quæ Pa- 101
tres rebaptizantes, præciſe quod contrariam STEPHANO opinionem defenderent, a graviori culpa excuſare valent.

Prob. I. Patres illi ſibi perſuaſum habebant, hanc non Dogmatis Fidei, ſed Diſciplinæ Quæſtionem eſſe: ex Num. 96. ſeq. itaque arbitrabantur, ſalva Rom. Pontificis Authoritate, licere ſibi juxta propriæ Eccleſiæ Conſuetudinem vivere. Ita namque etiam S. Augustinus de Jejunio ſabbatino ſenſit, relatus can. XI. Diſt. XII. Ita plures ſunt Rituum Differentiæ in Eccleſia orientali, & occidentali, quin Fidei & Communionis Unitatem tollant.

102 Prob. II. Cyprianus non erat primus, nec ſolus, hujus Sententiæ Propugnator; quippe quæ ab Agrippino Anteceſſore ſuo introducta: & Conciliorum tum in Africa, tum in Aſia celebratorum calculis fuerat roborata. Hoc modo Cyprianum Augustinus excuſat Lib. II. de Bapt. contra Donatiſtas cap. VIII. & Lib. I. c. XVIII.

103 Prob. III. Rationibus ad ſpeciem validiſſimis, quas neque Stephanus diſſolverat, ſolam opponens contrariam Traditionem, ſuam Cyprianus tuebatur Sententiam; ut propterea etiam Augustinus fateatur, ſe in ſua nutaturum Sententia, niſi poſt Conciliorum plurium Decreta, *concordiſſima Eccleſiæ Authoritate* fuiſſet commotus.

Prob.

PROB. IV. CYPRIANUS, & Socii, non 104
adeo pertinaciter ſuam propugnabant Opinionem, ut propterea Unitatis vinculum rumperet, quod perpetuo DONATISTIS objicit, & vel ſic quoque CYPRIANUM excuſat AUGUSTINUS Lib. I. cap. XVIII. Lib. II. cap. V. L. 3. c. 19. Lib. IV. c. 8. Inſuper Veritas in nullo adhuc Concilio fuerat *eliquata*: „ ideo Cyprianus Prædeceſſorum & Collegarum ſuorum conſuetudini inhærens *in lectulo auctoritatis* acquievit, „ ut loquitur AUGUSTINUS Lib. II. de Baptiſ. contra Donatiſt. cap. VIII.

PROB. V. Maxime autem ad excuſan- 105
dum Cyprianum & Collegas facit, quod illi, etiam poſt STEPHANI Reſcriptum, inter *Valorem*, & *Fructum* Baptiſmi non ſatis diſtinguentes, arbitrati fuerunt, a STEPHANO Baptiſmum Hæreticorum non tantum *validum*, ſed etiam *fructuoſum* declarari: quo quidem caſu haud dubie erraſſet. In id enim maxime incumbebat CYPRIANUS, ut accitis undique Scripturarum Teſtimoniis oſtenderet, non poſſe extra veram Eccleſiam dari remiſſionem Peccatorum: ideoque STEPHANUM & Romanos redarguit, quod *Effectum Baptiſmi*, *Majeſtati Nominis tribuant*: hinc ait: *Baptizatos apud Hæreticos, non poſſe Chriſtum induere, & multo minus Spiritum S. quem Chriſtus miſit.* Hoc evertit S. AUGUSTI-

NUS Lib. VI. de Baptis. „ Nec ob aliud „ illis temporibus, quando ista quæstio „ contra utilem consuetudinem disputatio- „ nibus, salva charitate atque unitate, al- „ tercantibus discutiebatur, visum est qui- „ busdam etiam egregiis viris, Antistiti- „ bus Christi, inter quos præcipue B. „ Cyprianus eminebat, non esse posse „ apud Hæreticos, vel Schismaticos, Ba- „ ptismum Christi, nisi quia non distin- „ guebatur Sacramentum ab *Effectu*, vel „ *usu* Sacramenti, & quia ejus *Effectus* at- „ que *usus* in liberatione a Peccatis & „ cordis Rectitudine apud Hæreticos non „ inveniebatur, ipsum quoque Sacramen- „ tum non illis esse putabatur &c. „ In hoc autem Facti Errore versatum fuisse CYPRIANUM & Socios, ex eorum scriptis evidens est, ut hactenus passim adnotavi. Quod si autem STEPHANUS cum CYPRIANO oretenus congredi, & ex illo discere potuisset, se tantum velle, Baptismo Hæreticorum imprimi *characterem*, non autem dari *Remissionem Peccatorum* Adultis propter communicationem in Hæresi, vel Schismate; facile STEPHANO consensurus fuisset. Vid. AUGUSTINUS Lib. II. cap. IV. contra Donat.

106 OBJIC. Dato, a Peccato, ab Hæresi, & graviori crimine, excusari posse CYPRIANUM cum Africanis, & Asiaticos, ante Concilium NICÆNUM & ARELATENSE scri-

ſcribentes; non poterunt tamen ab eo vindicari BASILIUS M. aliique, qui poſt Definitionem Conciliorum eundem Errorem propugnarent: *ergo* &c.

RESP. Hos etiam excuſari poſſe, ex eadem ratione; quia ſuam Opinionem, totamque Controverſiam, ad Diſciplinam pertinere judicabant. Cum enim rebaptizantibus non fuerit anathema dictum in Concilio NICÆNO, nec illorum facta expreſſa mentio; inde inferebant, ipſos NICÆNOS Patres hanc Quæſtionem non Fidei judicaſſe. Concilium ARELATENSE vel ignorabant: vel eidem præferebant Africana, Aſiaticaque Concilia.

RESOLUTIO III. Si modus ſpectetur, 107
quo *CYPRIANUS*, & Firmilianus, & *Africani* ſuum Errorem defenderunt, vix poterunt a Peccato excuſari.

PROB. CYPRIANUS Epiſt. 74. ad Pompejum de STEPHANO absque debita Reverentia loquitur: „ Inter cetera, ſcribit, „ vel ſuperba, vel ad rem non pertinen- „ tia, vel ſibi ipſi contraria, quæ imperi- „ te atque improvide ſcripſit, etiam illud „ adjunxit: *Si quis ergo a quacunque hæ-* „ *reſi* &c. Quæ iſta obſtinatio eſt, quæ- „ que præſumptio, humanam traditionem „ divinæ diſpoſitioni anteponere? „ Hinc „ AUGUSTINUS Lib. V. de Baptiſ. cap. XXV. „ Jam illa, quæ in Stephanum ir- „ ritatus CYPRIANUS effudit, retractare

 „ no-

„ nolo, quia & non opus est, & ea præ„ terire melius est, quæ periculum perni„ ciosissimæ Dissensionis habuerunt. „ Et Lib. I. cap. XVIII. humanæ fragilitatis Errorem CYPRIANO imputat, quem abundante charitate, qua flagrabat, redditum fuisse venialem dicit; ideoque ad Martyrii Palmam illum pervenisse: *ut si qua in ejus lucidam mentem humanæ conditionis nebula irrepserat, gloriosa serenitate fulgentis sanguinis fugaretur.* Itaque præmaturo zelo præoccupatus, & Præjudicio propriæ Opinionis abreptus, in modo, quo suum errorem propugnavit, CYPRIANUS excessit: quod multo magis dicendum de FIRMILIANO, quod ex ejus Epistola ad CYPRIANUM data colligere est, ubi absque ulla moderatione de STEPHANO loquitur. Idem deprehenditur ex Suffragiis Episcoporum Africanorum in Concilio CARTHAGINENSI a CYPRIANO hac in materia congregatorum.

108 RESOLUTIO IV. Non constat certo, an CYPRIANUS, & Africani, Asiaticique Præsules, Errorem suum ante Obitum deposuerint.

PROB. I. CYPRIANUS STEPHANI Decreto non adquievit, sed illud oppugnavit Epist. ad Pompejum, tertiamque Synodum Carthagine coegit pro stabilienda sua Opinione. Post Synodum exorta Persecutione Christianorum in Africa, Controversia ces-

cessante, eo Animum totus direxit, ut suos ad futuram Pugnam muniret, & ad constantiam hortaretur: quod patet ex libro, quem scripsit *de Exhortatione Martyrii.*

PROB. II. CYPRIANO defuncto, ejus 109
Opinio multorum adhuc inhæsit Mentibus, qui ejus Exemplo, & Authoritate se tuebantur. In Cappadocia etiam post NICÆNUM Concilium usque ad BASILIUM M. Firmiliani in Cathedra Cæsariensi Successorem, eadem obtinuit Sententia: quæ tam pertinaciter non perdurasset, si a Patribus illis ante Obitum revocata fuisset.

PROB. III. Neque ex propriis horum, 110
nec aliorum PP. scriptis hæc Palinodia colligi potest: imo AUGUSTINUS & ipse hoc in dubium vocat; nam Lib. II. de Baptis. cap. IV. de CYPRIANO scribit: „ Si „ enim Petrum laudat, & prædicat, ab „ uno posteriore collega patienter, con„ corditerque correctum; quanto citius „ ipse cum Concilio Provinciæ suæ uni„ versi Orbis Authoritati patefacta verita„ te cessisset? quia profecto & uni verum „ dicenti, & demonstranti, posset facilli„ me consentire tam sancta Anima, tam „ pacata. Et fortasse factum est; sed ne„ scimus. Neque enim omnia, quæ illo „ tempore inter Episcopos gesta sunt,

 „ Me-

„ Memoriæ, Librisque mandari potue-
„ runt, aut omnia, quæ mandata ſunt,
„ novimus. „

111 Prob. IV. Idem Augustinus Epiſt. 48. ad Vincent. Donatiſt. de Cypriano ait: „ Correxiſſe iſtam ſententiam, non „ invenitur; non incongruenter tamen de „ tanto viro exiſtimandum eſt, quod cor- „ rexerit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab „ eis, qui hoc Errore nimium delectati „ ſunt, & tanto velut Patrocinio carere „ noluerunt. „ Ex quibus patet, dubium eſſe, an Cyprianus, aliique, Errorem ſuum publice revocaverint, aut contraria Praxi ſe depoſuiſſe demonſtraverint.

112 Objic. I. Dionysius Alexand. Epiſt. ad Stephanum apud Euſeb. H. E. Lib. VII. cap. V. ſcribit, orientales Eccleſias antehac ſciſſas, ad concordiam unanimem fuiſſe revocatas: ergo depoſuere Errorem rebaptizandi.

Resp. Dionysius non loquitur de Errore rebaptizandi, cui ipſe fuerat addictus: ſed de extincto Schiſmate Novatiani quod etiam in Orientem penetraverat. Poſtquam autem malæ Artes Schiſmatici Pontificis, quibus contra Cornelium uſus fuit, ibidem fuerant cognitæ; ſublato Schiſmate Cornelio adhæſere, & ad unitatem rediere Eccleſiæ orientales.

OBJIC. II. S. HIERONYMUS Dialog. 113
adv. Luciferianos ſcribit, Cyprianum recantaſſe. „ Denique, ait, illi ipſi Epiſcopi, qui rebaptizandos Hæreticos cum „ eo (Cypriano) ſtatuerant, ad antiquam „ conſuetudinem revoluti, novum emiſere Decretum. „ *Ergo* &c.

RESP. AUGUSTINO, in Africa nato, ibidemque Epiſcopo, haud dubie melius cognita erat Patriæ ſuæ Hiſtoria, quam HIERONYMO Dalmatæ. Cum ergo tale Decretum ignoraverit AUGUSTINUS; dici poterit, HIERONYMUM aut falſo Rumore fuiſſe deceptum; aut loqui illum de Epiſcopis, non qui erant CYPRIANO coævi, ſed qui poſt illa Tempora vixerunt, & Concilio ARELATENSI I. ſubſcripſerunt. Vocat autem *illos ipſos Epiſcopos*; habita ratione Sedium, in quibus ſucceſſerant, non Perſonarum. Quod autem CYPRIANUS cum Collegis non revocaverit, ex eo etiam colligitur; quia Donatiſtæ ſe tuebantur illorum Authoritate: quibus facile reſpondiſſent Catholici; *Secuti fuiſtis errantes; ſequamini revocantes*: ſi de recantatione ipſis conſtitiſſet.

OBJIC. III. S. AUGUSTINUS ut verum 114
admittit, & ſupponit, quod CRESCONIUS Donatiſta, cum quo diſputat, aſſeruerat, Orientales ſuam de rebaptizando opinionem depoſuiſſe. Sic enim ſcribit Lib. III.

contra Crescon. c. 2. „ Majores autem
„ vestri, quibus tale Testimonium perhi-
„ buisti, quod ab Orientalium propterea
„ communione discreti sunt, quia illi suum
„ Judicium resciderunt, quo eis placuerat
„ de ista quæstione Baptismi Cypriano,
„ atque illi Africano Concilio consentire
„ oportere, contra Cyprianum fecerunt.
„ Debuerunt enim cum collegis suis etiam
„ in hac quæstione diversa sentientibus
„ tenere communionis unitatem, quod
„ in suis litteris fecisse legimus. Cypria-
„ num. „

Resp. Augustinus argumentatur ex concessis *ad Hominem;* ideoque noluit indagare, an verum sit Cresconii Suppositum. Alibi autem ipsemet asserit, revocationem esse incertam. Denique hoc ex Augustini loco id unum colligitur, quod Tempore exorti Schismatis Donatistarum, Orientales jam habuerint ratum Hæreticorum Baptisma: non tamen id probatur de Firmiliano & Cypriano, qui ante Donatistarum Schisma jam diem suum obierant.

CAPUT

CAPUT V.

De Subjecto Baptismi.

Subjectum Baptismi esse solos Homines, indubitatum est ex præcepto CHRISTI de Baptismo, quod ad solos Homines dirigitur, qui illius Effectus soli sunt capaces. Quod vero Heterodoxi nobis objiciunt, tanquam campanas baptizaremus; id in sensu proprio falsum est. Consecrantur quidem, seu, benedicuntur, qui Ritus est Sacra Ceremonia a Sæculo VII. usitata, nunquam autem pro Sacramento habita. CAROLUS Magnus in Capitularibus apud DURANDUM dum prohibet, *ut Clocas non baptizent*, intelligi debet de Ritu quodam superstitioso, aut proprie sacramentali. 115

Sed neque mortuos Subjectum esse Baptismi, ut tamen credebant simpliciores nonnulli Christiani in Africa, quos Concilium III. CARTHAGINENSE Can. V. damnat: „ Cavendum, ne mortuos baptizari posse fratrum Infirmitas credat. „ Quod etiam habetur in Codice Can. Eccl. Africanæ Can. 18. Baptismum & Euchariſtiam mortuis dari prohibente. GREGORIUS Nazianz. Orat. 40. de Baptis. Senes Baptismum 116

ſmum differentes alloquitur: *An tu etiam exſpectas, dum mortuus abluaris* &c.? Et PHILASTRIUS Brixienſis de hæreſ. cap. II. notat de Catophrygibus, ſeu Montaniſtis: *hi mortuos baptizant.*

117 Alia erat vetuſtiſſimorum Hæreticorum Praxis, ut Vivos baptizarent pro Mortuis abſque Baptiſmo decedentibus. Id de CERINTHIANIS refert EPIPHANIUS hæreſ. XXVIII. de MARCIONITIS Chryſoſtomus hom. XL. in I. Corinth. & TERTULLIANUS Lib. V. contra Marcion. cap. X. & de Reſurrect. Carnis cap. XLVIII. de ARCHONTICIS idem ſcribere videtur THEODORETUS hæret. Fab. Lib. I. cap. XI. Putant nonnulli PAULUM I. ad Corinth. XV. 29. dum ait: *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt; ut quid baptizantur pro illis?* reſpexiſſe ad conſuetudinem Corinthiorum, baptizando vivos pro mortuis, Baptiſmo privatis, indeque inferre corporum Reſurrectionem. Sed de difficili textu legatur CALMET in particulari Diſſertat. ac Interpretes in hunc locum paſſim, & BERTI Lib. XXXI. cap. XXII. Rejicitur vero Error iſte ex eo; quia non niſi ſuſcipienti prodeſt Baptiſma, eoquod non niſi ille poſſit renaſci. Cum igitur non niſi Homines, & vivi, baptizari queant; hi autem ſint, vel Parvuli, vel Adulti; iique vel *valide*, vel etiam *licite* baptizandi.

1. Di-

1. Dicam de Baptiſmo Parvulorum, Uſu Rationis carentium: an valide & licite baptizentur? 2. An exiſtentes in utero Matrum? 3. An filii Judæorum & Infidelium licite baptizentur? 4. De Adultis ad Baptiſmum admittendis.

§. I.

De Valore Pædo-Baptiſmi.

Parvulos ante Uſum Rationis baptizari 118
poſſe, negarunt WALDENSES, PETROBRUSSIANI, CATHARI, & tandem ANABAPTISTÆ cum SALMASIO Calviniano, & SUICERO Zwingliano, qui neminem, niſi ætate adulta baptizatum olim fuiſſe contendunt, quod incaute affirmavit Ludovicus VIVES comment. in Lib. I. S. Auguſt. de Civit. Dei cap. XXVII. ERASMUS quoque ROTERODAMUS docuit, Parvulos, cum adoleverint, interrogandos, an ratas habeant Promiſſiones per Sponſores eorum factas, nec ad vitam Chriſtianam cogendos, ſi confirmare noluerint. At vero Eccleſia Catholica omni tempore cenſuit, Parvulos eſſe baptizandos. Vid. Trid. Seſſ. IV. can. XII. XIII. XIV.

RESOLUTIO. Valide, & licite, bapti- 119
zantur Parvuli ante Uſum Rationis.

PROB.

PROB. I. Ex S. Scriptura, quæ quamvis nullibi clare loquatur de Parvulorum Baptiſmo, Argumenta tamen convincentia ſubminiſtrat, addita præſertim Traditione, ſine qua, fatente etiam LUTHERO, OECOLAMPADIO apud Card. GOTTI de Verit. Rel. Chriſtianæ Tom. VII. P. V. pag. 77. hoc Dogma clare probari non poteſt. Quod quidem contra Proteſtantes bene notari velim. Itaque Matth. XIX. 3. oblati ſunt Chriſto Parvuli, ut manus eis imponeret: cum Diſcipuli increparent eos, qui offerebant, ait CHRISTUS: *Sinite Parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire; talium eſt enim Regnum Cœlorum.* Ergo præparatum eſt etiam Parvulis Regnum Cœlorum. Atqui *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Joann. III. Ergo baptizari poſſunt Parvuli. Dein ex Actibus Apoſtolorum colligitur, etiam baptizatos fuiſſe Parvulos, quando Apoſtoli leguntur baptizaſſe integras Familias. Ut Act. XVI. 15. 33. II. Cor. XVI.

120 PROB. II. ex Traditione, quam AUGUSTINO teſte ſerm. X. de verb. Apoſt. *Eccleſia ſemper habuit, ſemper tenuit: hoc a Majorum fide percepit: hoc usque in finem perſeveranter cuſtodit.* Patrum & Conciliorum Teſtimonia præter Theologos noſtros dogmaticos, magno numero recenſet & ex-

expendit Bingham origin. Eccleſ. Vol. IV. p. 193. utut de Proteſtantium Numero.

Prob. III. Rationibus. I. Salvari poſ- 121
ſunt Parvuli; quia Deus *vult omnes homines ſalvos fieri*; & quia Chriſtus expreſſe dixit: *talium eſſe Regnum Cœlorum.* Atqui extra Eccleſiam, in quam niſi per Baptiſmum non intratur, ſalvari nullus poteſt: ergo Parvuli baptizari poſſunt.

II. Si baptizari non poſſent; tunc obſta- 122
culum foret, vel ex parte Dei prohibentis; vel ex parte Sacramenti; vel ex parte Miniſtri; vel ex parte ipſius Subjecti; vel ex parte Eccleſiæ, quæ per Baptiſmum adquirit Jus in homines, qui non niſi propria Voluntate ſe ſubjicere debent. Atqui nullum horum obſtat. Nam 1. nulla adeſt divina Prohibitio: potius adeſt Præceptum univerſale, & Neceſſitas Medii. 2. Sacramentum operatur *per ſe*, independenter a Diſpoſitione Subjecti, ex opere operato. 3. Miniſter æque format Intentionem, & profert Verba ſuper Adultum, ſicut ſuper Parvulum. 4. Non ex parte Subjecti; nam quod in Adulto requiratur diſpoſitio, fit (a propter Peccata actualia, quorum Parvulus eſt incapax; cum nequeat ſe voluntate propria ad Bonum creatum convertere. (b Quia Deus ſe accommodat creaturis, juxta eorum Naturæ

ræ Exigentiam, agitque cum causis necessariis *necessario*: cum liberis libere; hinc Adultis Ratione, liberoque arbitrio præditis, sine eorum consensu Gratiam conferre non vult. At Parvuli liberi Arbitrii capaces nondum sunt: ergo neque requiritur eorum consensus, seu Dispositio: cum enim tantum *habitualiter* sint a Deo aversi; possunt ad eum *habitualiter* converti, sine Dispositione actuali. Neque etiam propter obligationem, quæ ex Baptismo oritur; nam illam aliunde contraherent, dum ad adultam ætatem perveniunt: cum præceptum Fidei Christianæ sit universale, & hoc mediante omnes teneantur Ecclesiæ se subjicere.

123 Prob. III. Ex necessitate Baptismi, deducta a peccato originali omnes inficiente, de qua cap. seq.

124 Objic. I. Christus Matth. ultimo Baptismum præscribens, duo præcepit Apostolis: 1. ut *doceant*: dein ut baptizent: ergo baptizari non possunt, nec debent, qui non possunt doceri & credere. At Parvuli doceri nequeunt, nec credere: ergo non baptizari.

Resp. Parvuli eo modo sunt capaces Fidei, sicut Peccati originalis. Sicut autem hoc aliena voluntate contrahunt, ita & aliena voluntate, Ecclesiæ videlicet, credere possunt, & abrenuntiare Diabolo.

Hæc

Hæc AUGUSTINI Doctrina est Lib. I. de peccat. merit. & remiss. „ Quoniam fi- „ dem per verba gestantium quodammo- „ do profitentur, atque per eorundem „ verba gestantium Diabolo & huic Sæ- „ culo renuntiare monstrantur. „ Ibidem Lib. III. cap. II. „ Sicut ergo eorum, „ per quos renascuntur, Justitiæ spiritus „ responsione sua trajicit in nos fidem, „ quam voluntate propria nondum habe- „ re potuerunt, sic eorum, per quos na- „ scuntur, caro Peccati trajicit in eos „ Noxam, quam nondum vita propria con- „ traxerunt. Et sicut eos vitæ spiritus „ in Christo generat fideles; sic eos cor- „ pus mortis in Adam generaverat Pecca- „ tores. „ Ita S. AUGUSTINUS contra Pelagianos, qui admittebant Parvulorum Baptismum, Traditione convicti, sed Peccatum originale in eis negabant.

OBJIC. II. Concilium Neocœsareense 125
can. IV. dum ait, fœtum unacum muliere prægnante baptizari non posse, hanc rationem allegat, *quod proprium uniuscujusque Institutum in Confessione ostendatur*: atqui Parvuli non tantum in Utero Matris clausi, sed jam nati, ante Usum Rationis Fidem profiteri non possunt. Ergo nec baptizari.

RESP. Concilium vult, non posse baptizari fœtum, quia Aqua non potest attingere corpus illius, nec eidem prodesse

Fidem Matris, eoquod juxta CHRISTI effatum non ex Fide Parentis, ſed ex Aqua & Spiritu S. quis renaſci debeat. Ita S. AUGUSTINUS Epiſt. 23. ad Bonifac. „ Quia „ ut poſſit regenerari Infans per officium „ voluntatis alienæ, cum offeretur conſe„ crandus, facit hoc unus ſpiritus, ex „ quo regeneratur oblatus. Non enim „ ſcriptum eſt: *niſi quis renatus fuerit ex* „ *parentum voluntate, aut offerentium, vel* „ *miniſtrantium: ſed niſi quis renatus fuerit* „ *ex aqua & Spiritu S.* Aqua igitur ex„ hibens forinſecus Sacramentum gratiæ, & „ Spiritus operans intrinſecus beneficium „ gratiæ, regenerat hominem in uno Chri„ ſto, ex uno Adam generatum. „

126 OBJIC. III. TERTULLIANUS de Bapt. cap. XVIII. ſcribit: „ Itaque pro cujus„ cunque Perſonæ conditione, aut diſpo„ ſitione, etiam ætate cunctatio Baptiſmi „ utilior eſt. Quid enim neceſſe eſt, ſi „ non tam neceſſe, Sponſores etiam peri„ culo ingeri? qui & ipſi per mortalita„ tem deſtituere promiſſiones ſuas poſſunt, „ & proventu malæ indolis falli? Ait „ quidem Dominus: *nolite illos prohibere* „ *ad me venire*: Veniant ergo, dum ado„ leſcunt; veniant, dum diſcunt; dum „ quo veniant, docentur; fiant Chriſtiani, „ dum Chriſtum noſſe potuerunt. Quid „ feſtinat innocens ætas ad Remiſſionem

„ pec-

„ peccatorum ? „ Ergo differendus eſt Baptiſmus usque ad adultam ætatem.

Resp. Loquitur Tertullianus extra caſum Neceſſitatis, quo ſaltem admiſit Baptiſmum Parvulorum. Ceterùm fuit ſingularis nonnullorum Opinio, utilius eſſe differre Baptiſmum in ætatem adultam, ne in Infantia baptizati, & poſtea adoleſcentiores, ad Paganiſmum redeant, quod illo tempore facile poterat contingere, ſicque majoribus ſe implicarent Peccatis, quæ Ratio hodie ceſſat: & cum plerumque Periculum ſit ſubitaneæ Mortis; expedit Baptiſmum accelerare. Videtur autem Tertullianus agere contra conſuetudinem jam tunc univerſalem, quam rationibus ſuis ſtudet invertere. Per ætatem *Innocentem*, intelligit Immunitatem a peccatis actualibus: ſi etiam originale negaret; eſſet hoc in capite deſerendus.

Objic. IV. S. Hieronymus in fine 127
Commentar. in Matth. „ Non poteſt fieri, ait, ut corpus Baptiſmi recipiat Sacramentum, niſi ante omnia fidei receperit veritatem. „

Resp. Hieronymus loquitur de Adultis, quibus ſine fide Baptiſmus non prodeſt.

§. II.

De Baptiſmo Infantum in Utero Matrum.

128 Certum eſt, Infantem, in Matris Utero ita latitantem, ut nulla ejus Pars Aqua perfundi queat, baptizari non poſſe: quod nonnulli Hæretici olim ſunt arbitrati, ſi ejus loco, Matris corpus abluatur, ut conſtat tum ex can. IV. Concilii NEOCÆSAREENSIS, & AUGUSTINO Num. 125. cit. tum ex eodem AUGUSTINO relato can. CXIV. de Conſecr. Diſt. IV. & D. THOMA III. P. Q. LXVIII. Art. XI. At quæſtio eſt, an reſerato materni Uteri oſtio, quod Puerperii Initio contingit, valide baptizetur Infans, cujus corpuſculum, etſi nulla ſui Parte in lucem prodierit, Aqua nihilominus, ſaltem per Siphunculum, tingi poteſt? Ita hanc Quæſtionem, ſimulque controverſas Authorum Sententias recitat Ss. BENEDICTUS XIV. de Synod. diœceſ. Lib. V. cap. V. ubi Epiſcopos monet, ne in ſuis Synodis hac in re, ſub Judice pendente, quidpiam decidant: ad Parochos autem pertinere, ait, obſtetrices inſtruere, ut cum caſus evenerit, in quo Infantem, nulla adhuc ſui parte editum, mox deceſſurum prudenter timeant, illum baptizent ſub conditione, ſub

qua

qua erit iterum baptizandus, ſi periculum evadat, & foras prodeat. Eadem eſt controverſia, ſi Infans aliquam ſui partem ex utero emiſit; & quidem Rituale Romanum ſtatuit, inſtante mortis Periculo in ea parte eſſe Baptiſmum conferendum, quæ ex Utero emerſit; quæ ſi fuerit Caput, repetendum non amplius Baptiſmum ſtatuit: ſi in ceteris vero partibus minus principalibus; ſub conditione iterandum. Vid. etiam D. THOMAS loc. cit.

RESOLUTIO. Saltem ſub conditione baptizari debet Infans in Utero Matris, quando aqua corpus illius attingere poteſt. 129

PROB. I. Ejusmodi Infans eſt Subjectum capax Baptiſmi: ergo. Eſt enim Homo; nondum baptizatus; poteſt ablui; ſupponitur adeſſe Materia, Forma, Intentio Miniſtri: ſi quid enim deeſſet, tunc hoc, quod nondum ſit natus, ſicque renaſci nequeat. Atqui hoc non obſtat. *Ergo* &c. *Min. prob.* Nativitas, qua renaſcimur per Baptiſmum, proprie eſt illa, qua naſcentes in Utero contrahimus originale Peccatum, prout loquitur Trid. Conc. Seſſ. V. Decreto de Peccat. origin. „ Parvuli ideo in remiſſionem Peccatorum „ veraciter baptizantur, ut in eis rege- „ neratione mundetur, quod generatione „ contraxerunt. „ Atqui Peccatum originale non contrahunt per Nativitatem ex

Utero, ſed per Conceptionem, & dudum ante Nativitatem, per Conjunctionem Animæ cum corpore vitiato.

130 Prob. II. Parvuli ante Nativitatem ex Utero, jam ſunt Filii Iræ: ergo caſu, quo Sacramentum ipſis applicari poteſt, Filii Dei fieri poſſunt. Sic Joannes Baptiſta, ante ſuam ex Utero Matris Nativitatem, jam fuit in Christo regeneratus *extraordinarie*: ergo etiam alius Parvulus poterit renaſci per medium *ordinarium*.

131 Prob. III. S. Thomas loc. cit. ideo negat, valere Baptiſmum Matris pro Parvulo; quia Aqua filium attingere nequit; ergo caſu, quo illum attingere poteſt; baptizari poterit.

132 Objic. I. Infans, nondum ex Utero Matris egreſſus, tot Secundinis & Involucris eſt undique involutus, ut ad ipſum Infantis corpus Aqua nullo modo penetrare valeat. Sicut ergo Homo corio involutus, ſi aqua perfundatur, baptizatus dici nequit, quia aqua corpus non tangit; ita nec Infans Secundinis circumſeptus.

Resp.

Resp. E Medicorum, & Obſtetricum Teſtimonio ſatis conſtat, Infantem, Puerperii Initio ſecundinarum Involucris jam ſpoliatum, intra matris uterum tangi & tractari poſſe. Hinc patet Differentia inter involutum corio; quia ſupponitur, Aquam ad corpus illius penetrare non poſſe. Alii dicunt, ſecundinas, quibus Infans circumveſtitur a Natura, eſſe quodammodo partem corporis infantilis, & propterea ablutis iſtis, cenſeri poſſe Infantem ipſum ablutum.

Objic. II. Nemo poteſt renaſci, niſi 133
antea fuerit natus, juxta illud Joann. III. *Oportet vos naſci denuo.* Atqui Infans in Utero exiſtens, & nulla ſui parte foras erumpens, nondum eſt natus: ergo non poteſt renaſci. *Min. prob.* Ut Christus ait Joann. XVI, 21. *Mulier cum parit, triſtitiam habet: ſed cum pepererit Maſculum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.* Ergo per egreſſum ex Utero materno, primo dicitur, & eſt natus.

Resp. Diſt. Si fuerit *nullo modo* natus, uti Embrio, Anima rationali nondum informatus. *Conc.* Si fuerit *aliquo modo* natus, quod verificatur de Fœtu animato. *Neg.* Sic Angelus de Christo in Virginis utero ante partum, ait ad Joſephum Matth. I. *quod in ea natum eſt* &c.

134 Objic. III. S. Augustinus eodem argumento utitur Lib. II. de Peccat. merit. & remiss. cap. XXVII. „ Sacramentum „ Baptismi, profecto Sacramentum rege- „ nerationis est. Quocirca sicut homo, „ qui non vixerit, mori non potest; & „ qui mortuus non fuerit, resurgere non „ potest; ita & qui natus non fuerit, re- „ nasci non potest. „ Item Epist. 187. olim 57. ad Dardan. & Isidorus relatus can. CXV. Dist. IV. de Consecr. negant, baptizari posse Parvulum cum Matre. Unde oritur argumentum: Ideo nequeunt baptizari Parvuli per corpus Matris, quia existentes in Utero, nondum sunt nati. Ergo neque baptizari, sive, regenerari possunt.

Resp. *Disting.* Textum, & Argumentum inde desumptum; quia non sunt nati, & quia *ordinarie* ante apertum Ostium Aqua ad Infantes pertingere non potest. *Conc.* Quando Aqua corpus Infantis attingere potest. *Nego.*

135 Quæri hic potest, quid agendum, si Monstrum pro Baptismo afferatur?

Resp. Si adsint certa Signa Hominis v. g. Caput, Pectus humanum, Lacrymæ, Vagitus &c. erit *absolute* Baptismus conferendus. Si dubium: sub conditione, aut si Res moram patiatur, consulendus loci Ordinarius. Ut præscribit Rituale Roma-

manum tit. VII. §. 4. Si dubium ſit, an in Monſtro contineantur duæ Perſonæ: v. g. ob duo Capita, vel 4. Brachia, ſi abſolute certum eſt, eſſe duas diſtinctas Perſonas; tunc Baptiſmus abſolute ad duas referri debet. Si dubia maneat unitas, vel pluralitas; unus erit baptizandus abſolute, alter ſub conditione. Ita denuo Rituale. Quid obſervandum ſit, ſi mater prægnans obierit, legi meretur apud D. Amort. Ubi etiam pertractat quæſtionem, an Matres teneantur, vel permittere poſſint ſectionem in Bonum Prolis? quod negat: An Rationes ipſius ſint convenientes; aliorum Judicio relinquere malim: pertinet enim quæſtio ad Theologiam moralem.

§. III.

An extra Neceſſitatis Caſum licite baptizentur Proles Infidelium, absque horum conſenſu?

Hanc Quæſtionem ex Inſtituto, ac pro 136
more ſuo eruditiſſime, ſolideque pertractat, deciditque SS. Benedictus XIV. in Epiſtola Paſtorali ad Archiepiſcopum Tarſenſem, quam totam refert D. Amort: Tract. de Bapt. ab unoquoque legendam. Et primo quidem extra controverſiam eſt,

hujusmodi Baptiſmum *valere*, contra Durandum. Certum eſt 2. poſſe illos licite baptizari, ſi ſint in proximo Periculo Mortis. Certum eſt 3. id licere, quando filii Uſu Rationis præditi ſponte ſua Baptiſmum petunt; quia quantum ad Religionem, ſunt ſui Juris. 4. Si alteruter Parentum conſentiat; & quidem ſi Pater, aut Avus Patre defuncto, ob Jus patriæ Poteſtatis, quod ipſi principaliter competit: ſi vero Mater: ob favorem Fidei, ut ait Gregorius IX. de Converſione Infidelium. 5. Certum eſt, ſi ſint filii Mancipiorum; quia ſunt tanquam Res in Dominio Principis; v. g. ſi Parentes Jure Belli eſſent in Servitutem redacti. 6. Idem multi ſentiunt de filiis Hæreticorum. Cum enim iſti per Baptiſmum ſint ingreſſi Januam Eccleſiæ; ſubſunt Jurisdictioni Eccleſiæ, & cogi poſſunt ad ſervandas ejus leges. At vero de hoc dubito in Germania quoad Proteſtantes, in quos pace Weſtphalica ſuſpenſa eſt Jurisdictio Eccleſiaſtica, nec ulla cogit ratio; cum ipſimet valide baptizent, & orirentur Incommoda plura, ac publicæ Diſſenſiones, ut adeo, ſaltem per accidens, non liceat. Certum eſt inter Theologos, 7. Proles Infidelium, qui nequidem *civiliter* ſubditi ſunt Chriſtiano Principi, illicite baptizari; quia Sacramentum exponeretur manifeſto Periculo Profanationis, & Perverſionis, ſi apud Parentes infideles remaneat Infans;

fans: ſi autem ſubtraheretur patriæ Poteſtati; fieret Parentibus Injuria, quia a Natura curam habent Liberorum. Igitur Quæſtio procedit de filiis Judæorum, & Infidelium, Principi Chriſtiano civiliter ſubditorum, an repugnante utroque Parente licite baptizari queant. Affirmant Scotiſtæ: ceteri omnes negant.

Resolutio. Eſt Sententia Romæ ſæ- 137
pius deciſa, & a Benedicto XIV. confirmata, illicitum eſſe hujusmodi Baptiſmum.

Prob. I. Auth. D. Thomæ 2. 2. Q. X. art. 12. & Quodl. 2. a. 7. „ Dicen-
„ dum, quod maximam habet Authorita-
„ tem Eccleſiæ conſuetudo, quæ ſemper
„ in omnibus eſt æmulanda, quia & ipſa
„ doctrina Doctorum Catholicorum ab Ec-
„ cleſia authoritatem habet; Unde magis
„ ſtandum eſt authoritati Eccleſiæ, quam
„ authoritati vel Auguſtini, vel Hierony-
„ mi, vel cujuscunque Doctoris. Hoc
„ autem Eccleſiæ uſus nunquam habuit,
„ quod Judæorum filii invitis parentibus
„ baptizarentur: quamvis fuerint retro-
„ actis temporibus multi Catholici, Prin-
„ cipes potentiſſimi, ut Conſtantinus &
„ Theodoſius, quibus familiares fuerunt
„ ſanctiſſimi Epiſcopi, ut Sylveſter Con-
„ ſtantino, & Ambroſius Theodoſio, qui
„ nullo modo prætermiſiſſent ab eis im-
„ petrare, ſi hoc eſſet conſonum rationi.

Et

„ Et ideo periculosum videtur hanc asser-
„ tionem de novo inducere, ut præter
„ consuetudinem hactenus in Ecclesia ob-
„ servatam Judæorum invitis parentibus
„ filii baptizentur. „

138 Prob. II. Ratione. Si baptizarentur Infidelium Filii; tunc vel relinquerentur sub cura Parentum; vel inde violenter abstraherentur: Neutrum est licitum. *Ergo* &c. Non *primum;* quia fieret Jnjuria Baptismo: cum Parentes filios suos haud dubie in Infidelitate educarent, sicque semper adesset Periculum proximum Perversionis, ipseque Baptismus ejusmodi Parvulis, in adulta ætate perversis, magis ad Pœnam, quam Salutem conduceret. Non *alterum;* quia fit Jnjuria Parentibus, quibus competit Jus naturale patriæ Potestatis habendi sub cura sua Liberos suos.

139 Prob. III. Si licet baptizare Parvulos Infideles invitis Parentibus; licebit etiam Adultos repugnantes, idque eo magis, quod hi etiam Præcepto personali adstringantur ad amplectendam Fidem Christianam. At hoc est contra perpetuam Ecclesiæ consuetudinem, Christique Institutum, qui voluit, Evangelium suum non vi, sed prædicatione ac persuasione propagari.

PROB. IV. ex Declarationibus Congre- 140
gationis S. Officii, quas recenset laudatus Pontifex cit. Epist. ac suam denique mentem exponit, prædictasque declarationes sua Authoritate confirmat his verbis: „In „ quibusdam præfatis Resolutionibus in„ nuitur, eum, qui Hebræorum filios si„ ne Parentum consensu Baptismo lustra„ re ausus fuerit, exceptis iis Casibus, in „ quibus hoc liceat, eum, inquam, Pœna „ mulctandum esse, Baptismum autem uno „ teste probari. . . . Nihil aliud restat, „ quam prædictarum Resolutionum Judi„ cium confirmare, & quidquid in iisdem „ continetur, nostra quoque sententia sta„ bilire. Baptizantis mentem esse sanctam, „ rectamque, non dubitamus; modus au„ tem omnino illicitus habendus est, & „ ea quicunque facit, quæ Ecclesia fieri „ vetat, pro Judicis Prudentia mulctari „ debet, Pœna scilicet vel mitiori, vel se„ veriori juxta circumstantias. „

OBJIC. I. Quilibet potest alterum li- 141
cite ab Injuria defendere: sed maxima fit Parvulis Injuria a Parentibus, impedientibus eorum Baptismum. Ergo licet eos ab hac Injuria vindicare, conferendo Baptismum.

RESP. I. Hoc Argumentum probat nimium; sequeretur enim, æque licere Adultum cogere ad Baptismum, qui renu-

ens

ens baptizari, ſpiritualiter ſe occidit, quod eſt falſum.

Resp. II. Diſt. Quisque poteſt impedire Injuriam Proximi, ſi hæc ſit contra Jus naturale. *Conc.* Si ſit cum Jure naturali contra Præceptum poſitivum. *Nego.* Fides enim Jus naturæ non deſtruit, ſed firmat. Parentibus Jure Naturæ cura Liberorum competit; igitur citra Injuriam non poterunt eo privari. Vult ergo Deus ut Author Juris Naturæ, hoc potius eſſe illæſum, illique cedere Jus ſuum poſitivum, ob multa Incommoda, quæ inde ſequerentur.

142 Objic. II. Si Parentes vellent occidere ſuos Liberos; tunc permiſſum foret, eos ab illis ſeparare: ergo tum impediendo eorum Baptiſma, nituntur eos deſtituere gratia regenerationis, quæ eſt vera Animæ Vita; Jure ab illis, etſi repugnantibus, ſeparantur: ſeparati autem a cura Parentum infidelium, licite baptizantur. *Ergo.*

Resp. Diſp. eſt; quia occiſio, eſt *contra* Jus Naturæ, non autem prohibitio Baptiſmi, quæ ratione educationis eſt *cum* Jure Naturæ.

143 Objic. III. Parentes non habent Jus impediendi Baptiſmum: ergo baptizando Parvulos, nulla fit ipſis Injuria.

Resp.

Resp. Etſi non habeant Jus impediendi Baptiſmum, ac per hoc peccent prohibentes; habent tamen Jus patriæ Poteſtatis, quod facit, ne Liberi ab ipſis abſtrahi queant: quamdiu autem ſunt in patria Poteſtate, non debent baptizari propter Periculum Perverſionis, & Irreverentiam Sacramenti.

Objic. IV. Qui abutitur ſuo Jure, 144
illo privari poteſt: atqui &c. Ergo &c.

Resp. *Diſt. min.* Abutuntur Jure ſuo, contra Jus Naturæ. *Nego.* Contra Præceptum poſitivum. *Conc.* Et ideo peccant, ſaltem materialiter, quando adeſt invincibilis Ignorantia hujus obligationis.

§. IV.

De Baptiſmo Adultorum.

Adulti olim non prius ad Baptiſmum ad 145
mittebantur, quam in Fidei noſtræ Doctrina ſufficienter inſtituti, ac præparati fuiſſent. Hi dicebantur Catechumeni, & quatuor eorum erant ordines, ſive gradus. 1. *Exodumeni*, ſive, extra Eccleſiam privatim inſtituti. 2. *Audientes*, ſive, Auditores, qui ad Sermones, & Sacram Scripturam in Eccleſia explicari ſolitam, non autem ad communes cum fideli-

libus Preces fundendas admittebantur. 3. *Genuflectentes*, seu, *geniculantes*, aut *prostrati*, qui primæ Liturgiæ Parti, ac Precationibus pro Catechumenis peragi solitis interesse poterant. 4. *Competentes*, sive, *electi*, & *illuminandi*, qui multo tempore probati, sua jam ad Baptismum nomina dederant, proxime sacro Lavacro donandi. Hi partim crebrioribus examinibus eruditi, partim Exorcismo, Impositione manuum, Signo Crucis & Insufflatione præparati, Jejunii, Abstinentiæ, Confessionis, & Pœnitentiæ Exercitiis addicti, interea memoriæ mandare debuerunt Symbolum fidei, ac Orationem Dominicam, prius ipsis occultatam: ea quoque addiscere, quæ ad renuntiandum Diabolo, ad se adscribendum CHRISTO, & ad dandum congrua in Baptismo Responsa pertinebant: atque ita tandem solennibus Paschæ, & Pentecostes Diebus alicubi etiam in Epiphania, ad Baptismum, ac reliqua Christianorum Mysteria admissi fuerunt. Si Catechumenatus Tempore in graviora fuissent prolapsi crimina; non quidem Pœnitentiæ Legibus, quemadmodum Fideles, subjiciebantur, sed ad inferiorem Catechumenatus Gradum rejiciebantur, & Baptismus eorum diutius differebatur, donec congrua Emendationis dedissent specimina, & Baptismi Desideria.

Ita-

Itaque ad Baptiſmum poſt tantum Ty- 146
rocinium admittebantur Judæi, atque Gentiles, nonnullis tamen exceptis. Ac *primo* quidem *Muti* excludebantur, niſi certis tantum caſibus; eoquod Baptiſmum nec petere, nec congrua Reſponſa dare poſſent. 2. *Energumeni*, niſi extrema urgente neceſſitate. 3. *Servi*, ſine Domini ſui conſenſu, & teſtimonio. 4. Certa Opificum genera, ut Idolorum Confectores, & Comœdi. 5. Aurigæ, Gladiatores, Actores in Ludis Circenſibus. 6. Aſtrologi, & alii curioſas Artes, ſeu, Magiam exercentes. 7. Publicis Ludis, ac Spectaculis dediti, niſi Artibus, Studiisque ſuis valedixerint. 8. Quandoque milites, & Concubinarii, ſive publica Proſtibula. Et hi quidem a Baptiſmo arcebantur, eoquod ipſo facto demonſtrarent, ſe Mundo, Diabolo, ac Pompis ejus renuntiare non velle.

Quod Baptiſmi Tempus attinet; nul- 147
lum certum ab Eccleſia erat determinatum; relinquebatur Arbitrio Epiſcoporum, qui conſiderata competentium capacitate, ac pro majore, vel minore illorum Deſiderio accelerare vel differre poterant Baptiſmum. Adulti non raro ipſimet longius illum differebant variis ex Rationibus. Nonnulli quidem ex ſupina Salutis ſuæ Negligentia: alii, quia mundo renuntiare, Religionisque Severitati ſe ſub-

mittere detrectabant, quos eapropter vehementer, & crebro objurgant Patres. Alii, quia metuebant, ne post Baptismum in gravia Peccata relapsi, severis Pœnitentiæ subjicerentur Legibus. Volebant itaque in ultima Infirmitate baptizari; ut sic a Culpis, Pœnisque omnibus liberi, immediate in Cœlum evolarent. Alii certa quadam festivitate, & a determinatis Ministris, quorum suspiciebant Sanctitatem, cupiebant baptizari, & usque ad occasionem illis accommodam exspectabant. Sic ipse CONSTANTINUS M. volebat non nisi in Jordane ad Exitum vitæ baptizari, propter Exemplum CHRISTI. Alii nonnisi anno trigesimo, itidem ob CHRISTI Exemplum: quæ omnia ad intelligendos cum tempore Patres hic observasse, haud extra rem fuerit.

148 Quod hodiernam Ecclesiæ Disciplinam attinet, nulli Adulto confertur Baptismus, quin prius Trinitatis, & Incarnationis, ac cetera Mysteria, explicite credenda, fuerit edoctus, ac spoponderit, vitam ducere velle, CHRISTI & Ecclesiæ Legibus conformem: Modum Præparationis ad Justificationis gratiam, & Fructum Baptismi consequendum, accurate describit TRIDENTINUM Concilium Sess. VI. cap. VI. quæ cum sit fere eadem cum Dispositione ad Sacramentum Pœnitentiæ; hic omittitur, atque ad Tom. XI. de Pœnitentia differtur.

tur. Ritus autem Baptiſmi ex cujuslibet Eccleſiæ Rituali deſumendus eſt.

CAPUT VI.

De Neceſſitate Baptiſmi.

Tria hic pertractanda veniunt. 1. An Baptiſmus ſit omnibus prorſus Hominibus neceſſitate *Medii*, ac *Præcepti* neceſſarius, etiam Fidelium liberis? 2. An Baptiſmus *Aquæ* ſuppleri poſſit per Baptiſmum *Sanguinis*, aut *Flaminis*? 3. An idem Baptiſmus ſuppleri poſſit per Fidem & Votum Parentis pro Parvulo in Utero Matris moriente.

§. I.

De Neceſſitate Baptiſmi, etiam quoad Fidelium Liberos.

Præſuppoſita Diſtinctione Neceſſitatis *Me-* 149
dii, & Præcepti, obſervandum, Pelagianos, qui Peccatum originale negabant, Baptiſmum tantum neceſſarium exiſtimaſſe, ad Ingreſſum in Regnum Cœlorum, non autem ad Vitam æternam. Docebant enim, Parvulos, absque Baptiſmo decedentes, æterna quadam Beatitudine

naturali fruituros: Ceterum ad intuitivam Visionem in Regno Cœlorum neminem admitti, nisi baptizatum; eoquod Baptismus sit conditio, sine qua non. At vero fictitiam illam Distinctionem ex instituto confutat S. AUGUSTINUS ex illo Matth. XXV. *Ibunt hi in Supplicium æternum, Justi autem in Vitam æternam*: quibus e Verbis infert, inter *Vitam æternam*, & *Regnum Cœlorum*, non dari Medium, sed esse Synonima. WALDENSES, & hos secuti WICLEFITÆ, nullam agnoscunt in Baptismo Utilitatem, minus Necessitatem. CALVINUS, etsi Adultis necessarium ex *Præcepto* divino fateatur Baptismum, negat tamen esse necessarium Necessitate *Medii*: maxime quoad Filios Fidelium, quibus jam erat remissum Originale Peccatum, quem Errorem damnat Concilium TRIDENTINUM Sess. VII. can. II. & V.

150 Cum autem aliquando Defectu vel Aquæ, vel Ministri, Baptismus ab Adulto *in re* suscipi nequeat; debet illius saltem adesse Votum, quod non consistit in nudo Proposito, ac Desiderio suscipiendi Baptismum, sed in Actu perfectæ Caritatis, cum Proposito saltem *implicito* suscipiendi, quam primum fieri potest, Baptismum in re. Hoc Propositum involvitur in illo generali, adimplendi voluntatem divinam, ac servandi Præcepta omnia,

nia, omniaque adhibendi Media ad Salutem necessaria. His observatis

Resolutio. Baptismus omnibus homi- 151
nibus, etiam Fidelium Liberis, necessitate Medii necessarius est; Adultis insuper necessitate Præcepti divini. *De Fide.*

Prob. I. Pars ex S. Scriptura. Joann. III. Christus ait, *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei.* Atqui illud, sine quo Beatitudo haberi nequit, necessitate Medii ad Salutem necessarium est: sicut Alimenta ad conservandam Vitam. Ergo &c.

Respondent Adversarii, Aquam hoc loco sumendam *metaphorice* pro *Spiritu*, qui purgat instar Aquæ: aut per Aquam intelligi illam, quæ fluxit ex Latere Christi, sicque intelligi, Neminem salvari sine Meritis Passionis Christi. Sed

Contra est: si Aqua accipiatur meta- 152
phorice; tunc non possunt amplius probare Adversarii, Baptismum constare ex Aqua naturali. Dein obstat Regula generalis, S. Scripturam exponendam esse in sensu literali, quamdiu sine inconvenientia potest. Denique universalis Traditio de Aqua naturali illum Textum exposuit.

Prob. II. Traditione Conciliorum & 153
Patrum, qui omnes hanc necessitatem adstru-

ſtruxerunt. Textus illorum paſſim legi poſſunt apud Dogmaticos.

154 Prob. II. Pars. Nam Textus Joannis eſt generalis, & ut ait S. Ambrosius L. II. *de Abraham* cap. ult. *Nullum excipit, non Infantem, non aliqua neceſſitate præventum.* Inſuper & ratio univerſalis eſt. Quotquot enim infecti ſunt Peccato originali, illis eſt neceſſarius Baptiſmus: atqui etiam Parvuli Fidelium illo infecti ſunt, quia ex Paulo certum eſt, omnes in Adam peccaſſe, ſicut pro omnibus mortuus eſt Christus. Atqui mortuus eſt etiam pro Filiis Fidelium: ergo etiam hi in Adam peccarunt. Quod ſuppono ex Tom. IV. *de Peccato originali.*

155 Jacob, & Esau, Filii erant Parentum Fidelium: & tamen *Jacob dilexit Deus, Eſau autem odio habuit, antequam boni aliquid egiſſent, aut mali*: quod intelligitur de Prædeſtinatione in *Intentione*, & Reprobatione *negativa*, quæ ſupponit originale Peccatum, ex Tomo I. *de Deo Uno.* David erat Filius Parentum fidelium; & tamen ait, *in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Denique de omnibus, etiam Judæis, ait Paulus: *eramus natura filii iræ, ſicut & ceteri* &c.

Ex Patribus audiatur unus Optatus 156
Milevitanus Lib. IV. contra Parmen. pag. m. 48. „ Neminem fugit, quod omnis „ homo, qui nascitur, quamvis de Pa„ rentibus Christianis nascatur, sine Spi„ ritu Mundi esse non possit, quem ne„ cesse sit ante salutare Lavacrum ab ho„ mine excludi & separari. Hoc *Exor„ cismus* operatur, per quem Spiritus im„ mundus depellitur, & in loca deserta „ fugatur. Fit Domus vacua in pectore „ credentis; fit Domus munda; intrat „ Deus, & habitat, Apostolo dicente: „ *Vos estis templum Dei, & in vobis Deus* „ *habitat.* Et cum Deo unusquisque ple„ nus sit, de quo fur diabolus aliquid in„ volare contendit, vos rebaptizando ex„ orcizatis hominem fidelem, & dicitis Deo „ habitanti: *maledicte exi foras.* „

Prob. III. Pars. Adulti divino Præ- 157
cepto obligantur credere, & amplecti Fidem Christianam, adeoque Media ad Salutem necessaria, cujusmodi præcipuum est Baptismus; *qui enim non credit, jam judicatus est.* Hinc speciale Peccatum committunt, qui Baptismum negligunt: a quo tamen excusantur Parvuli aliique, Usu rationis destituti, qui Præcepti capaces non sunt. Et hujusmodi absque Baptismo decedentes, damnantur, non propter Transgressionem Præcepti Baptismi, sed propter Peccata vel actualia, vel originale saltem.

Hoc Præceptum datum eſt a CHRISTO ante ſuum in Cœlos Aſcenſum: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis* &c. Obligare autem incipit ex communi Sententia, a Die Pentecoſtes, quo Tempore cœpit promulgari Evangelium, cum Actor. II. ſolenni Petri concione collecta fuerit Eccleſia, omnisque conditionis, & Nationis Homines eidem interfuerint, & quidem in Urbe Regia: quod ad ſolennem Promulgationem ſufficit. Obligabat autem ex illo tempore omnes tam Gentiles, quam Iudæos, quamvis peccato originali jam liberos, tanquam Præceptum poſitivum: ſine quo in Lege nova Nemo nec Membrum Eccleſiæ fieri, nec Cœlum ingredi poteſt.

158 OBJIC. I. Si Neceſſitate Medii, & Præcepti, neceſſarius foret Baptiſmus Aquæ; debuiſſent etiam baptizari B. V. MARIA, & Apoſtoli: atqui hos fuiſſe baptizatos non legitur, & de eo dubitat TERTULLIANUS Lib. de Bapt. cap. XII.

RESP. Dubitat quidem TERTULLIANUS de Apoſtolorum Baptiſmo, ac ſub eadem dubitatione ſuſpicatur, quod illis *vel primæ adlectionis*, id eſt, aſſumptionis ad Apoſtolatum, *& exinde individuæ familiaritatis Prærogativa compendium Baptiſmi conferre poſſet.* Alii putant, illos paulo poſt

Ba-

Baptiſmum CHRISTI in Jordane a CHRISTO, aut ſaltem PETRUM a CHRISTO, ceteros a PETRO baptizatos fuiſſe. Denique Baptiſmus Apoſtolorum colligi poteſt ex illis CHRISTI ad Petrum Verbis Joann. XIII. *qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus*: ubi CHRISTUM alluſiſſe arbitrantur ad Baptiſmum. Cum enim ipſi Apoſtoli tam neceſſarium ubique prædicaverint Baptiſmum CHRISTI; non videtur dubium, quin & ipſi eo tincti fuerint: etiamſi Scriptura hoc non exprimat. Idem dicendum de B. V. MARIA, quæ cum Legi veteri, qua minime tenebatur, Purificationis ſe ſubjecerit; utique a Lege CHRISTI ſe non exemiſſe cenſenda eſt. Etſi autem fuerit immunis a Peccato originali, quod nunquam contraxerat, voluit tamen haud dubie eſſe Membrum Eccleſiæ CHRISTI, ad quam per Baptiſmum intratur. Argumentum, quod illorum Baptiſmus non legatur, pure *negativum*, ſolitarie ſumptum, nullius eſt Roboris, ut MABILLONIUS oſtendit de Studiis monaſt.

OBJIC. II. Deus geneſ. XVII. ſtatuit 159
pactum cum ABRAHAM, ut *ſit Deus illius, & Seminis ſui*: ergo etiam CHRISTUS cum Fidelibus; conſequenter omnes ex Fidelibus nati, ſunt Filii Dei, nec indigent Baptiſmo.

Resp. Loco citato non promitti Remiſſionem Peccatorum, ſed ſpecialem quamdam Protectionem, Gubernationem, & Felicitatem temporalem, quæ fuit quidem Figura æternæ. Ut enim docet Apoſtolus Rom. IV. & IX. Galat. III. & IV. Veri Abrahæ filii ſunt, non qui ex ſemine ejusdem deſcendunt, ſed qui fidem ipſius imitantur. *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*, dicebat Christus Joann. VIII. 39. quod Parvuli nequeunt. Ceterum omnes ex Abraham deſcendentes, naſcuntur filii Iræ: ut ergo filii Dei fiant; per Baptiſmum renaſci debent. Nam ut ait Joann. cap. I. *Poteſtatem dedit filios Dei fieri iis, qui credunt in Nomine Ejus, qui non ex Sanguinibus* &c. *ſed ex Deo nati ſunt* per Baptiſmum.

160 Objic. III. Rom. XI. *Quod ſi delibatio ſancta eſt; & Maſſa: ſi Radix ſancta; & Rami.* Atqui Parentes Chriſtiani, ſanctificati ſunt, & immunes a Peccato originali: ergo & Filii eorum.

Resp. Vult Apoſtolus, Iſraelitas non penitus eſſe a Deo derelictos, ſed & ipſos adhuc, ſaltem in fine mundi, congregandos in Sortem Filiorum Dei, atque ad ipſos adhuc ſpectare Promiſſiones Patribus eorum factas.

Ob-

OBJIC. IV. I. Corinth. VII. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt.* Ergo &c. 161

RESP. Ex hoc sequitur, nec Adultis esse necessarium Baptismum, quando mulier infidelis nubit viro fideli: quod falsum. Non ergo loquitur PAULUS de Sanctitate *formali*, sed vel de *dispositiva*, ratione conversationis, vel *legali*, quod sit legitimum Conjugium, & filii inde nascantur legitimi.

OBJIC. V. Si necessarius esset Baptismus Aquae; perirent innumeri Infantes, quibus applicari nequit, etiam citra culpam Parentum: atqui hoc dici nequit de Deo, *qui vult omnes salvos fieri*, tali Medio alligasse Salutem Parvulorum, quod semper, ab omnibus, & ubique, obtineri nequit. 162

RESP. *Conc. maj.* nego *min.* Pereunt enim hujusmodi Parvuli sua culpa, non quidem *personali*, sed *originali.* Nec hoc repugnat divinae Bonitati, quae voluntate *antecedente praeparavit* quidem omnibus Remedia sufficientia: non tamen omnibus actu *confert*, propter *Reprobationem negativam.* Atque hic denuo cum AUGUSTINO exclamandum: *O altitudo! quam in-*

com-

comprehensibilia sunt Judicia, & investigabiles viæ. De quo adhuc §. 3. hujus Capitis.

§. II.

De Baptismo Sanguinis & Flaminis.

163 Cum tam necessarius sit Baptismus *Fluminis*, nec ille tamen in omnibus circumstantiis haberi queat; quæritur, an Baptismo *Sanguinis*, seu Martyrio, vel Flaminis, nimirum Actu perfectæ Charitatis cum Proposito Baptismi Aquæ suppleri possit, tam in Adultis, quam Parvulis. Est autem observandum, ad Martyrium plura requiri. 1. Cum Martyr idem sit in Græco, ac *Testis*, seu, Confessor; ille proprie Martyr est, qui Testis pro CHRISTO occumbit. Requiruntur ergo duæ Personæ. 1. Testis, seu, Persona moriens pro CHRISTO. Altera, Persecutor; non enim Martyr est, qui se occidit, quod in Donatistis sæpius reprehendunt S. AUGUSTINUS & OPTATUS Milevit. Persecutor ille dicitur, qui Christianum exagitat in Odium fidei, vel alicujus Virtutis Christianæ ad Doctrinam pertinentis. Ut autem Martyr quis fiat a persecutore; requiritur, ut vel ipsa Mors in-

inferatur, vel Cauſa Mortis neceſſaria ponatur.

Requiritur præterea in Adulto 1. vo- 164
luntaria mortis acceptatio, ſaltem *habitualis*; quia Martyrium eſt Actus Fortitudinis a Charitate imperatus. Vid. D. THOMAS 2. 2. Q. CXXIV. art. II. & quia Martyr debet in patiendo imitari CHRISTUM patientem, qui ut ait D. PETRUS I. Epiſt. cap. II. verſ. 23. *Voluntarie ſuſtinuit crucem confuſione contempta: & cum pateretur, non comminabatur. Tradebat autem judicanti ſe injuſte: & tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt.* Act. VIII. Verſ. 33. Hinc TERTULLIANUS Lib. IV. contra Marcion. cap. XXXIX. de Martyribus ait. „ Nemo „ oves appellat eos, qui in bello armati, „ & ipſi eodem feritate certantes cadunt: „ ſed qui in hac proprietate atque pati- „ entia dedentes potius ſemetipſos, quam „ vindicantes, trucidantur. „ Requiritur 2. ut acceptetur Mors ex Motivo honeſto ſupernaturali, ac per Fidem propoſito; debet enim quis mori pro Fide CHRISTI, vel alicujus honeſti per Fidem propoſiti ex Charitate. Hinc S. HIERONYMUS in cap. V. ad Galat. „ Si ita Martyrium fecerimus, ut noſtras velimus „ ab Hominibus Reliquias honorari; ſi „ opinionem vulgi ſectantes intrepidi ſan- „ guinem fuderimus, & ſubſtantiam no- „ ſtram usque ad mendicitatem propriam de-

„ dederimus; huic operi non tam prœ„ mium, quam pœna debetur, & perfi„ diæ magis tormenta sunt, quam coro„ na victoriæ. „ Quæ ad Martyrii Aureolam pertinent, annotata fuerunt Tom. III. pag. 173.

165 RESOLUTIO I. Martyrium tam in Parvulis, quam Adultis supplet Defectum Baptismi Aquæ, id est, Remissionem Peccati originalis & actualium, tam quoad Culpam, quam Pœnam ex *opere operato* producit.

PROB. I. Pars de Parvulis. Ex Mente Ecclesiæ, quæ Parvulos ab HERODE pro CHRISTO occisos, ut Martyres, ac Sanctos colit, & de quibus in oratione dicit: *qui fidem non loquendo, sed moriendo confessi sunt*: jam autem ut ait S. Prosper in Resp. ad Capitula Gallorum: tanta est Precum Ecclesiasticarum Authoritas, ut *legem credendi statuat lex supplicandi.*

166 PROB. II. ex textibus PP. qui Martyrio in genere, absque Distinctione inter Adultos, & Parvulos, hanc Efficaciam tribuunt. Sic AUGUSTINUS Lib. XIII. de Civit. Dei cap. VII. „ Quicunque etiam „ non percepto regenerationis lavacro pro „ Confessione nominis Christi moriuntur, „ tantum in eis valet ad dimittenda Pec„ cata, quantum si abluerentur sacro fon-

te

„ te Baptiſmatis. Qui enim dixit: *niſi* „ *quis renatus fuerit* &c. alia ſententia iſtos „ fecit exceptos, ubi non minus genera- „ liter dixit: *qui perdiderit animam ſuam* „ *propter me, inveniet eam.* „ Et Tertullianus Lib. de Baptiſ. cap. XVI. „ Eſt „ quidem nobis etiam ſecundum lavacrum, „ unum & ipſum, Sanguinis ſcilicet, de „ quo Dominus: *habeo*, inquit, *Baptiſmo* „ *tingi*, quum jam tinctus eſſet. „ Hic eſt Baptiſmus, qui Lavacrum & „ non acceptum repræſentat, & perditum „ reddit. „

Prob. II. Pars de Adultis, ex illo 167
Chriſti Matth. X. 32. *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis eſt.* S. Cyprianus Epiſt. LXXIII. expreſſe meminit *Baptiſmi Sanguinis*, cui omnem Baptiſmi fluminis effectum tribuit. Idem de Orat. Dom. de Unitat. Eccleſiæ Epiſt. LVII. ad Cornel. Epiſt. LX. ad eundem ait, omnibus prodeſſe Baptiſmum Sanguinis, exceptis Schiſmaticis & Hæreticis. Cyrillus Hieroſolym. Catech. III. n. 7. „ Si quis non baptizatur, ſalu- „ tem non habet, præter ſolos Martyres „ qui vel ſine aqua Regno cœleſti potiuntur. Redimens enim terram Salvator „ per Crucem, & in Latere vulneratus, „ Sanguinem & Aquam emiſit: ut alii „ quidem Pacis Tempore in aqua bapti-

„ zaren-

„ zarentur, alii vero Tempore Perſecu-
„ tionis in propriis Sanguinibus baptizen-
„ tur. „. Plures Textus paſſim apud Authores legi poſſunt.

168 . PROB. III. Pars, hunc Effectum Adultis *ex opere operato* tribui, ex D. THOMA in IV. D. IV. Q. III. A. III. Solut. III. ad I.
„ Baptiſmus Sanguinis non habet hoc tan-
„ tum ex opere operante, neque quan-
„ tum ad pœnam, qua aliquis Martyrium
„ excipit, quam contingit non eſſe ſuffi-
„ cientem ad ſatisfactionem pro peccato:
„ neque quantum ad devotionem juſtæ
„ voluntatis, quia contingit, quod vo-
„ luntate majori charitate informata ali-
„ quis ſine Martyrio non poteſt ab omni
„ pœna liberari: ſed hoc habet ex imita-
„ tione Paſſionis Chriſti. „ Ex quibus formatur Argumentum. Ideo Baptiſmus Fluminis, etiam in Adulto, ex *opere operato* producit Effectum, quia eam operatur per quamdam figuralem Imitationem Paſſionis CHRISTI: imo ideo in Parvulis operatur, quia eſt realis Imitatio Paſſionis Chriſti: atqui etiam Baptiſmus Sanguinis operatur per realem Imitationem Paſſionis Chriſti: ergo etiam in Adultis ex opere operato producit Effectum.

169 PROB. II. Ideo in Parvulis ex opere operato Martyrium producit Effectum, quia Martyrio

tyrio promiſſa eſt Gratia, & Vita æterna ex N. 165. Ergo etiam in Adultis; quia promiſſio eſt *generalis*: *Omnis qui confitebitur. Qui perdiderit animam &c.*

PROB. III. Quod confert gratiam ſo- 170
lum ex *opere operantis*, non confert illam ſupra Meritum operantis: ſed Martyrium ſæpe illam confert ſupra Meritum operantis: ergo. *Min. prob.* Si aliquis gravium criminum reus ſubito rapiatur ad Martyrium, & v. g. capite plectatur; Pœna, quam ſuſtinet, non eſt ſufficiens ac proportionata ad ſatisfaciendum pro reatu Culpæ & Pœnæ Peccatorum præcedentium, & in illis Circumſtantiis vix poteſt elicere tam intenſam Contritionem, cui tanta reſpondeat Gratia: & tamen certum eſt, illi remitti omnem Reatum culpæ & Pœnæ. Ergo in hoc caſu operatur ſupra Meritum operantis.

PROB. IV. Martyri infallibiliter remit- 171
titur Reatus Pœnæ, & quidem *ex vi* Martyrii, conſequenter ex opere operato; id enim probant Textus Patrum, dum ait AUGUSTINUS, Injuriam fieri Martyri, dum oratur pro Martyre, cujus orationibus Eccleſia commendatur: & TERTULLIANUS quamquam millenarius, fatetur tamen, de Reſurrect. Carnis cap. XLIII. „Nemo peregrinatur a corpore ſtatim

 „immo-

„ immoratur penes Dominum, nisi ex Mar-„ tyrii prærogativa : „ Ergo eidem etiam remittitur Reatus culpæ, quia nisi prævie remissa culpa, Pœna non potest remitti. *Ant.* adhuc probatur. Pœna non potest infallibiliter remitti ex vi Contritionis & Dilectionis Dei, ut patet in Parvulis ; in Adultis autem non est certum, & infallibile, Actus illos fuisse tanti Fervoris, & Intensionis, ac Extensionis, ut sufficiant ad totius Pœnæ Remissionem ; contingere enim potest, ut extra Martyrium aliquis habeat intensiorem charitatem, quam Martyr, quæ tamen non sufficiat ad Satisfactionem totalem : ergo *ex vi* ipsius Martyrii remittitur Pœna totalis, consequenter ex operato. Hinc ait TERTULLIANUS in Apologet. contra gentes cap. L. „ Quis „ non, ubi requisivit, accedit? Ubi ac-„ cessit, pati exoptat? ut totam gratiam „ redimat ; ut omnem veniam compensa-„ tione Sanguinis sic expediat. *Omnia* „ *enim huic operi delicta donantur.* „

172 OBJIC. I. contra primam Partem. Regula generalis est : *nisi quis fuerit renatus aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* At per Martyrium non regenerantur ex Aqua. *Ergo* &c.

RESP. Est Regula generalis, quæ tamen in aliquibus casibus limitatur per alteram Regulam CHRISTI, itidem generalem :

lem: *Qui me confessus fuerit* &c. *Qui perdiderit Animam suam propter me* &c. quam ita intellexit Ecclesiæ constans Traditio.

Objic. II. Martyrium hunc Defectum 173
suppleret ratione Confessionis Fidei. Atqui Parvuli Fidem confiteri non possunt. *Ergo* &c.

Resp. Disting. Ratione Confessionis realis, & alienæ. *Conc.* oralis, & personalis. *Subdisting.* in Adultis. *Conc.* in Parvulis. *Nego.* Sicut enim Parvuli ab Herode occisi *fidem Christi non loquendo, sed moriendo confessi sunt*; ita etiam alii Parvuli.

Neque dicant Adversarii, Parvulos ab 174
Herode occisos, jam prius fuisse circumcisos, adeoque non ratione Martyrii, sed Sacramenti salvatos.

Nam non constat, omnes illos jam octavum Diem, qui Circumcisioni erat determinatus, attigisse; cum Tyrannus jusserit occidi omnes *a Bimatu*, NB. *& infra.* Dein Ecclesia non ob Circumcisionem, sed ob realem Imitationem Passionis Christi illos honorat ut Sanctos.

Objic. III. Martyrium est Actus For- 175
titudinis, & debet esse spontanea Tradi-

tio corporis ad Mortem pro CHRISTO: atqui hujus incapaces ſunt Parvuli: *ergo* &c.

RESP. *Diſt.* Eſt Actus Fortitudinis, realis. *Conc.* eliciti, & a charitate imperati. *Subdiſt.* in Adultis. *Conc.* in Parvulis. *Nego.* Dupliciter ſpectari poteſt Martyrium: *uno* modo, prout eſt Actus Fortitudinis imperatus a Charitate cum Profeſſione Fidei: *altero* modo prout eſt realis Imitatio Paſſionis CHRISTI. *Priore* modo non competit Parvulis, & habet Effectum ſolum ex opere operantis. *Altero* modo etiam in Parvulis verificatur. Ita D. THOMAS loc. Num. 164. cit. a. I. ad I. Sicut enim Parvuli illi aliena Voluntate contrahunt originale Peccatum, ita aliena, id eſt, Eccleſiæ Voluntate Fidem pro CHRISTO profitentur, & pro hac Profeſſione Sanguinem fundunt, ac corpora ſua carnificibus tradunt.

176 OBJIC. contra III. Partem. Si Martyrium conferret gratiam ex *opere operato*; eſſet Sacramentum; foret enim Signum ſenſibile gratiæ, in ſui Uſu conferendæ. At hoc non poteſt dici: *ergo* &c.

RESP. Nego *Maj.* Nam ad Sacramentum, præter aſſignata, requiritur: 1. Forma Verborum determinata, exprimens Effectum Sacramenti. Requiritur 2. Ut Miniſter cum Intentione & in nomine CHRI-

STI

STI illud conferat, ut dici queat, Actionem Miniſtri eſſe moraliter actionem ipſius CHRISTI. Utrumque deficit in Martyrio; nam Miniſter, ſeu, Perſecutor, potius in Nomine Diaboli agit, & non CHRISTUS per ipſum, tanquam ſuum Miniſtrum. Sic D. THOMAS III. p. q. 66. a. XI. ad 2.
„ Sacramentum habet rationem Signi: alia
„ vero duo (Baptiſmus Flaminis & San-
„ guinis) conveniunt cum Baptiſmo aquæ,
„ non quidem quantum ad rationem Signi,
„ ſed quantum ad effectum Baptiſmatis,
„ & ideo non ſunt Sacramenta. „

OBJIC. II. Martyrium nihil valet ſine 177
Charitate: ergo ſolum confert gratiam ex opere operantis. *Ant.* prob. I. Corinth. XIII. ait Paulus. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Et D. THOMAS ad hunc locum III. part. quæſt. 66. a. 12. ad 2. & 2. 2. Quæſt. 124. a. 2. ad 2. „ *Quod autem ſit Meritorium, hoc habet ex Charitate, ſicut & quilibet virtutis actus.*

RESP. I. *Diſt.* Nihil valet ſine Charitate, elicita & Intentionis. *nego.* ſine Charitate reali, & operis. *Conc.* Hoc ipſo enim, quod aliquis pro Fide Chriſti Mortem acceptet, Charitatem exercet, *qua majorem nemo habet, ut animam ſuam ponat pro Chriſto.*

178 Resp. II. *Disting.* Sine Charitate vel antecedente, vel concomitante. *Conc.* sine antecedente. *nego.* Non enim hæc est Mens D. Pauli & D. Thomæ, quod sine Charitate *antecedente*, & *imperante* Actum Fortitudinis, Martyrium nihil prosit; sed solum, quod sine *ulla* Charitate, etiam *concomitante*, non producat Effectum. Sufficit ergo, ut aliquis contritus Deum omnis Justitiæ Fontem diligere incipiat, & sic pro Christo mortem acceptet; tunc in ipso actu Martyrii infundetur gratia & Habitus Charitatis.

179 Resp. III. Etiam sine Fide, & saltem attritione, nihil prodest Adulto Baptismus Aquæ; & tamen non sequitur, quod ex *opere saltem operantis* justificet. Etiamsi ergo *forte* requiratur Actus Charitatis; cum id tamen solum fiat *per modum Dispositionis*; non minuitur Efficacia Martyrii.

180 Resp. IV. *Dist.* Nihil valet sine Charitate, in quantum est Actus Fortitudinis, qui debet esse a Charitate imperatus. *Conc.* In quantum est realis imitatio Passionis Christi, quæ dicit realem Charitatem, saltem in adulto. *Nego.* Aliunde vix est possibile, ut aliquis pro Christo mortem acceptet, nisi Charitate flagrans.

Objic. III. Præceptum Charitatis obligat quemlibet Hominem sub gravi Peccato in Articulo mortis: ergo si Martyr Charitatem non habeat; hoc ipso peccat, nec consequitur Gratiam Justificationis. 181

Resp. *Disting.* Obligat ad *Actum*, vel ad *opus* Charitatis. *Conc.* semper ad *Actum* expressum: *subdisting.* Extra Martyrium. *Conc.* in Martyrio. *Nego.* Vel denuo *disting.* ad Actum in- & extensive perfectum, qui se solo justificet, ac omnem Pœnam remittat. *nego.* Ad Actum substantialem, cui tamen non semper annexa est plena Remissio omnis Pœnæ. *Conc.* Et hinc non sequitur, quod Martyrium non habeat suum effectum *ex opere operato*, ut primum dictum fuit respons. 3. ad 2.

Objic. IV. Cyprianus Epist. ad Cornel. Papam ait, lapsos ante Martyrium debere reconciliari, & Sacramenta suscipere. „ Nec quisquam dicat, ait, qui Martyrium tollit, sanguine suo baptizatur: „ nec pax illi ab Episcopo necessaria est, „ habituro gloriæ suæ pacem, & accepturo majorem de Domini Dignatione „ mercedem. „ Sed si Martyrium ex opere operato tolleret omnem reatum Culpæ & Pœnæ; superfluum esset Sacramentum Pœnitentiæ. *Ergo* &c. 182

Resp. Cyprianus vult, lapsos debere reconciliari, quando tempus suppetit, cum sit de necessitate Præcepti divini.

Hinc docet, etiam præmittendam Eucharistiam: imo & Catechumenos in Aqua baptizandos. Quia quando occasio adest; urget obligatio Præcepti divini. Ex quibus non sequitur, Martyrem tantum per Reconciliationem, & non magis per Martyrium plenam Remissionem omnis Pœnæ *ex opere operato* consequi.

183 Resolutio II. Etiam Baptismus *Flaminis*, quando Baptismus Fluminis, aut Sanguinis, haberi nequit, supplet illius Defectum: sed non eodem modo.

Prob. I. Pars. Invocationi divini Nominis, & Actui Charitatis, vita æterna promissa est. Sic Joel II. *Qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*: & Joann. XIV. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.* Ergo supplet Defectum Baptismi: sed tamen propter votum saltem *implicitum* illius, juxta Num. 150.

184 Prob. II. ex Traditione Ecclesiæ, quæ pro Catechumenis ante Baptismum defunctis orabat, consequenter eorum salutem supponebat. Ita S. Ambrosius de obitu Valentiniani Jun. Imperat. qui Catechumenus obierat: „ Si, quia solemniter „ non sunt celebrata Mysteria, hoc mo„ vet; ergo nec Martyres, si Catechu„ meni fuerint, coronantur. Non enim

„ co-

„ coronantur, ſi non initiantur. Quod ſi
„ ſuo abluuntur Sanguine, hunc ſua Pie-
„ tas abluit & voluntas. „

S. Augustinus Lib. IV. de Bapt. cap. XXII. ait, Latronem in cruce Baptiſmo Flaminis ſalvatum: „ Etiam atque
„ etiam conſiderans, invenio, inquit, non
„ tantum Paſſionem pro Nomine Chriſti
„ id, quod ex Baptiſmo deerat, ſupplere,
„ ſed etiam Fidem converſionemque cor-
„ dis, ſi forte ad celebrandum Myſterium
„ Baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccur-
„ ri non poteſt. Neque enim latro ille
„ pro Nomine Chriſti crucifixus eſt, ſed
„ pro Meritis facinorum ſuorum; nec
„ quia credidit, paſſus eſt, ſed dum pa-
„ titur, credidit. Quantum itaque valeat
„ etiam ſine viſibili Sacramento Baptiſmi,
„ quod ait Apoſtolus, *corde creditur ad*
„ *Juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad Sa-*
„ *lutem*; in illo latrone declaratum eſt.
„ Sed tunc impletur inviſibiliter; cum My-
„ ſterium Baptiſmi non contemptus Reli-
„ gionis, ſed Articulus neceſſitatis exclu-
„ dit. „

Prob. III. Catechumeni ſunt Membra 185
Eccleſiæ, quamvis non agnoſcantur exterius, ut ſuppono ex dicendis *de Eccleſia*. Atqui non poſſunt eſſe Membra Eccleſiæ ſine aliquo Baptiſmo: ergo Baptiſmus *Flaminis* ſupplet Defectum Baptiſmi *Fluminis*.

186 Prob. II. Pars, quod non operetur eodem modo. Nam I. Baptiſmus *Fluminis*, & *Sanguinis*, operantur æque in Adultis, ac Parvulis: Parvuli autem Baptiſmo *Flaminis* incapaces ſunt. II. Illi operantur *ex opere operato*: hic tantum ex opere *operantis*. III. Illi infallibiliter remittunt omnem Reatum Culpæ, & Pœnæ: hic tantum juxta Intenſionem Charitatis: quæ raro tanta eſt, ut omnem Reatum Pœnæ deleat. Cumque Eccleſia pro Catechumenis defunctis, modo non ſua culpa Baptiſmum neglexerint, orare conſueverit, quod nunquam fecit pro Martyribus; ſuppoſuit, ipſis non omnem Pœnam fuiſſe dimiſſam.

§. III.

An Fides, vel Votum Parentis pro Parvulo ſuppleat Baptiſmum Fluminis, vel Sanguinis?

187 Prodiit haud ita pridem Landishutanis typis Opuſculum quoddam, hoc Titulo inſcriptum: *Juſtificatio Parvuli, ſine Martyrio, & Sacramento Baptiſmi in Re ſuſcepto, decedentis*: cujus Author, mihi æſtimatiſſimus, piam hanc Opinionem, ſaltem ut probabilem, perſuadere adlaborat, quod Fides Parentum Charitate formata,

&

& Deo pro Parvulo oblata, eidem prosit ad Salutem; si vel in Utero Matris decedat, aut aliunde Aqua salutari ablui nequeat, nec proprio Sanguine baptizatus, ut Martyr obierit. Ante ipsum Gabriel BIEL, & GERSON, Cancellarius Universitatis Parisiensis, Concione de Nativitate B. M. V. coram Synodo Constantiensi habita, hortabantur Parentes, ut pro Parvulis in Utero morituris, Deum precentur. *Quis enim scit*, ajebat GERSON, *si forte exaudiat.* CAJETANUS in III. Part. D. THOMÆ Q. 68. art. XI. scripsit: „ Dicendum, sub conditione tamen, Parvulos in Uteris Maternis periclitantes posse salvari, sicut dictum est de Infantibus, qui non possunt baptizari. „ At vero PIUS V. hanc Sententiam ex Commentariis CAJETANI jussit expungi. Quod vero Concilium TRIDENTINUM, teste PALAVICINO, Sententiam CAJETANI expresse non damnaverit; ideo contigit, quia, cum fuerit unice congregatum adversus Errores Protestantium, eam tunc expendere noluit. Plures adhuc alii in eodem Libello allegantur hujus piæ sententiæ Patroni, ac inter eos CARAMUEL, ille omnis Probabilitatis, ne dicam, laxitatis Assertor. Quamprimum autem Romam delatus fuit iste Libellus, mox Indici Librorum prohibitorum nominatim fuit insertus.

188 RESOLUTIO. Fides, aut Votum Parentum, vel alterius pro Parvulo, non supplet Defectum Baptismi Fluminis, vel Sanguinis, nec prodest Saluti Parvuli ita decedentis.

PROB. I. ex Scriptura, & Effato CHRISTI generali. Joann. III. *Nisi quis fuerit renatus ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei*: qui textus, ut advertit S. AMBROSIUS Lib. II. *de Abraham* cap. ult. *nullum excipit, non infantem, non aliqua necessitate præventum.* Responderi posset: non obstante generali expressione hujus Textus, illum tamen limitari per Exceptionem Fidei formatæ Parentum.

189 CONTRA est. Quod ille Textus limitari possit in casu Martyrii; adest sufficiens Fundamentum in S. Scriptura per alium Textum, itidem generalem. Matth. X. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*: adest quoque Fundamentum ex perpetua Traditione, & Consuetudine Ecclesiæ, quæ defectum Baptismi Aquæ credidit suppleri per Martyrium. Vid, Num. 165. seq. At vero tale Fundamentum non habetur pro Voto Parentum in favorem Liberorum, quin, Traditio potius obstat: quod

190 PROB. II. ex Traditione. S. AUGUSTINUS expresse negat, prodesse Parvulo Fidem

dem Parentum absque Baptismo Epist. II.
III. ad Bonifacium; „Ut possit regenera-
„ ri Infans per officium Voluntatis alie-
„ næ cum offertur consecrandus, facit
„ hoc unus Spiritus, ex quo regeneratur
„ oblatus; non enim scriptum est: *Nisi*
„ *quis renatus fuerit ex parentum voluntate,*
„ *aut offerentium, vel ministrantium*: sed,
„ *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiri-*
„ *tu S. non potest introire in Regnum Dei.*
„ Aqua igitur exhibens forinsecus Mini-
„ sterium gratiæ, & Spiritus operans in-
„ trinsecus beneficium gratiæ, regenerat
„ hominem in uno Christo ex Adam ge-
„ neratum.„ Ceteri Patres omnes hanc
Baptismi Fluminis, vel Sanguinis, Necessitatem in parvulo agnoscunt, nec ullus allegari potest, qui dixerit: *valere Votum alienum pro Parvulo.*

Prob. III. Ratione Theologica. Quæ 191
a libera Dei Voluntate dependent; non aliunde determinari possunt, quam ex Revelatione divina, vel *scripta*, vel *tradita*: Atqui Fidem Parentum pro Parvulis supplere Defectum Baptismi, est Res a libera Voluntate Dei dependens; & ex Revelatione divina, *scripta*, vel *tradita*, non est determinata: *ergo* &c. *Maj.* est certa; quod enim aliud datur Fundamentum Theologicum, nisi ex Verbo Dei? Ratio naturalis de Rebus liberi Arbitrii divini, nulla dari potest, & constat etiam ex

eo; quia cum S. Scriptura taceat de aliquo Remedio, vel Sacramento pro originali Peccato in Lege Naturæ, & in Statu Legis ſcriptæ, pro Parvulis ante octavum Diem morituris; non ſupereſſet ſufficiens Probabilitas illud adſtruendi, niſi communis AUGUSTINI, Patrum, & Theologorum Sententia aliquam ſaltem probabilem Traditionem effeciſſet: ergo quando tacente S. Scriptura nequidem *probabilis* Traditio Patrum, & Theologorum adeſt; res a libera Voluntate Dei pendens nequidem *probabiliter* determinari poteſt. *Min. prob.* De S. Scriptura certum eſt, illam de Fide Parentum, tanquam Medio juſtificativo Parvulorum altum ſilere. Traditio ex adverſo nulla proferri poteſt, niſi forte GERSONIUS, qui tamen hanc piam Opinionem poſitive non tuetur, & CARAMUEL, SS. Patribus adnumerandi forent. Obſtat etiam conſuetudo Eccleſiæ, quæ Parvulos ante Baptiſmum decedentes, nequidem eccleſiaſtica Sepultura dignatur; quod Indicio eſt, illos pro Membris Eccleſiæ non reputari. Sed & communis Theologorum Sententia, ipſorumque Fidelium Senſus adverſæ Opinioni refragatur.

192 PROB. IV. Si quod pro adverſa Opinione adeſſet Fundamentum; tunc hæc Paritas. In Lege Veteri, quando non poterat adhiberi Circumciſio, quamvis neceſ-

ceſſitate medii neceſſaria fuerit, Parvulo proderat Fides Parentum, aut aliorum pro Parvulo; ne multi ſine Remedio decederent: quod eſt contra generalem Dei Voluntatem ſalvandi omnes: ergo ex eadem Ratione in novo Teſtamento, quod eſt Lex Amoris, in Defectu Baptiſmi, proderit Parvulo Fides Parentum Charitate formata. Atqui hoc Fundamentum nullum eſt. *Ergo* &c. *Min. prob.* Adverſarius laborat falſo ſuppoſito, Circumciſionem fuiſſe Remedium neceſſarium contra originale Peccatum, quod negatur. Sed transmiſſo etiam; non valet conſequentia Argumenti; quia ex eo, quod Deus *unum* voluerit, idque probabiliter tantum; non ſequitur etiam voluiſſe *aliud*. Sic in Lege Naturæ Fides Parentum erat Remedium *ordinarium* pro Peccato originali Parvulorum: ergo etiam in Lege nova? conſequentia utique falſa eſt, nec ullo Fundamento ſuffulta. Unde infero: Fides Parentum in Lege Naturæ, & ſcripta, erat Remedium ordinarium & unicum pro Parvulis: ergo exinde non poteſt Argumentum duci ad novam Legem, ubi illi Remedio ſucceſſit Baptiſmus *Fluminis*, vel *Sanguinis*, tanquam *unicum* & *ordinarium*; quoad Martyrium autem Remedium *extraordinarium*.

PROB. V. Quod non poſſit duci Ar- 193
gumentum ex Remedio Status Naturæ, &

ſcri-

ſcriptæ, ad noſtram legem, ex eo conſtat; quia juxta D. Thomam, & communem Theologorum, Fides illa Parentum pro Parvulo, non debebat eſſe *Charitate formata*, utpote quæ non juſtificabat Infantem, in quantum erat Actus Perſonæ, ſed quatenus habebat pro Objecto Chriſtum Dominum: Econtra pro noſtro Statu juxta expreſſa Adverſarii verba Num. 22. non ſufficit Fides qualiſcunque, ſed neceſſaria eſt Fides *per dilectionem operans*, ſeu, talis, quæ includat Votum Baptiſmi. Unde ſic infero. Si Parvulus juſtificatur per Votum Parentum; tunc ille Actus vel juſtificat, in quantum eſt *meritorius*, idque de *condigno*, aut *congruo*: vel eo modo, quo juſtificabat Fides informis in Lege Veteri. Neutrum poteſt dici: ergo non poteſt inde deſumi Paritas: Non *ſecundum*; Id enim fatetur Adverſarius. Non *primum*; quia *de condigno* nemo poteſt alteri mereri gratiam primam, præcipue Defectu Promiſſionis: ut dictum eſt Tract. de merit. Meritum autem *de congruo* non conſequitur infallibilem Effectum: & dum Juſtus alteri meretur Gratiam primam; id non fit *immediate*, ita ut Deus alteri Intuitu Meriti infundat Gratiam ſanctificantem, ſed ſolum, ut conferat Auxilia actualia, quibus mediantibus ſe ad Juſtificationem diſponat, adeoque tantum Adulto: Parvuli enim non ſunt capaces Auxilii

actua-

actualis. Ergo nec de congruo Parentum Fides Parvulis gratiam primam mereri potest.

Prob. VI. Fides Parentum in veteri Lege non justificabat Parvulos, in quantum erat Actus Personæ. Ergo nec in novo Testamento. Atqui secundum Adversarium deberet justificare, in quantum est Actus Personæ Deo gratæ, & meritorius; Non enim alio fine potest charitatem requirere: ergo non justificat eo modo, quo olim; ergo nec potest inde ulla duci legitima Paritas ad nostrum Statum: secus illi Parvuli fuissent melioris conditionis; cum Fides *informis* facilius possit haberi, quam Fides charitate *formata*: Sequela autem est contra perpetuum Adversarii Principium, quo vult, Parvulos novi Testamenti non debere esse deterioris conditionis, quam illos Legis veteris. 194

Objic. I. Innocentius III. cap. Majores. III. *de Baptismo* contra illos, qui Parvulos negabant baptizari posse, decernens, utitur Argumento a Circumcisione deducto, vultque, Deum etiam præparasse Remedium Parvulis, ne Baptismus minoris videatur esse Effectus, quam Circumcisio: ergo sicut in casu, quo Circumcisio applicari non potuit, adhuc tamen supererat Remedium aliud, nempe 195

Fides Parentum; ita quoque in Nova Lege, caſu quo Baptiſmus *in re* applicari non poteſt, adhuc ſupereſſe debebit Remedium aliud, nempe Fides Parentum.

Resp. Innocentius agit contra illos, qui exiſtimabant, Baptiſmum omnino pro Parvulis non eſſe inſtitutum, ſed tantum pro iis, qui actu credere poterant. Et hinc bene argumentatur, Baptiſmum minoris fore Efficaciæ, ſi non etiam Parvulis poſſet applicari, ſicut potuit applicari Fides cum Circumciſione. Unde tamen non ſequitur, aliud præter Baptiſmum præparatum eſſe Remedium: ſicut præter Fidem Parentum, quod in meis Principiis erat Remedium *ordinarium* & *unicum*, non ſupererat aliud.

196 Objic. II. Deus Fidem Parentum, vel aliorum, per Dilectionem operantem, & Parvulo applicatam, reputat quaſi eſſet ipſius Parvuli. Ergo talis Actus ſupplet vicem Baptiſmi. *Ant. prob.* Deus ita reputabat hanc fidem alienam in Lege Veteri: ergo a fortiori in Lege nova. *Ant. prob.* Probabile eſt, Remedium Naturæ non habuiſſe Rationem Sacramenti, ſicque non cauſaſſe Gratiam ex *opere operato*, nam ut ait D. Thomas IV. Diſt. I. q. 2. a. 6. qq. 2. ☉ *Ideo alii probabilius dicunt, quod Parvulis ſufficiebat ſola Fides*

ſine

ſine omni exteriori ſigno: quod tamen ad rationem Sacramenti neceſſarium eſt.

RESP. Nego *ant.* Ad ejus Probationem. *Conc.* Remedium legis naturæ non cauſaſſe gratiam ex *opere operato*: nego autem, propterea non fuiſſe Sacramentum. Ut enim dixi ſuo loco, hæc ipſa eſt Differentia Sacramentorum utriusque Legis, quod illa tantum ex opere *operantis*, hæc autem ex opere *operato* Gratiam conferant: quod non ita intelligendum, quaſi Fides Parentum tanquam Actio perſonalis juſtificaſſet Parvulum; ſed quod Deus Intuitu Chriſti, per Profeſſionem Fidei ſibi repræſentati, contulerit Parvulo Gratiam Juſtificationis, quod D. THOMAS dicit, conferre Gratiam *quaſi ex opere operato.* Nunc autem Fides formata Parentum deberet tanquam Actio *perſonalis*, & *meritoria*, producere Juſtificationem. Unde a contrario infero: Fides Parentum in Lege Veteri non juſtificabat ut *Actio Perſonæ*, nec ita applicabatur Parvulo, ſed juſtificabat potius Objectum illius fidei, Deo repræſentatum: ergo nec modo juſtificat Parvulum Actio perſonalis Parentum; maxime, cum illa Profeſſio Fidei fuerit Sacramentum: Actus autem Fidei utcunque charitate formatæ Parentum pro Parvulis, certe Sacramentum non ſit. Textum D. THOMÆ *diſt.* Sufficiebat ſola Fides interna. *Nego.* Externa Profeſſio, absque addito alio ſigno exteriori. *Conc.* Et hæc

 erat

erat Differentia inter Sacramentum Adultorum, & Parvulorum; quod pro Parvulis ſuffecerit ſola Fidei Profeſſio exterius manifeſtata: pro Adultis autem illam Proteſtationem Fidei debuerint comitari Ceremoniæ exteriores, puta Sacrificia.

197 Objic. III. Deus etiam in Nova Lege Fidem alienam reputat, tanquam ipſius Parvuli. Ergo etiam Dilectionem alienam pro Parvulo ita reputat, conſequenter Actus ille charitatis cum Voto Baptiſmi habebit rationem Baptiſmi *Flaminis perſonalis* quoad Effectum. *Ant. prob.* ex unanimi fere omnium Patrum ſententia, qui dicunt, Parvulum credere Fide aliena, præcipue Sponſorum. Sic Augustinus Lib. III. de Lib. Arb. cap. XXIII. „ Pie „ recteque creditur, prodeſſe Parvulo eo„ rum fidem, a quibus conſecrandus of„ fertur. „ Probatur etiam conſequentia. Ideo Parvulis prodeſt aliena fides; quia ipſis nocuit aliena Voluntas, nempe Adami, ad contrahendum originale Peccatum. Ergo etiam ideo proderit aliena Dilectio perfecta, quæ utique delet originale Peccatum.

Resp. *Diſt. ant.* Reputat alienam Fidem tanquam ipſius Parvuli, intra Sacramentum. *Conc.* extra Sacramentum. *Neg.* Quando enim Patres dicunt, Parvulos credere Fide aliena; loquuntur de Sacramento

mento Baptiſmi in ordine ad Objectionem illorum, qui Baptiſmum Parvulorum negabant, ex ratione, quod non poſſent credere, & renuntiare Diabolo. His autem reſpondent, quod Parvuli *quodam modo* Fidem exprimant per Verba geſtantium: quod utique juxta Adverſarium ad Valorem non requiritur; cum etiam aliquis incredulus, modo Intentionem habeat ſuſcipiendi Baptiſmum, valide baptizetur. Nunquam autem Patribus in mentem venit, ut dicerent, Fidem alienam, etiam *extra Sacramentum*, Parvulis prodeſſe ad conſequendum Effectum Sacramenti. Nego etiam conſequentiam: ad *prob. Diſt. ant.* Prodeſt aliena Fides, cum remedio ordinario a Chriſto præſcripto: *Conc.* absque illo. *Nego ant.* Nego quoque Suppoſitum, quod ad Baptiſmum Parvuli neceſſaria ſit Fides Parentum, vel offerentium; cum utique ſine hac Fide Baptiſmus valeat. Quando enim Sacramentum valet; adeſt Fides Eccleſiæ, etiamſi nec Parentes, nec Offerentes, nec Sponſores, nec ipſe etiam Miniſter, Fidem habeat: & ſi quam habeat, non debet eſſe *charitate formata.* Si ergo Fides ad Sacramentum non eſt neceſſaria, imo nec utilis; cum propter Parentum fidem non conſequatur majorem Gratiam: ergo multo minus proderit extra Sacramentum. Nego inſuper conſequentiam; quod enim nocuerit Parvulis aliena Voluntas; inde

provenit, quod Parvulorum Voluntas cum voluntate Adami tanquam Capitis humani generis, conjuncta fuerit, ut hanc interim Hypothesin largiar, de qua pluribus pertractavi Tom. IV. pag. 391. Ex diversa Ratione non potest Parvulis prodesse Parentum Fides charitate formata; quoniam horum Voluntati non est alligata Parvulorum Voluntas. Prodest quidem ipsis Fides Ecclesiæ *cum Sacramento*, quoniam CHRISTUS, tanquam Baptismi Author, & Caput Hominum redemptorum, voluit, ut in Fide Ecclesiæ credentes Parvuli ab originali Peccato per Baptismum Aquæ mundentur: non proderit autem Fides aliena *extra Sacramentum*, quoniam hoc CHRISTUM voluisse non constat.

198 OBJIC. IV. Si Fides Parentum non supplet Defectum Baptismi; tunc Parvuli in Utero Matrum decedentes, nullum habent omnino Remedium Salutis, ne quidem *sufficiens*: At hoc admitti nequit. *Ergo* &c. *Min. prob.* Si nullum prorsus habent Remedium Salutis; tunc non verificatur, quod Deus habeat Voluntatem *sinceram* salvandi illos parvulos: qui enim vult Finem, vult etiam Media, sine quibus Finis haberi nequit: & contra, qui Medium nullum præbet, Finem non sincere voluisse convincitur: atqui non potest dici, quod Deus non habeat Voluntatem sinceram salvandi Parvulos istos: ergo

ergo nequit admitti, quod non habeant Medium ad Salutem ſufficiens.

RESP. *Diſt. Maj.* Non habent Medium Salutis, præparatum. *Nego.* Non habent *actu collatum. Conc.* Pro omnibus Hominibus a CHRISTO redemptis *præparatus* fuit Baptiſmus, etiamſi non omnibus *actu conferatur.* Collatio enim *actualis* Baptiſmi, non eſt tantum Medium *ſufficiens*, ſed *efficax*, quod Deus nulli debet. *Ad prob. diſt. Maj.* Non haberet Deus Voluntatem *conſequentem* ſalvandi Parvulos. *Conc.* Nec *antecedentem. Nego.* Voluntas antecedens ex dictis de Gratia eſt Voluntas *Beneplaciti*, qua juxta noſtrum concipiendi modum Deus aliquid fieri decernit ſecundum ſe ſpectatum, & quaſi ante Circumſtantias particulares, ſecundum quas illud ipſum non vult. E. g. Princeps vult Vitam & Bonum omnium Civium in genere: ſi quem vero contingat eſſe rebellem, Homicidam &c. in his circumſtantiis particularibus vitam illius non vult. *Conſequens* eſt, qua Deus vult aliquid ſimpliciter conſideratis omnibus circumſtantiis, & ita vult ſalvare Prædeſtinatos. Voluit igitur Deus Salutem omnium Hominum, & ex hoc fine præparavit omnibus Hominibus Remedia ſufficientia: ſed quoniam ſimul nec tenetur, nec vult, tanquam Proviſor & Author Naturæ generalis impedire curſum cauſarum ſecundarum, quæ Parvulo intercipiunt

Vitam, & faciunt, quo minus Baptiſmus actu ipſi conferri poſſit; Ideo permittit nonnullos absque Baptiſmo decedere, propter *Reprobationem negativam*, factam poſt præviſum originale Peccatum, a qua maſſa Perditionis *efficaciter* extrahere tantum voluit Prædeſtinatos, ceteros in ea relinquere. Nec fit ipſis Injuria; quoniam per Peccatum originale Jus ad hæreditatem cœleſtem omnes perdidimus: quod nonnullis ſolum *gratuito*, non autem ex *Debito* reſtituit.

Diſting. etiam alterum: qui vult Finem, vult etiam Media, eo modo, quo vult Finem. *Conc.* aliter. *Nego.* Sicut ergo Deus Salutem Parvulorum illorum tantum vult *Voluntate antecedente*: hinc eadem etiam tantum vult Media, & quidem quantum eſt de ſe efficaciter. Quorum Salutem vult voluntate conſequente, his, nempe Prædeſtinatis, etiam voluntate conſequente vult applicari Media efficacia. Ceterum Voluntas *antecedens* ſalvandi verificatur per hoc: quod omnibus prorſus præparaverit Media Salutis *ſufficientia*, etiamſi non omnibus actu conferantur; non ex Defectu Voluntatis poſitivæ: ſed propter impedimenta cauſarum ſecundarum, quarum curſum invertere non tenetur.

CAPUT

CAPUT VII.

De Effectu Baptiſmi.

Effectus Baptiſmi alii ſunt *veri*, quos ſtatuunt Catholici: alii a Proteſtantibus conficti. De utrisque, ac inſuper de baptizatorum obligationibus pro Tractatus hujus complemento dicendum.

§. I.

De Effectibus Baptiſmi, a Proteſtantibus falſo confictis.

Quinque Baptiſmi Effectus enumerant 199
Pſeudo-reformati. 1. Quod Gratia Baptiſmi non poſſit omitti, reddatque Hominem impeccabilem, ac conſequenter damnari nequeat, niſi nolit credere. 2. Quod Baptiſmus liberet Hominem ab Obedientia Legis divinæ, hoc ſenſu, quod Chriſtiano baptizato transgreſſio Legis divinæ, quæ ſit quidem Peccatum, non imputetur ad Peccatum, modo Fidem habeat. 3. Quod liberet ab obſervantia Legum humanarum, eccleſiaſticarum, & civilium, quæ in Conſcientia non obligent,

nisi ratione Scandali & Contemptus, quæ sunt prohibita Lege divina. 4. Quod irrita faciat omnia Vota. 5. Quod Peccata post Baptismum commissa remittantur sola Memoria Pacti cum Deo in Baptismo initi. Hi quidem Errores damnantur a Concilio TRIDENTINO Sess. VII. can. VI. VII. VIII. IX. X. & propriis locis in Theologia refutantur. Primum refutavi Tom. VII. de *Gratia* habituali & Justificatione. Secundus & tertius proscribitur Tom. IV. de *Legibus*. Quintus Tom. XI. de *Pœnitentia*, ubi docetur, Pœnitentiam esse Sacramentum a Baptismo distinctum, & necessitate Medii ac Præcepti necessarium. Superest *quartus*, qui spectat ad Materiam de Religione & Votis: & quem hoc loco breviter revincere oportet.

200 RESOLUTIO. Falsum est, Baptismo irritari omnia Vota, sive ante Baptismum, sive post illum facta. *Contra Lutherum & Calvinum.*

PROB. I. Vota sunt Actus honesti, Statui Legis Evangelicæ conformia, & ad Cultum Dei pertinent. Ergo post Baptismum non irritantur. Consequentia constat ex eo; quia CHRISTUS per Institutionem hujus Sacramenti noluit abrogare Actus virtutum, Legi suæ maxime convenientes. *Ant. prob.* quoad I. Partem. Ipse CHRISTUS laudavit eos, qui propter

ſe reliquerunt omnia: quod involvit Votum Paupertatis. Commendavit Votum Continentiæ & Virginitatis: ut conſtat ex illo Matth. XIX. *Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos conſtraverunt propter Regnum Cœlorum: qui poteſt capere, capiat.* Idem facit Apoſtolus I. Cor. VII. conſulens abſtinere a primis, aut ſaltem ſecundis nuptiis: atqui non poteſt commendari & ſuaderi a Deo, niſi actus honeſtus: ergo Vota ſunt Actus honeſti. *Prob. ant.* quoad II. Partem. Votum ex ſua natura eſt *Promiſſio deliberata melioris boni Deo facta*: ergo eo ipſo ad Cultum Dei pertinent; Cultus enim Dei nihil eſt aliud, niſi Teſtificatio noſtræ Subjectionis, & Obſervantiæ erga Deum.

Prob. II. Vota, ſive ante, ſive poſt 201
Baptiſmum emiſſa, obligant in Conſcientia: ergo per Baptiſmum non irritantur. *Ant. prob.* 1. De voto in genere dicit Deus Eccleſ. V. *Quodcunque voveris, redde: multoque melius eſt non vovere, quam poſt promiſſum vota non reddere.* *Ant. prob.* 2. Ananias & Saphyra ob violationem voti graviter fuerunt puniti, ita ut ne Aditum quidem ad Pœnitentiam invenerint: ergo obligabantur in Conſcientia. *Ant.* præter textum in Act. Apoſt. probatur ex S. Basilio Homil. de inſtitut. Monach. „ Licebat initio Ananiæ poſſeſſiunculam „ ſuam Deo non polliceri ac vovere: ſed

„ poſt-

„ poſtquam humanæ gloriæ cupiditate in„ ductus, quidquid in bonis habebat, per „ profeſſionem Deo conſecravit . . . de „ pretio autem poſtea neſcio quid callide „ intervertit, ejusmodi adverſum ſe indi„ gnationem Dei provocavit, cujus Petrus „ Miniſter fuit, ut ne ad pœnitentiam „ aditum invenire potuerit. „ *Ant. prob.* 3. Paulus I. Tim. V. de Viduis Votum Continentiæ non ſervantibus ſcribit: *habentes damnationem, quia primam fidem*, id eſt, promiſſionem Deo factam ut explicant PP. *irritam fecerunt.* Ergo &c. *Ant. prob.* 4. Ex Concilio ELIBERITANO anno 305. celebrato can. XIII. *Virgines, quæ ſe Deo dedicaverint, ſi Pactum perdiderint Virginitatis . . . placuit nec in fine dandam eis eſſe Communionem.*

202 PROB. III. Ratione. Omnis Promiſſio ab altero acceptata, obligat Jure naturali; eſt enim contractus: Atqui Votum eſt Promiſſio Deo facta, & ab eo acceptata: ergo obligat.

203 2. Si Baptiſmus haberet hunc Effectum irritandi Vota; deberet de eo aliquid conſtare ex S. Scriptura; cum Proteſtantes nil aliud credere velint, quam quod eſt in S. Scriptura revelatum: atqui de eo non conſtat: ergo &c.

3. Quæ ad Obſervantiam vitæ Chriſtianæ, ac conſequendam Perfectionem, quam in Baptiſmo ſpondemus, conducunt, non poſſunt per Baptiſmum irritari. Atqui Vota ſive ſimplicia, ſive Monaſtica, ad id conducunt; removent enim Impedimenta plurima: *ergo* &c. 204

Objic. I. Deus in Veteri Teſtamento disſpoſuit de Votis, quomodo & de quibus Rebus fierent: nihil autem in Novo Teſtamento declaravit, ſed tantum voluit Matth. ult. ut Apoſtoli docerent Chriſtianos *ſervare omnia quæcunque mandaverat*, quod profitemur in Baptiſmo. Ergo cum Vota non mandaverit: ea irrita voluit per Baptiſmum. 205

Resp. *Conc.* Chriſtum Vota non præcepiſſe; ſed nec prohibuiſſe legitur, commendaſſe tamen, & conſuluiſſe legitur.

Objic. II. Vota minuunt Libertatem, quam Christus nobis aſſeruit. Ergo &c. 206

Resp. Libertas, quam per Christum habemus, eſt Libertas a Peccato, & a Jugo Legis Veteris, non autem Libertas a Juſtitia: Nam ut ait Paulus Rom. VI. *Liberati a Peccato, ſervi facti eſtis Juſtitiæ.* Itaque *diſt.* Minuunt Libertatem carnis. *Conc.* Spiritus. *Nego.* Hanc enim Vota promovent.

Objic. II. Vota ſupponunt, nos per Profeſſionem Evangelii, quam in Baptiſmo emittimus, non eſſe perfectiſſimo Vinculo Deo obſtrictos, quia Votis nos magis obſtringimus: 207

mus: ſed hoc derogat Dignitati Baptiſmi. Ergo &c.

Resp. Si Legi Chriſtianæ non liceret ſuperaddere Vota; tunc nec licuiſſet ſuperaddere Legi Veteri; nam primum Decalogi Mandatum: *diliges Dominum ex toto corde* &c. omnia involvit Præcepta. Verſantur ergo Vota plerumque circa Res liberas, ad quarum obſervantiam nos Deus non obligat: nec tamen prohibet, quin aliquis propria voluntate ſe obſtringere valeat.

208 Objic. IV. Vel voventur Res jam aliunde præceptæ? tunc vota ſunt fruſtranea, quia in Baptiſmo vovemus omnia Præcepta. Vel Liberæ? & hæc vota pugnant cum Libertate Chriſtiana. *Ergo* &c.

Resp. Voveri poſſunt Res, ſive præceptæ, quia tunc implentur ſecurius & perfectius; utpote ex Motivo duarum Virtutum; ſive liberæ, ut mox dictum.

209 Objic. V. In Baptiſmo plus vovemus, quam implere poſſimus: ergo ſtultum eſt, aliquid novi Oneris impoſſibilis ſuperaddere.

Resp. Nego *ant.* Præcepta enim omnia cum gratia Dei impleri poſſe, cum *Jugum* ipſius *ſit ſuave & onus leve*: dictum eſt Tom. VI. *de Gratia.* Eſſet enim Deus Tyranno crudelior, ſi ultra Vires Hominem obligaret, & quidem ad culpam & Pœnam.

§. II.

De veris Baptiſmi Effectibus, & *baptizatorum obligationibus.*

Cum Baptiſmus ſpectari poſſit, ſive quoad *Valorem*, ſive quoad *Fructum*; Hinc diverſi ſunt Effectus. Et quidem ſecundum ſolum *Valorem* conſiderati Effectus eſt, *Character*, de quo egi Tom. IX. *de Sacramentis in genere.* Ubi hoc tantum addendum, Characterem Baptiſmi non ſolum diſtinguere Chriſtianos a ceteris, ſed etiam ornare, ac inſuper tribuere Potentiam quamdam paſſivam, & Jus ad reliqua recipienda Sacramenta, quæ ſine illo non valent, ut patet ex cap. *Si quis.* de *Presbytero non baptizato.* ubi Pontifex decernit, illum primo baptizandum, dehinc reordinandum. Quod ad *Fructum* attinet, præcipuus eſt Remiſſio Peccati originalis, & actualium, non tantum hoc Senſu, ut Peccatum in Fidelibus baptizatis ſolum radatur, tegatur, ad Culpam & Pœnam non imputetur, re ipſa autem, & formaliter in Homine remaneat. Quod poſt MESSALIANOS volunt hodierni Proteſtantes refutati Tom. VII. *de Gratia habituali* & Juſtificatione: ſed vere deleantur quoad Reatum Culpæ & Pœnæ: ut ibidem dictum eſt. Hinc breviter enumerantur Effectus Baptiſmi. 210

RESOLUTIO. Veri Effectus Baptiſmi ſunt ſequentes. 211

PRI-

Primus. Remittit Reatum culpæ originalis & actualium, quod constat ex Paulo Rom. VIII. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo JEsu.* Si autem in iis vere adhuc esset Peccatum originale quoad Reatum culpæ; certe aliquid Damnationis iis inesset. Vid. etiam Concilium Tridentinum Sess. V. Decreto de Peccato originali.

Secundus. Remittit totum Reatum Pœnæ æternæ. Ex eodem Tridentino Concilio & perpetua Ecclesiæ Traditione: ubi notandum tamen, in Adulto non semper deleri omnem Reatum Pœnæ temporalis; si enim aliquis cum Affectu ad Peccatum veniale accedat, cum Reatum culpæ illius retineat, etiam Condignitatem ad Pœnam temporalem ei commensuratam habet. Hinc Ecclesia Vetus tanto tempore, tantisque Pœnitentiæ, ac Virtutum operibus Catechumenos ad Baptismum præparare solebat, ut omni Affectu ad Peccatum deposito plenissimam Peccatorum, Pœnarumque Remissionem consequerentur.

212 Neque opponatur Exemplum Apostolorum, qui credentes, nulla interposita Mora, solebant baptizare; Inter Miracula enim numeranda est illa subita Hominum mutatio ac conversio, gratia Dei superabundanter in iis operante: quibus signis cessantibus ad ordinariam Disciplinam, modumque agendi Hominibus proprium, redeundum erat.

Ter-

TERTIUS. Infundit Gratiam ſanctifican- 213
tem. Ex dictis de Juſtificatione, & ex illo Pauli I. Cor. VI. *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in Nomine Domini Noſtri JEſu Chriſti, & in Spiritu Dei Noſtri.*

QUARTUS. Reddit Hominem formaliter juſtum, Juſtitia unicuique propria inhærente.

QUINTUS. Reddit Hominem Deo gratum. 6. Dei Filium. 7. Regni cœleſtis Hæredem. 8. Cohæredem Chriſti. 9. Conjungit CHRISTO tanquam Membra Capiti. 10. Efficit Animas Templum Spiritus S. 11. & ejus organa. 12. Dat denique Habitum ad vitanda Peccata, Vitamque Chriſti Legibus conformiter ducendam, quæ ſingula explicat D. HABERTUS.

Quod Obligationem baptizatorum, quæ 214
eſt alter Sacramenti Effectus, ſpectat, ea maxima eſt, tum ex magnitudine Donorum, quibus in Baptiſmo receptis Deo conſtringimur, tum etiam ex Sponſionibus, ſeu promiſſis ibi factis, quibus vovemus *primo*, nos adhæſuros CHRISTO, ejusque ſervaturos Legem Evangelicam. 2. obtemperaturos Legibus Eccleſiæ ejusque Paſtoribus. 3. nos abrenuntiare iis omnibus, quæ Chriſtiano Inſtituto adverſantur. Votum *primum* nos obligat ad omnia Præcepta poſitiva Legis Evangelicæ: *alterum* ad Præcepta Eccleſiaſtica: *tertium* ad renuntiandum Satanæ & Operibus ejus, & Pompis ejus.

215 Intelligitur autem per *abrenuntiationem* Satanæ, abnegatio Mundi, & sæcularium Actuum, ut CHRYSOSTOMUS, & AMBROSIUS explicant. Per *opera Satanæ*, Peccata omnia, quæ efficiunt filium Diaboli. Per *Pompas* ejus, Concilium PARISIENSE VI. intelligit Spectacula, Venationes, Vestimentorum cultum, Jactantiam, Fastum, Ambitionem, & Superfluitatem cujuslibet rei in humanis usibus, unde crescat elatio, quæ multoties honestati adscribitur.

216 Ex his autem obligationibus, quæ latius expendit D. HABERT, etiam consequitur, gravius in eodem genere peccare Christianum, quam non baptizatum, utpote pluribus titulis ac obligationibus Deo constrictum. Idque docet D. THOMAS IV. Dist. 38. q. I. a. XI. & colligitur ex Ep. ad Hebr. X. v. 28. *Irritam quis faciens Legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit: & Sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui Gratiæ contumeliam fecerit.* Et patet ex Praxi Ecclesiæ Veteris, quæ post Baptismum lapsos multo gravioribus castigabat Pœnitentiæ laboribus, quam Catechumenos. Sed de his legi meretur HABERT. Quæ attinent Ritus in administratione Baptismi adhiberi solitos, & Patrinos, quorum sub Nomine *Sponsorum* jam meminit TERTULLIANUS, apud obvios Authores occurrunt.

DE

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

HOc Sacramentum in S. Scriptura ſimpliciter dicitur *Impoſitio Manus*. A Patribus *Unguenti Myſterium*, *Sacramentum Chriſmatis*, *Chriſma ſanctum Sigillum*, *vel Signaculum.* Frequenter vocabatur Perfectio: hinc dicebant: Epiſcopum debere Neophytos per Benedictionem, aut Manus Impoſitionem perficere. Nunc ergo agendum Cap. I. de Sacramenti hujus Exiſtentia & Inſtitutione. 2. de Materia & Forma. 3. de Miniſtro. 4. de Subjecto, Neceſſitate & Effectu.

CAPUT I.

De Exiſtentia, & Inſtitutione Confirmationis.

§. I.

An Confirmatio ſit verum novæ Legis Sacramentum?

PSeudo-Reformatores, qui hunc Ritum e 1
numero Sacramentorum expunxerunt;

ne viderentur aliquid in Religione innovasse, Erroris sui Patrocinium quærunt inter Antiquos. Prætendunt igitur, NOVATIANUM Schismaticum illos in hoc puncto antecessisse. Sed præterquam quod hæc Gloria facile illis concedi posset, eos esse Hæreticorum Successores, quorum Errores magna ex parte resuscitarunt, a vero tamen prorsus abludit, NOVATIANUM hoc Sacramentum negasse. Neglexit quidem illud, quoniam cum in Infirmitate in Lecto fuisset baptizatus, deinceps Episcopo confirmandum se non stitit, ut testatur CORNELIUS P. R. Epist. ad Fabium Antiochen. Hinc facile suis persuasit, illud necessarium haud esse.

2 Majus forte Præsidium accedit Novatoribus ex *Albingensibus* & *Waldensibus*, quos Sacramentum Confirmationis negasse, ajunt. Sed & hoc, utcunque flebile Beneficium nutat; quoniam Authores coævi id solum de iis testantur, quod hoc Sacramentum non curaverint, aut Chrisma, quod juxta multos non est Pars essentialis, rejecerint. At neque WICLEFUM, neque HUSSUM pro se allegare possunt; quoniam in Concilio CONSTANTIENSI, ubi eorum proscribuntur Errores, nulla fit hujus Mentio. Itaque primus omnium LUTHERUS illud e Sacramentorum Numero eliminavit, & nudam esse Ceremoniam Ecclesiasticam voluit. Hodie tamen in multis locis Protestantium hic Ritus

tus retinetur, & Adulto, Pactum Baptiſmale renovanti Manus a Paſtoribus imponi ſolent.

3 Melanchton & Chemnizius opinantur, Confirmationem olim fuiſſe quandam Catecheſin, ſeu, Examen Doctrinæ, cum impoſitione manuum, & Largitione Donorum Spiritus S. nunc otioſam prorſus Ceremoniam. Calvinus longius progreſſus, eam vocat *vacuum* & *frigidum ſignum, abortivam Sacramenti Larvam*, imo *exitiales Satanæ præſtigias*. Econtra Catholici cum Concilio Tridentino Seſſ. VII. can. I. de Confirmatione Sacramentum Novæ Legis proprie dictum confitentur.

4 Resolutio. Confirmatio eſt verum ac proprie dictum Novæ Legis Sacramentum. *Eſt de Fide.*

Prob. I. ex S. Scriptura: Act. VIII. 14. ſeq. „ Cum audiſſent Apoſtoli, quod „ Samaria recepiſſet Verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem: qui „ cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut „ acciperent Spiritum S. nondum enim in „ quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in Nomine D. Jesu. „ Tunc imponebant manus ſuper eos, & „ accipiebant Spiritum S. „ Ex quo textu ita formatur Argumentum: Ubi adeſt Signum ſenſibile, conſtans Rebus & Verbis, perpetuum, ac practicum Gratiæ ſanctificantis, ibi eſt verum Novæ Legis

Sacramentum. Atqui in Ritu illo ab Apoſtolis celebrato hæc omnia inveniuntur: ergo Ritus ille eſt verum Sacramentum, quod dicimus Confirmationem. *Maj.* conſtat: quia nec Proteſtantes plus ad rationem Sacramenti requirunt, niſi forte Præceptum divinum: quod tamen in eodem textu ſaltem obſcure intelligitur, quia niſi extitiſſet Præceptum divinum, non tam ſoliciti fuiſſent Apoſtoli in Ritu illo adminiſtrando. *Min. prob.* Adeſt enim Impoſitio Manuum tanquam Signum ſenſibile: adeſt Forma Verborum, Oratio: adeſt Gratia, nimirum Collatio Spiritus S. quæ non tantum intelligi debet de Donis gratuitis, Linguarum, Prophetiæ &c. ut volunt Adverſarii: ſed de Gratia gratum faciente, nempe conferente Robur ad profitendam Fidem, & perfectionem chriſtianam obtinendam, ut explicant Patres tam Latini quam Græci, qui illam Manuum Impoſitionem tanquam neceſſariam, & tanquam Sacramentum conſtanter agnovere usque ad LUTHERUM, quos videre eſt apud WITASSIUM, & Dogmaticos.

5 OBJIC. I. Sacramentum debet habere annexam Promiſſionem Gratiæ: atqui hæc nullibi nec Unctioni, nec Manuum Impoſitioni fuit promiſſa: ergo &c.

RESP. Nego *ant.* Promiſſus enim fuit abſolute Spiritus S. etſi Chriſtus in Terminis expreſſe ſuam Promiſſionem Impoſitio-

tio-

tioni Mannum non alligaverit. Dein Promiſſio deſumitur ex Effectu; ſemper enim ad Impoſitionem Manuum ab Apoſtolis, & aliis factam, Spiritum S. fuiſſe collatum, ſcribitur, quod præcipue ex Traditione Patrum unanimi colligendum.

Objic. II. Si quæ fuit promiſſa Gratia, erat Chariſmatum gratis datorum, quæ neceſſaria fuere primæ Eccleſiæ: nunc autem deficiunt. Ergo &c. 6

Resp. Confirmatio primis Temporibus habuit duplicem Effectum, unum *ordinarium*: qui eſt Gratia corroborativa in Fide, & perficiens Chriſtianum: alterum *extraordinarium*, ut erant Gratiæ gratis datæ. Hic quidem communiter jam non datur: non autem deſiit primus; nam & Fidei in Christum promiſſæ erant pro aliquo tempore gratiæ extraordinariæ: *Signa eos, qui crediderint hæc, ſequentur: in Nomine meo Dæmonia ejicient* &c. quæ nunc non omnibus, etiam vere fidelibus, dantur: ex quo non ſequitur, hunc fuiſſe *unicum* Fidei Effectum, aut Fidem propterea penitus ubique exſpiraſſe.

Objic. III. Samaritani per illam Manuum impoſitionem accepere quidquam, quo ante caruerant; at non caruerant Spiritu Sancto, relative ad Gratiam ſanctifi- 7

cantem, utpote eandem per Baptismum consecuti: sed carebant Gratiis extraordinariis gratis concessis: ergo has tantum consecuti sunt, non autem Gratiam gratum facientem: ergo non fuit ibi collatum Sacramentum.

Resp. *Disting. min.* Non carebant Spiritu S. relative ad Gratiam sanctificantem, quoad *unum* Effectum, qui est Habitus baptismalis. *Conc.* quoad Effectum *distinctum*, nempe Habitum corroborativum & perfectivum. Nego.

8 Objic. IV. Apostoli nequibant dare, quod non habebant: atqui ipsimet non habebant Sacramentum Confirmationis; debuerant enim illud accepisse a Christo, vel ante Passionem, vel post Resurrectionem. Non ante; quia, uti dicetur, Confirmatio fuit serius instituta: Neque post Resurrectionem; cum enim in ultima Cœna jam fuerint ordinati Sacerdotes, qui supponuntur confirmati; fuisset inversus Ordo. Neque in Die Pentecostes; quia deerat Materia propria Sacramenti, cum non adfuerit Impositio Manus, nec Unctio, nec Forma Verborum.

Resp. Omissa *Maj.* quæ absolute falsa est, *disting. min.* Non habebant Sacramentum Confirmationis, *formaliter. Conc.* eminenter, vel *virtualiter*, nempe quo-

quoad Effectum. *Nego.* Hunc enim ex promiſſione CHRISTI acceperant in Pentecoſte, ubi accipiebant plenitudinem Spiritus S. Quod autem nunc Confirmatio præmitti debeat Ordinationi, videtur eſſe Præcepti Eccleſiaſtici, nec ad Valorem requiri.

Ex his colligitur, magisque patebit ex 9
dicendis de Effectu, Confirmationem definiri poſſe *Sacramentum novæ Legis, quo baptizati perficiuntur, iisque datur Gratia Spiritus S. ſeu Robur ad firmandam, ac fortiter profitendam Fidem.* Dicitur *baptizatis*; cum enim Baptiſmus ſit Janua in Eccleſiam, ac tribuat Potentiam paſſivam recipiendi reliqua Sacramenta; non aliis, quam baptizatis, hoc Sacramentum conferri poteſt. Dicitur: quo *perficiuntur.* Ut enim dicam de Effectu, Fideles absque hoc Sacramento non habebantur pro *perfectis* Chriſtianis. Chriſtianus enim a CHRISTO, qui dicitur *unctus*, Nomen accepit, nec convenire poteſt, niſi Spiritu S. unctis, ut præter alios aſſerit CYRILLUS Hieroſolymitanus Catecheſi Myſtagog. 3. infra allegandus. Dicitur: *Spiritus S. Robur*, nempe Augmentum Gratiæ, & Habitus corroborativus. Cetera deſignant Finem hujus Sacramenti proprium, qui non ſolum eſt Profeſſio publica Fidei contra Perſecutores Eccleſiæ: ſed etiam in-

internus Assensus contra Tentationes Diaboli in Materia Fidei.

§. II.

De Institutione hujus Sacramenti.

10 Dixi suo loco, CHRISTUM *immediate per se* instituisse omnia novæ Legis Sacramenta. At quoniam de hoc Sacramento non conveniunt inter se Theologi, hic retractare, non extra orbitam fuerit. Sunt enim, qui existiment, hoc Sacramentum a CHRISTO immediate institutum fuisse tam quoad rationem Materiæ, nempe Impositionis Manuum, & Chrismatis, quam Formæ hodie usitatæ: *Signo te* &c. Aliis placet, institutum fuisse tantum ratione Manus Impositionis cum Forma eidem correspondente: alii dicunt ratione Formæ & Materiæ in genere, non autem in specie ac individuo. Jacobus Cardinalis a VITRIACO, PETRUS CANTOR, & ESTIUS docent, Sacramentum hoc quoad *Unctionem* fuisse ab Ecclesia institutum. ALEXANDER *Alensis* putat, nec CHRISTUM, nec Apostolos hoc Sacramentum instituisse aut dispensasse, sed originem habuisse in Concilio MELDENSI anno 845. celebrato, quod sane erroneum est, nec hodie a Catho-

tholico propugnandum. De Tempore Inſtitutionis itidem variant, nec hac in re certi quidpiam determinari poteſt, tacente Scriptura, & obſcura etiam Traditione: quare tantum de Probabilitate Scholaſtica agitur.

RESOLUTIO. Sacramentum Confirma- 11
tionis fuit a CHRISTO *immediate* inſtitutum, & quidem probabiliter poſt Reſurrectionem quadraginta illo Dierum Spatio, quo ante Aſcenſionem cum Diſcipulis de Regno Dei egit. forte Joann. XX. 21. dum dixit. *Sicut miſit me Pater, ita ego mitto vos.*

PROB. I. Pars. Concilium VABRENSE ex tribus provinciis Narbonenſi, Toloſana & Auxicana anno 1368. convocatum, cap. de fide Cath. ait: „ Omnia Sacramenta Novæ Legis Chriſtus per ſemet „ ipſum immediate inſtituit: aliqua tamen, „ præcipue Confirmationem, & extremam Unctionem per Apoſtolos promulgavit. „ Idem fere habet Synodus MOGUNTINA 1549. cap. XI. & nonnulla alia Concilia particularia: ex quibus nonnulli colligunt, ad Fidem pertinere hanc quæſtionem; quos tamen hallucinari oſtendit Continuator WITASSII; quia TRIDENTINUM Concilium ob contrarias Authorum ſcholaſticorum Opiniones, conſulto ab hac Definitione abſtinuit. Ratio autem pro noſtra Sententia eſt; quia tam Impoſitio ma-

nus,

nus, quam Chrismatio, omni tempore, etiam Apostolico, in Ecclesia obtinuit, nec ejus reperitur Initium. TERTULLIANUS de utraque, tanquam de Ritu communiter recepto, & ab Apostolis tradito, loquitur. Ut ostendam infra de Materia & Forma.

12 PROB. II. Pars. Illo tempore existimandum est nonnulla Sacramenta, ac inter illa Confirmationem, fuisse a Christo instituta, quo promisit Apostolis Virtutem supervenientem Spiritus S. quo contulit Potestatem in Corpus Christi Mysticum, & plura patefecit arcana, quæ antea non poterant portare; dicebat enim ad illos: *multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare* modo: præcipue quia non potest aliud tempus magis congruum assignari. Atqui illis XL. Diebus *loquens de Regno Dei*, id est, de Regimine Ecclesiæ, Gratiam, Virtutemque promisit, quam operatur in nobis Confirmatio Luc. XXIV. 49. Act. I. 8. Omnem illis contulit in Ecclesiæ corpus Potestatem Joann. XX. 21. patefecit arcana; ut enim scribit S. LEO Magnus Serm. I. de Ascens. Domini. „ Hi „ Dies, qui inter Resurrectionem Domi- „ ni, Ascensionemque fluxerunt, non „ otiose transiere; sed magna in eis con- „ firmata *Sacramenta*, magna sunt revela-

„ ta

„ ta Myſteria. „ Tempus autem magis congruum aſſignari nequit. Ergo &c.

13 Prob. II. negative. Confirmatio non fuit inſtituta Matth. XIX. 13. dum Christus Manum impoſuit parvulis, quamvis ita ſentiat Concilium Senonense ſeu Parisiense anno 1528. Nam illa Impoſitio manus fuit ſimplex Benedictio, Hebræis valde uſitata, ut Majores Adoleſcentulis manu impoſita benedicerent. gen. XLVIII. verſ. 14. quod ſentit etiam S. Chrysostomus, ideo fuiſſe oblatos Chriſto Parvulos, ut benedicerentur Contactu Manuum Salvatoris. Dein, probabiliſſimum eſt, Parvulos illos nondum fuiſſe baptizatos, ſicque alterius Sacramenti incapaces.

2. Neque fuit inſtituta Joann. XVI. 7. 14
dum Christus dixit: *Si non abiero, Paraclytus non veniet ad vos, ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Ibi enim ſolum eſt promiſſa Gratia, quæ promiſſio repetitur Joann. XV. 26. Luc. XXIV. 49. poſt Paſſionem. Equidem D. Thomas exiſtimat, ibi fuiſſe inſtitutam, non *exhibendo, ſed promittendo:* ex quo ſequeretur, debere dici inſtitutam in Die Pentecoſtes; ubi Promiſſio fuit exhibita & completa, aut jam in Veteri Teſtamento; quia promiſſa fuit Iſaiæ XLIV. 3. Joel. II. 28. quod nemo dixerit; ex hoc enim, quod Christus Joann. III. 5. cum Nicodemo agens, ex-

expreſſerit Gratiam Baptiſmi; non ſequitur, ibi fuiſſe inſtitutum: aliud eſt enim promittere, aliud inſtituere Sacramentum.

15 3. Non fuit inſtituta in ultima Cœna; ſi enim eſſet ulla Ratio, tunc ob Epiſtolam II. FABIANI P. R. cap. I. ubi ſcribit: „In illa die JESUS poſtquam cœnavit cum „diſcipulis ſuis, & lavit eorum Pedes, „ſicut a SS. Apoſtolis Prædeceſſores no„ſtri acceperunt, nobisque reliquerunt, „Chriſma conficere docuit.„ At ex hoc nihil evincitur; conficta eſt enim illa Epiſtola, omnium pene Eruditorum conſenſu, a Pſeudo-ISIDORO: & quamvis genuina foret, hoc tantum ſequeretur, ex Apoſtolorum Traditione oriri, ut in die Cœnæ Hebdomadæ majoris conficiatur Chriſma, quod hodie Eccleſia ſervat. Ceterum de *Inſtitutione* nihil in illa Epiſtola legitur, & illa Benedictio Chriſmatis probabilius tantum Ceremonia eſt ab Eccleſia inſtituta.

16 4. Non fuit inſtituta in Die ſolenni Pentecoſtes, quia ibi receperunt quidem Apoſtoli *Effectum* Confirmationis, non autem per Signum ſacramentale; cum neque Impoſitio Manus, nec Unctio, nec Forma Verborum adfuerit. Ergo tempore a nobis aſſignato, probabiliter fuit inſtituta.

Ob-

Objic. contra II. Partem. Loco ex JOANNE allegato CHRISTUS contulit Potestatem absolvendi: *accipite Spiritum S. quorum remiseritis* &c. quod pertinet ad Sacramentum Pœnitentiæ, non autem ad confirmandum Neophytos. *Ergo* &c. 17

Resp. Non utimur illo versu 22. sed præcedente, dum dixit: *sicut misit me Pater, ita ego mitto vos*, id est: sicut Pater misit me CHRISTUM unctum Spiritu S. ita ego mitto vos *unctos*, confirmatos, & consignatos Spiritu Promissionis S. & auctos Potestate plenissima Muneris Episcopalis.

Objic. II. loc. cit. Nulla est Mentio Materiæ, Manus Impositionis, nec Unctionis, nec Formæ verborum. Ergo &c. 18

Resp. Nulla quidem ibi Mentio *expressa*, sed *implicita*, sensu mox explicato. Dein cum fateamur, ex Scriptura non posse clare probari nostram Thesin, confugimus ad Traditionem: nam Apostolos legimus Manus Impositione confirmasse; inde concludimus, id fuisse a Christo edoctos, & quidem probabiliter post Resurrectionem.

CA-

CAPUT II.

De Materia, & Forma Confirmationis.

§. I.

De Materia essentiali Confirmationis.

19 Duplex in hoc Sacramento administrando occurrit *Materia*, seu Ritus externus, nempe Impositio Manus, & Unctio chrismatica in Fronte. Quænam sit essentialis? controvertitur; fatentur enim cordati Theologi, nihil hac de re in Conciliis fuisse definitum. Itaque Theologi Scholastici communiter pro Materia statuunt solam Chrismationem. Alii non pauci solam Impositionem Manuum. Multi quoque utramque cum Bellarmino. At quoniam duplex adhibetur Manus Impositio, prima, dum Episcopus extensis supra confirmandos Manibus Spiritum S. advocat: altera dum Manu Capiti confirmandi imposita Pollice signat Frontem & ungit, dicens: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate Salutis in Nomine Patris, & Filii & Spiritus S.* hinc quænam harum sit essentialis, inquirendum.

Re-

RESOLUTIO I. Impoſitio Manus, & quidem non illa prævia Extenſio, ſed Unctioni juncta, eſt Materia eſſentialis Confirmationis.

PROB. I. Pars. S. Scriptura ait. Apoſtolos Impoſitione Manuum dediſſe Spiritum S. ut Act. VIII. & XIX. *Cum impoſuiſſet illis Manus Paulus, venit Spiritus S. ſuper eos*. Id quod etiam conſtat ex Traditione Eccleſiæ per omnia Sæcula, ut præter alios copioſe probat continuator WITASSII. Sic ut vel unum, alterumve memorem. TERTULLIANUS ad finem Sæculi II. Lib. de Reſurrect. cap. VIII. „ Caro „ abluitur, ut Anima emaculetur: caro „ ungitur, ut Anima conſecretur: caro „ ſignatur, ut Anima muniatur; caro ma„ nus impoſitione adumbratur, ut Anima „ Spiritu illuminetur: caro corpore & „ ſanguine veſcitur, ut & Anima de Deo „ ſaginetur. „ CYPRIANUS Sæculo III. Epiſt. 73. „ Nunc apud nos geritur, ut „ qui in Eccleſia baptizantur, per Præ„ poſitos Eccleſiæ offerantur, & per no„ ſtram orationem, ac Manus impoſitio„ nem Spiritum S. conſequantur. „ Ceteros videre eſt paſſim. 20

Neque tantum in Occidente, ſed etiam in Oriente ea ſemper in uſu fuit: quod tum ex Epiſt. FIRMILIANI ad CYPRIANUM, tum ex *Authore Conſtitutionum Apoſtolica-* 21

rum Lib. VII. cap. XLIV. & XLV. & ex Euchologiis ab annis nongentis exaratis patet, ubi præter Unctionem, Manus Impositionis diserta fit Mentio: ajunt enim, *Hæreticos conversos debere suscipi sicut Neophytos*: atqui Hæretici certe per Manuum Impositionem admittebantur, ut ibidem habetur, & extra controversiam est, quod colligitur vel ex sola Epistola INNOCENTII I. ad Hymerium Tarraconensem: „Arianos cum Novatianis, aliisque hæreticis, „sicut est in Synodo constitutum, per „invocationem solam septiformis Spiritus „Episcopolis Manus Impositione, Catholicorum conventui sociamus, quod etiam „totus Oriens, Occidensque custodit.„

22 PROB. Ratione. Illa est materia essentialis, cui adscribitur Effectus Sacramenti, nempe Collatio Spiritus S. atqui Manus Impositioni adscribitur a Patribus iste Effectus: ergo est Materia essentialis. *Prob. min.* tum ex cit. Joann. locis, tum ex TERTULLIANO Lib. de Baptis. qui postquam descripserat Ritus Baptismi & Egressum de Lavacro: addit cap. VIII. *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans, & invitans Spiritum S.* HIERONYMUS Dialog. adversus Luciferian. *In Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipit Spiritum S.* AUGUSTINUS Tract. VI. in Epistola I. Joann. *Infantibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum S.* GREGORIUS

RIUS

RIUS M. homil. XVII. in Evang. *Per impositionem nostrarum manuum a Deo Spiritum S. accipiunt.* Ita & alii passim.

PROB. II. Pars. Materia, quæ est es- 23
sentialis Sacramento, debet applicari Subjecto saltem *moraliter* præsenti: atqui illa Impositio Manus prævia, seu, Extensio, non semper applicatur Subjecto moraliter præsenti. Ergo non est essentialis. *Maj.* constat ex eo; quia sicut non datur actio physica in distans, sic nec sacramentalis: secus absens sacramentaliter absolvi posset. *Min. prob.* Sæpissime contingit, præcipue in concursu Populi, dum Episcopus per plures horas hoc Sacramentum administrat, ut multi confirmandi non intersint illi præviæ Manuum Extensioni, imo aliquot horis ab Ecclesia distent; qui utique hac ratione non possunt dici confirmati; cum nequidem Episcopus possit habere Intentionem confirmandi Subjecta indeterminata, cujusmodi forent isti absentes.

Respondet quidem D. HABERT: hunc 24
esse abusum, corrigendum ab Episcopis. Sed cum videamus, Episcopos ad hoc non attendere; inde eruitur, illam Extensionem, sicut & Orationem concomitantem, non agnosci ab ipsis pro Ritu substantiali Sacramenti. Hoc forte concedi posset, in Ecclesia veteri, ubi Confirmatio statim post Baptismum confirmandis in

 unum

unum congregatis, iisque non adeo multis, conferri consuevit, illam præviam Manuum Impositionem cum Oratione concomitante fuisse essentialem: quæ hodie in Impositionem junctam Unctioni transierit: sicut & Formam illam *deprecatoriam* in modernam *absolutam* abiisse.

25 Neque inde quis inferat, Ecclesiam mutasse Materiam essentialem; hoc enim non sequitur. Siquidem a CHRISTO pro Materia essentiali, saltem partiali, instituta fuit Manuum Impositio: quomodo autem illa Impositio fieri debeat, potuit relinqui determinationi Ecclesiæ: sicut pro Materia Matrimonii fuit a CHRISTO elevatus contractus legitimus: quisnam vero sit *legitimus*, clandestinus, an publicus? Ecclesiæ determinandum reliquit. Ita pariter forte dicendum in hoc Sacramento.

26 PROB. II. Post illam Manus Extensionem, ac Orationem, præscribit Pontificale romanum, „ ut Episcopus sedeat super „ faldistorium dispositis per ordinem *con*„ *firmandis* (ergo antea non fuerant con„ firmati) & illos confirmet per ordinem „ genuflexos: „ quamvis viderim ego stantes confirmari.

27 PROB. III. In aliis Sacramentis ab Episcopo conferendis communiter observatur, ut Pontifex Sacramenta conficiens, oratio-

tiones quæ præcedunt, *ſtans depoſita mitra* recitet, & invocet Spiritum Sanctum, in actuali vero Collatione, v. g. ordinum *ſedeat* in faldiſtorio; quia tunc præcipue ſe gerit ut Eccleſiæ Miniſtrum: ergo cum iſtam Orationem præcedentem cum Manus Impoſitione ſtans peragat, ſequitur, quod tunc non conferat Sacramentum, ſed ad illud ſe præparet. Huic tamen Rationi, ſeu, Congruentiæ, non adeo fidendum; ſolent enim etiam hodie Epiſcopi, ſaltem in concurſu, ſtando hoc Sacramentum adminiſtrare.

PROB. IV. Sicut actio illa prævia aliquando fuit omiſſa, ut infra oſtendam, 28
ita probabiliter & illa concomitans Manus Extenſio: ergo hoc ipſo neutra eſt, hodie ſaltem, eſſentialis.

OBJIC. I. EUGENIUS IV. in Decret. ad Armenos ait: *Loco illius manus impoſitionis datur in Eccleſia Confirmatio.* Ergo 29
hodie Manus Impoſitio, non eſt materia eſſentialis.

RESP. Senſum verborum eſſe, Sacramentum, quod olim dicebatur Manus Impoſitio, nunc vocatur Confirmatio; ita, ut Sacramentum ſit idem, etſi alia ſit Appellatio.

OBJIC. II. Idem ibidem: „ Secundum 30
„ Sacramentum eſt Confirmatio, cujus

„ Materia eſt Chriſma confectum ex oleo „ & Balſamo : „ ergo non manus impo- „ ſitio.

Resp. *Diſting.* Chriſma *tantum* eſt Materia : Nego. *Etiam. Conc.* Ex eo enim, quod Eugenius Manus Impoſitionem *prætermiſerit*, non ſequitur, quod eam *excluſerit*: ſicut dum ait, Materiam Presbyteratus, eſſe Traditionem Patenæ cum Pane, & Calicis cum Vino, non commemorata Impoſitione Manus, quæ certe eſt eſſentialis ; hanc utique noluit excludere. Dein, ut obſervat Bellarminus de Confirm. cap. IX. Non omnia quæ habentur in Decretis, aut Conciliis, ad Fidem pertinent, ſed ea ſolum quæ definiuntur. Hoc autem de quo agimus, non definitur, ſed tantum obiter dicitur ad rem explicandam.

31 Objic. III. Innocentius cap. I. de *S. Unctione. Per frontis Chriſmationem Manus Impoſitio deſignatur.* ergo Manuum Impoſitioni ſucceſſit Chriſmatio, tanquam unica eſſentialis Materia.

Resp. Vult Innocentius, per Frontis Chriſmationem, junctam Manus impoſitioni, conferri illud Sacramentum, quod Veteres ſimpliciter Manus Impoſitionem appellabant.

32 Objic. IV. Innocentius IV. Epiſt. X. ad Ottonem Card. cap. IV. „ Soli

„ A-

„ Apoſtoli, quorum vices gerunt Epiſco-
„ pi, per Manus impoſitionem, quam
„ Confirmatio vel Chriſmatio repræſen-
„ tat, Spiritum Sanctum tribuiſſe legun-
tur. „ *ergo* &c.

RESP. *Diſting.* Quam Confirmatio, vel Chriſmatio, repræſentat, id eſt, ſimul præſentem ſiſtit, quia eam complectitur. *Conc.* quaſi eſſet tantum Figura Manus Impoſitionis, penitus omiſſæ. *Neg.*

OBJIC. V. Eccleſia Orientalis jam a pluribus Sæculis non adhibet Manus Impoſitionem, nec tamen hoc ipſis unquam a Latinis vitio datum fuit, aut eorum Sacramentum dubio Subjectum: *ergo* &c. 33

RESP. Nego *ant.* Etiamſi enim forte prætermittant Manus Impoſitionem *præviam*, non tamen negligunt illam, quæ juncta eſt Chriſmationi.

OBJIC. VI. S. THOMAS III. Part. Q. 72. art. II. ad I. & Art. IV. ad I. Solum Chriſma aſſignat pro Materia, imo ſupponit, Manus Impoſitionem nunquam fuiſſe Materiam Sacramenti. *Ergo* &c. 34

RESP. Conc. D. THOMAM ſuper Sententias, & in Summa ſcribentem, ſolum Chriſma agnoſcere pro Materia: at vero in Commentario ad Epiſt. Pauli ad Hebræos nobiſcum ſentit. Scribit enim Lect. I. in cap. VI. Hebr. „ Impoſitio Ma-
„ nuum eſt duplex. Una eſt Miracula fa-

 „ ciens

„ ciens: alia eſt ſacramentalis; & hæc eſt „ duplex, una in Sacramento Ordinis . . . „ alia in Sacramento Confirmationis ad re„ novationem. . . In Confirmatione enim „ datur Spiritus S. ad robur, ut ſcilicet „ audacter homo confiteatur Nomen Chri„ ſti coram hominibus. „

35 Resolutio II. Etiam Unctio Chriſmatis, eſt eſſentialis Materia Confirmationis.

Prob. I. ex S. Scriptura. II. Corinth. I. 21. *Qui confirmat nos in Chriſto, & qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Quem Textum de Sacramento iſto exponunt Patres plerique ita, ut per To *confirmat*, habeatur propriumNomen Sacramenti. Per To *unxit nos*, Unctio Chriſmatica externa intelligatur, vel ſi interna; hæc tamen ſit Effectus externæ. Per *ſignavit nos*, intelligatur vel character, vel Signum Crucis Fronti impreſſum. Per Pignus Spiritus, præcipuus Effectus Sacramenti denotetur.

Item I. Joann. II. *Vos Unctionem habetis a Sancto.* Quem locum Augustinus Tract. III. de Confirmatione exponit, & ibidem. *Et vos unctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis.* Ubi addit Augustinus „ Unctionis Sacramentum eſt „ virtus ipſa inviſibilis: Unctio inviſibilis „ Spiritus Sanctus. „

Prob.

PROB. II. Traditione Patrum, & Conciliorum, quæ paſſim apud Authores dogmaticos per omnia Sæcula legi poteſt. Ita TERTULLIANUS citatus. DIONYSIUS, dictus Areopagita, Lib. de cœleſti Hierarchia cap. 2. CYRILLUS Hieroſolym. Catecheſ. Myſtag. 3. tota. PACIANUS Epiſc. Barcinonenſis Epiſt. I. & ut alios omittam, ſcribit LEO M. Epiſt. LXXXVIII. ad Epiſcopos pertinere, Chriſmate baptizatorum Frontem ſignare. Et GREGORIUS M. in Sacramentario ait, Neophytos confirmari, dum Pontifex *tincto* Pollice in Chriſmate facit Crucem in Fronte. GREGORIUS Turon. Lib. II. hiſt. cap. III. „ Igitur Rex „ omnipotentem Deum in Trinitate con„ feſſus baptizatus eſt in Nomine Patris, „ & Filii, & Spiritus S., delibutusque S. „ Chriſmate cum Signaculo Crucis Chri„ ſti. „ Denique in hac Unctione amico Conſenſu Eccleſia Latina & Græca conſpirat, ut ex utriusque Pontificialibus Libris conſpicere licet. 36

PROB. Ratione. Ritus ille eſt ſacramentalis, cui Virtus ſanctificandi adſcribitur: atqui Unctioni attribuitur a citatis Patribus, & ab ipſa Scriptura locis allegatis. *Ergo* &c. Imo aliqui illorum de Manus Impoſitione (prævia) prorſus tacent, ac ſolius Unctionis faciunt mentionem: eſtque hæc Sententia Theologorum communiſſima; ita ut plerique ſolam Un- 37

ctionem pro Materia essentiali agnoscant. Constat insuper, plerosque Patrum Unctionem illam initerabilem statuisse, ut præcipue Optatus Milevitanus. Ergo hoc ipso non pro nuda Ceremonia, sed pro Substantia Sacramenti, saltem inadæquata agnovisse. Ex quibus consequitur, Materiam Sacramenti esse duplicem, utramque essentialem, simulque unam adæquatam constituere.

38 Objic. I. Nulla fit Chrismatis Mentio in S. Scriptura, sed legitur, Apostolos sola Manus Impositione contulisse Confirmationem. *Ergo* non est Materia essentialis.

Resp. Etiamsi S. Scriptura Chrismationem non exprimat, eam tamen neque excludit: sufficit ergo, quod eam probet continua Traditio.

39 Objic. II. Concilium Moguntinum 1549. ait: „ Hoc Sacramentum ab initio sola Manuum Impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum ex eorundem Traditione, adhibita Chrismatis Unctione cœpit conferri: „ ergo &c.

Resp. Concilium istud cum sit tantum particulare, nec infallibile; cum insuper non definiendo, sed obiter quasi discur-

ſcurrendo illud aſſerat, non poteſt noſtræ Sententiæ præjudicare.

Objic. III. Concilium Arausicanum I. can. II. ſtatuit: „ Nullus Miniſtrorum, 40
„ qui baptizandi recepit officium, ſine „ Chriſmate usquam debet progredi, quia „ inter nos placuit ſemel chriſmari. De „ eo autem, qui in Baptiſmate, quacun„ que neceſſitate faciente, non chriſma„ tus fuerit, in Confirmatione Sacerdos „ (Epiſcopus) commonebitur. Nam in„ ter quoslibet Chriſmatis non niſi una „ Benedictio eſt, non ut præjudicans quid„ quam, ſed ut non neceſſaria habeatur „ repetita Chriſmatio. „ Ergo cum Chriſmatio tuto poſſit omitti, non eſt Materia eſſentialis.

Resp. Magna eſt Controverſia de Senſu & Lectione hujus Canonis. Quidam enim Particulam, *non*, delent, & ita legunt: *ſed ut neceſſaria habeatur repetita Chriſmatio*. Ubi ſenſus eſt: ſi in Baptiſmate omiſſa fuit Chriſmatio *verticalis*, debet Epiſcopus in Confirmatione moneri, ut & illam verticalem ſuppleat, quæ eſt Ritus baptiſmalis, & Chriſmationem in Fronte, tanquam ſacramentalis Confirmationis Partem, cum Impoſitione Manuum adhibeat. Quodſi autem Particula negativa retinenda ſit; tunc Senſus Canonis eſſe poteſt: Chriſmationem *verticalem*, in

Ba-

Baptiſmo omiſſam, non eſſe *neceſſario repetendam*; cum ad Subſtantiam Sacramenti non pertineat: debet autem Chriſmatio in Fronte ſemel adhiberi, utpote eſſentialis Sacramento Confirmationis. Ceterum de hac Controverſia videatur præter Cabassutium Continuator Witassii, qui eam fuſe recenſet.

§. II.

De Materia Chriſmatis.

41 Communiſſima eſt Theologorum Sententia, ad Materiam Chriſmatis, quod eſt Unguentum ex Oleo & Balſamo confectum, requiri Oleum olivarum; quia iſtud Nomine *Olei* communiter intelligitur, cum tamen cetera olea dicantur cum additamento, Oleum Amygdalinum, Juglandum, Nucum &c. & quia, ut ratiocinatur D. Thomas III. Part. q. 77. art. II. ad 2. „ Proprietates Olei, quibus ſignificatur Spiritus &c. magis inveniuntur „ in oleo olivarum. Unde & ipſa oliva „ ſemper frondibus virens, virorem & „ Miſericordiam Spiritus S. ſignificat. „ Hic quæritur, an valeat Confirmatio ſimplici Oleo adminiſtrata? aut de Neceſſitate Sacramenti requiratur admixtio Balſami, aut ſaltem aliorum Aromatum fragrantium, Balſamo non adeo abſimilium?

Re-

Resolutio I. Ordinarie, & ex Præcepto Ecclesiastico, seu Traditione Apostolico-humana, requiritur admixtio Balsami.

Prob. I. Chrisma ex nativa Nominis 42
Significatione denotat aliquam commixtionem ex Oleo & Balsamo: ergo cum Chrisma sit Materia essentialis particularis, requirit hanc admixtionem. *Ant. prob.* Dum dicitur Exod. XXX. Vers. 25. *Facies Unctionis oleum sanctum, Unguentum compositum opere Unguentarii*, illud a septuaginta Interpretibus redditur per vocabulum *Chrismatis*.

Prob. II. Patres, qui leguntur de 43
Unctione confirmatoria, plerumque vocant *Chrisma*, vel aliquod *mixtum*. Sic Author Serm. de Unctione Domini inter Opera S. Cypriani vocat *mixtum Oleo Balsamum*. Constitutiones Apostolicæ L. III. cap. XVI. „ Postea Episcopus baptizatos ungat Chrismate. . . Chrisma confirmatio est Confessionis. „ Dionysius Areopag. de Eccl. Hierarch. cap. II. „ Dicimus, quod unguenti compositio est collatio quædam bene spirantium materiarum. „ Hinc Græci adhuc hodie præter Oleum, Balsamum, & Vinum, admiscent 33. species rerum fragrantium, quas ex Goario recenset P. berti. Irenæus L. I. contra hæres. cap. XVIII. de Gnosticis ait; *Atqui ipsi quoque Balsamum*

ad-

adhibent. Igitur cum id constet de perpetua Traditione, nec ejus rei sciatur Initium; inferendum, ex Authoritate Apostolica, saltem humana, eam descendere.

44 RESOLUTIO II. Admixtio Balsami non est de necessitate Sacramenti, illudque suppleri potest per alias species fragrantes.

PROB. I. Si ad Valorem Sacramenti, aut de Præcepto divino necessarium esset; tunc deberet illud constare vel ex S. Scriptura, vel saltem ex Traditione: atqui ex neutra constat, tanquam fuisset a CHRISTO præcepta. Epistola enim FABIANI, de qua supra Num. 15. omnium pene consensu spuria est. S. Scriptura autem tantum meminit Unctionis, quæ vera esse potest, absque Balsamo.

45 PROB. II. Materia Sacramentorum essentialis, debet facile comparari, & ab adulterina discerni posse: atqui Balsamum neque commune est, & facile potest adulterari, ut a vero discerni nequeat: *ergo. Maj.* patet ab instantia aliorum Sacramentorum. *Min. prob.* Olim ante detectas Indias credebatur Balsamum tantum in Judæa crescere, & quidem in duobus tantum Hortis Regiis, uno jugerum XX. altero pauciorum, ut testatur PLINIUS H. N. L. XII. 25. *uni terrarum Judææ concessum.*

cessum. Item L. XXVI. 32. *Fastidit Balsamum alibi nasci.* Qui insuper testatur, adeo multis modis illud Judaicum adulterari posse, ut ne a peritis quidem falsum a vero facile possit discerni. Ergo &c.

Respondent quidem Adversarii, ex hoc 46
Argumento sequi, Balsami admixtionem ne quidem de Præcepto Ecclesiæ necessariam esse, quia etiam hoc pro Objecto habere debet materiam communem & facile cognoscibilem.

Contra. Quæ necessaria sunt tantum de Præcepto Ecclesiæ, in his Ecclesia dispensare, atque in Defectu veri Balsami, aliam substituere potest mixtionem ex Speciebus fragrantibus: si autem Balsamum foret de Necessitate Sacramenti, aut saltem Præcepti divini; tunc Ecclesia deberet administrationem Sacramenti potius omittere, quam sine debita Materia illud conficere. Ergo non sequitur idem Incommodum ex nostra Sententia.

Prob. III. Non videtur admodum ve- 47
rosimile, quod tempore Persecutionum, ubi Episcopi debebant delitescere, potuerit comparari pretiosum adeo Unguentum: & tamen Confirmatio omissa non fuit: ergo videtur administrata fuisse sine Balsamo, & forte cum Oleo, mixto aliis speciebus fragrantibus.

Responderi poteſt, Fidelium, quorum nonnulli valde opulenti erant, Liberalitate etiam Chriſma fuiſſe subminiſtratum, cujus aliunde non tanta requiritur Copia. Atque ob hoc ipſum fateor, Rationem hanc non eſſe convincentem.

48 Probant alii IV. Ex Innocentio III. Cap. *Paſtoral. de Sacram. non iterandis* ait: „ Nos conſulere voluiſti, ſi Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, „ qui per errorem non fuit Chriſmate, „ ſed oleo delinitus? Ad quod breviter „ duximus reſpondendum, quod in talibus non eſt aliquid iterandum, ſed caute ſupplendum, quod incaute fuerat „ *prætermiſſum.* „ Atqui ſi Mixtio Balſami eſſet de Neceſſitate Sacramenti, non tantum deberet ſuppleri Unctio, ſed totum Sacramentum, utpote nulliter collatum, iterari. ergo Balſamum non eſt de neceſſitate Sacramenti.

49 Sed nec hoc Argumentum adeo firmum videtur. Reſponderi enim poteſt, idem dicere hunc Pontificem cit. tit. de Impoſitione Manuum, in Ordinatione Presbyteri prætermiſſa, quæ tamen communiter habetur pro Materia *eſſentiali* Presbyteratus. Itaque dicunt, Innocentium velle, ſupplendam eſſe Chriſmationem *una cum forma*; nec tamen propterea Sacramentum poteſt dici *iterari*; quia illud non *iteratur*,

quod

quod prius non erat valide collatum: ſicut etiam reſponderi debet de Impoſitione Manus, in Presbyteri Ordinatione omiſſa.

PROB. V. In Materia eſſentiali Sacramentorum diſpenſare nequeunt Romani Pontifices: atqui diſpenſarunt in Mixtione Balſami. Nam PAULUS III. & PIUS IV. permiſerunt Miſſionariis in India, ut ubi Balſamum Syriacum non creſcit, illius Regionis Aromata, Balſamo non multum abſimilia, Oleo miſcerent, ut teſtantur HENRIQUEZ & SUAREZ apud Card. GOTTI hic pag. 308. Et hæc Teſtimonia, ſi vera ſunt, utique Sententiam noſtram validiſſime confirmant. 50

OBJIC. contra II. Reſolutionem. EUGENIUS Decreto ad Armenos, Balſamum agnoſcit ut *Symbolum Gratiæ*, & etiam Concilium TRIDENTINUM quamdam ei Virtutem adſcribit. Atqui quod eſt Symbolum Gratiæ, eſt aliquod proprium Sacramenti. Ergo &c. 51

RESP. Nomine Balſami intelligi poſſe etiam alias Species Aromatum fragrantes, quæ bonum exhalantes Odorem, deſignare queunt Odorem bonæ Famæ.

OBJIC. II. Oleum ſine Balſamo, non eſt Chriſma, a quo tamen denominamur 52

 Chri-

Christiani: neque est Unguentum. Atqui Chrisma est de Substantia Sacramenti. Ergo & Balsamum.

Resp. Oleum, ex aliis fragrantibus mixtum, optime dicitur *Chrisma*, & *Unguentum.* Christiani autem dicimur non a *Chrismate*, seu, Oleo mixto ex Balsamo, sed a Christo, quod significat *Unctus* Dei. Unctus vero dici potest etiam ille, qui Oleo sine Balsamo quidem, attamen aliis fragrantibus Speciebus mixto, delinitur.

53 Objic. III. ex Ritualibus, tam antiquis, quam novis constat, Episcopum in Confectione Chrismatis deprecari, ut Oleum, ex Balsamo permixtum, fiat *unum*, *sanctificetur*, fiat *Chrisma* &c. Ergo.

Resp. Ex hoc solum sequitur, quod Mixtio Balsami sit de Præcepto Ecclesiastico, quando haberi potest: in ejus autem Defectu eidem substitui posse puto Aromata alia: prout ex Dionysio cit. colligitur: dum ait: *Dicimus, quod unguenti compositio est collectio quædam bene spirantium materiarum.*

§. III.

§. III.

De Benedictione episcopali Chrismatis, ad Valorem non requisita.

Benedictionem Chrismatis antiquissimi esse in Ecclesia Usus, constat ex TERTULLIANO, qui Lib. de Bapt. vocat *benedictam Unctionem.* Ex CYPRIANO Epist. LXX. *Oleum, unde Baptizati unguntur, in Altari sanctificatur.* CYRILLO Hierosolym. Catech. Mystag. 3. „ Sanctum hoc unguentum non amplius est Unguentum nudum, postquam jam consecratum est; sed est Chrisma Christi. „ BASILIO M. L. de Spiritu S. cap. XXVII. „ Consecramus aquam Baptismatis & oleum Unctionis. Ex quibus Scripturis? Nonne a tacita, secretaque Traditione? Et alii Patres passim. Hic autem quæritur, an hæc Chrismatis Benedictio ad Valorem Sacramenti necessaria sit? 2. An hujus Benedictionis Minister *ordinarius* sit Episcopus, ita ut simplici Presbytero *extraordinarie* committi nequeat Potestas benedicendi, sive ab Episcopo, sive a Pontifice? 54

RESOLUTIO I. Benedictio Chrismatis ad Episcopum, tanquam Ministrum *ordinarium*, Jure divino spectat. 55

Prob. I. Patres, hanc Poteſtatem Epiſcopis divinitus conceſſam fuiſſe, tradunt. ita Dionysius Areopag. Lib. de Cœl. Hierarch. cap. V. „ Lex divina Hierarchi„ corum ordinum Sanctificationem (id eſt, „ Ordinationem) & Unguenti divini Con„ ſecrationem, ſacramque Altaris benedi„ ctionem, perficientibus divinorum Pon„ tificum virtutibus attribuit. „ Concilium Carthaginense II. an. 390. can. III. „ Chriſmatis confectio, & Puellarum „ conſecratio, a Presbyteris non fiant. „ Concilium Carthaginenſe III. an. 397. can. XXXVI. „ Ut Presbyter inconſulto Epi„ ſcopo Virgines non conſecret: Chriſma „ vero nunquam conficiat. „ Gelasius I. R. P. Epiſt. IX. ad Epiſcopos Lucaniæ an. 494. „ Presbyteris ultra modum „ ſuum tendere prohibemus, nec Epiſco„ pali faſtigio debita, ſibimet audacter aſ„ ſumere, non conficiendi Chriſmatis, „ non Conſignationis Pontificialis, ſibi„ met arripere facultatem. „ Concilium Hispalense II. an. 619. can. VII. prohibet Presbyteris Chriſmatis Confectionem addita ratione, „ Quia Pontificatus api„ cem non habent, ut per hoc & diſcre„ tio graduum, & dignitatis faſtigium „ ſummi Pontificis demonſtretur. „ Atqui Graduum Epiſcopi, & Presbyteri Diſcretio, Jure divino introducta eſt. Ergo & Chriſmatis Benedictio Jure divino Epiſcopis propria eſt. Concilium Tole-

TA-

TANUM VIII. an. 653. cap. VII. ait, hæc „ esse Summa, quæ Episcopalis eminen„ tiæ divina auctoritas ceteris Sacerdoti„ bus exercenda prohibuit, scilicet Tem„ plorum Dei Consecrationem, Chrismæ „ Benedictionem, Sacrorumque Ordinum „ institutionem (collationem) quæ tam „ divinaliter ordinata persistunt, quam „ excellentissime conferuntur. „ Denique universim, quandocunque simplici Presbytero permissum fuit, Confirmationem administrare, cautum fuit, ut id faceret Chrismate ab Episcopo benedicto. Ex quibus multo certius sequitur, Jure Ecclesiastico hanc Benedictionem Presbyteris *ordinarie* esse interdictam, solumque Episcopum Jure divino esse Ministrum ordinarium hujus Benedictionis. An autem extraordinarie possit concedi aliis, dicam deinceps. Accedit etiam Regula S. Augustini notissima ex Lib. I. de Bapt. cap. XXIV. Quod *universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum, rectissime creditur.* Atqui &c. Ergo &c.

OBJIC. I. Benedictio Chrismatis solo 56
Jure Ecclesiastico Episcopis propria, Presbyteris autem interdicta legitur: ergo non Jure divino. Sic in Concilio CARTHAGINENSI IV. can. III. ait NUMIDIUS Episcopus Manulitanus: „ Memini præteritis „ Conciliis, (vel, ut alii legunt: *præce-*

 den-

„ *denti Concilio*) fuisse statutum, ut Chri-
„ sma, vel reconciliatio Pœnitentium, nec
„ non & Puellarum consecratio, a Pres-
„ byteris non fiant. „ Sicut ergo solo Jure Ecclesiastico Reconciliatio Pœnitentium, & Consecratio Virginum, Episcopo appropriata, & Presbytero interdicta est; ita & Confectio Chrismatis. Similia fere habet Concilium CARTHAGINENSE II. & BRACARENSE.

RESP. Non est novum, ut quod jam Jure divino est prohibitum, etiam Jure Ecclesiastico prohibeatur, statuta in Transgressores Pœna; cum Ecclesiæ sit vindicare Transgressiones Legum divinarum, harumque urgere Observantiam.

57 OBJIC. II. S. HIERONYMUS Comment. ad caput III. *Saphoniæ* : „ Sacerdotes quo-
„ que, qui dant Baptismum, & dant Eu-
„ charistiam, Domini imprecantur adven-
„ tum, & oleum Chrismatis &c. „ Ergo & Presbyteris competit.

RESP. Nomine *Sacerdotum*, hic intelligi Episcopos, ad quos solos Jure ordinario, juxta HIERONYMUM Dialog. adversus Luciferian. cap. IV. Manus Impositio spectat.

58 OBJIC. III. Idem Epist. de septem Ordinibus Ecclesiæ ad *Rusticum* Narbon.
„ Presbyteri, si necesse est, possunt Chri-
„ sma conficere: si quidem hæc Regula

„ etiam

„ etiam nunc ſervatur a plurimis, atque „ in Eccleſia multi ſic iſta faciunt: „ Ergo non eſt Epiſcopis Jure divino proprium.

Reſpondent Viri Eruditi cum BELLARMINO, hanc Epiſtolam non eſſe HIERONYMI, ſed ei falſo ſuppoſitam; quia Sacerdotem facit Miniſtrum *omnium* Sacramentorum, & Diaconum ſupra modum extollit, quod eſt contra Mentem hujus S. Doctoris. Poteſt etiam dici, illum loqui Nomine alterius; ſubjicit enim: „ Tamen meæ hoc ſcito eſſe ſententiæ, nulli „ Epiſcopo ſuper hoc injuriam eſſe faciendam.

OBJIC. IV. Idem Epiſt. LXXXV. ad *Evagrium* (*Evangelum*) „ Quid facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat? „ Ergo ordinarie poteſt conficere Chriſma. 59

RESP. Diſting. Quod Presbyter non facit Jure *ordinario.* nego. *extraordinario. Conc.*

OBJIC. V. Concilia eodem modo Epiſcopis dicunt propriam Benedictionem Chriſmatis, ſicut Conſecrationem Templorum, & Virginum: atqui hæc eſt Juris tantum Eccleſiaſtici. Ergo & prior. 60

RESP. Retorqueo. Etiam Interdictum Ordinationis conjungitur Prohibitioni Velationis Virginum, nec tamen illa eſt Ju-

ris Ecclesiastici. Nego insuper, quod eodem modo prohibeant. Concilium enim CARTHAGINENSE III. dicit, ut *Presbyter inconsulto Episcopo Virgines non consecret.* (Igitur de Licentia Episcopi poterit) *Chrisma autem nunquam perficiat.* Alii respondent, etiam Consecrationem Virginum Jure divino ad Episcopum *ordinarie* pertinere. Denique dici potest, Concilia uno halitu plura Presbyteris interdicere, quorum aliqua solo Jure *humano*, alia etiam *divino* iis prohibita sunt.

61 OBJIC. VI. Qui potest majus, potest etiam minus Jure ordinario: atqui Presbyteri possunt majus, nempe conficere Corpus Christi: ergo etiam minus, conficere Chrisma.

RESP. Nego *maj.* In moralibus enim hoc unice dependet a Voluntate CHRISTI concedentis. Sic nullus Sacerdos ordinarie potest Miracula facere: etiamsi sit aliquid minus quam Consecratio Corporis Christi.

62 OBJIC. VII. Alia est Consecratio Chrismatis apud Græcos, alia apud Latinos: ergo eo ipso est Juris tantum humani, non divini, quod est immutabile.

RESP. Præceptum fuisse a Christo *aliquam* Chrismatis Benedictionem: quæ autem illa sit? Ecclesiæ Voluntati reliquit,

quæ

quæ pro Diverſitate Locorum, & Temporum, determinare valet.

Resolutio II. Simplici Sacerdoti, 63
tanquam Miniſtro *extraordinario*, ſaltem a Romano Pontifice concedi poteſt Facultas benedicendi Chriſma.

Dixi: *ſaltem a Romano Pontifice.* Nam licet non deſint Authores, qui, ſpectato ſolo Jure divino, etiam ab Epiſcopo hanc Facultatem ſimplici Presbytero concedi poſſe aſſerant, certum tamen videtur hodie, in Eccleſia Latina hoc Jus ſoli Summo Pontifici eſſe reſervatum, ſicut illi unice reſervatum eſt Jus concedendi Presbytero Licentiam confirmandi. Igitur

Prob. I. Concilium Toletanum I. 64
anno 400. can. XX. „ Quamvis pene ubique cuſtodiatur, ut absque Epiſcopo „ Chriſma Nemo conficiat; tamen quia „ in aliquibus Locis, vel Provinciis, Presbyteri dicuntur Chriſma conficere, placuit ex hac die nullum alium, niſi Epiſcopum Chriſma facere, & per diæceſin deſtinare: ita ut de ſingulis Eccleſiis ad Epiſcopum ante Diem Paſchæ „ Diaconi deſtinentur, aut Subdiaconi, „ ut confectum Chriſma ab Epiſcopo deſtinatum ad Diem Paſchæ poſſit occurrere. Epiſcopo ſane certum eſt, omni „ tempore licere Chriſma conficere: ſine „ Conſcientia autem Epiſcopi nihil penitus

„ tus faciendum &c. „ In hoc textu Patres non declarant *irritum* Chrisma, a simplici Presbytero confectum.

65 Prob. II. Quamvis administratio Confirmationis ad Episcopum, tanquam Ministrum *ordinarium* Jure divino pertineat, potest tamen a Romano Pontifice hæc Potestas concedi simplici Presbytero, ut infra ostendam: ergo etiam Facultas conficiendi Chrisma; cum majus sit, conficere Sacramentum, quam benedicere Materiam Sacramenti, sine actuali Sacramenti administratione. Item quamvis Collatio Ordinum Minorum, Consecratio Ecclesiæ, Jure divino ad Episcopos pertineat, tanquam Ministros *ordinarios*, potest tamen a Summo Pontifice hæc Facultas concedi simplici Presbytero: ut hodie concessa est, quoad Ordines Abbatibus: quoad Consecrationem autem Ecclesiæ Principi Abbati Campidonensi a Benedicto XIV. Ss. mem. Pontifice: ergo etiam &c.

66 Prob. III. Eugenius IV. *Fabiano* de *Bahia* Ord. Min. ad Indos proficiscenti, veniam dedit, non solum Chrismate consignandi Fideles, sed etiam ipsum Chrisma conficiendi, ut testatur Wadingus annal. Ord. Min. apud Ss. Benedictum XIV. de Synodo Lib. VII. cap. VIII. Num. I. quod confirmatur ex Epistola Joannis Diaconi ad Senarium N. 8. apud Mabillonium

Mu-

Musaei Italici Tom. I. part. II. pag. 73.
„ Sed nec illud tangat animum, quod sibi
„ aliquando quaedam vis necessitatis assu-
„ mit, veluti (quod nunc per Africam
„ fieri dicitur) ut Presbyteri sanctum
„ Chrisma conficiant, quod merito mo-
„ veret, si istam Pontificialis Auctoritas
„ Licentiam non dedisset. Unde constat
„ a Pontificibus quodammodo fieri, quod
„ in tanta rerum necessitate, ut a Pres-
„ byteris perfici possit, superior ordo con-
„ stituit. „ Apud eundem S. Pontificem; Quamvis ibidem fateatur, paucissima esse ejusmodi Exempla: & plerumque non aliter concessam fuisse simplici Presbytero Facultatem confirmandi, nisi adhibito Chrismate ab Episcopo confecto, & potius permissum fuisse, ut, licet contra Praeceptum Ecclesiae, Chrismate vetere non renovato in casu necessitatis uti liceret.

Objic. I. Quod Jure divino est Episcopis proprium, non potest a Romano Pontifice alteri concedi: atqui Benedictio Chrismatis, est Jure divino Episcopis propria: ergo non potest alteri a Romano Pontifice concedi. *Maj.* patet; quia non potest dispensare in Jure divino, sicut nullus inferior in Lege superioris. 67

Resp. *Disting. Maj.* Non potest alteri concedi, tanquam Ministro *ordinario*. *Conc.* tanquam *extraordinario*. Nego. Etiam Confirmationis Administratio est Episcopis

Jure

Jure divino propria: & tamen *extraordinarie* ſimplici Presbytero poteſt concedi.

68 Objic. II. Concilium Carthaginense III. ait. *Presbyter Chriſma nunquam perficiat:* Ergo eſt abſolute prohibitum.

Resp. *Diſting.* ant. Nunquam perficiat, propria Authoritate, absque Conceſſione Romani Pontificis. *Conc.* cum illa. *Nego.*

69 Objic. III. Romani Pontifices, dum ſimplici Presbytero aliquando conceſſere Facultatem confirmandi, in abſentia Epiſcopi, & Caſu neceſſitatis, expreſſe reſtrinxerunt Facultatem, ut id facerent non niſi Oleo ab Epiſcopo conſecrato. Jam, ſi Pontifices potuiſſent etiam benedicendi Facultatem eisdem concedere, inutilis fuiſſet iſta Reſtrictio.

Resp. Hoc ideo fieri; quia Canones antiquiſſimi tamdiu debent obſervari, quamdiu poſſunt. Noluerunt ergo Pontifices ſua Conceſſione duplicem relaxare prohibitionem, quamdiu una ſaltem, de non adhibendo Chriſmate ab Epiſcopo non conſecrato, obſervari poterat. Ceterum alio caſu etiam Benedictionis Facultatem conceſſiſſe conſtat.

70 Objic. IV. Concilium Toletanum I. Num. 64. cit. Etiamſi prohibeat Presbyteris Chriſmatis Conſecrationem, eam tamen

men non *irritat*: ergo potuisset eam permittere: consequenter etiam Episcopi, citra Authoritatem Pontificis Romani, póssunt illam concedere. Ergo id non *soli* Romano Pontifici competit.

Resp. Vel Patres Toletanos loqui de Unctione *verticali* in Baptismo, quæ olim interdicta erat Presbyteris: vel ideo tale Chrisma a Presbytero confectum, non declarare *irritum*, nec decernere Sacramenti iterationem; quia Benedictio ad Substantiam Sacramenti non requiritur, ipsumque Sacramentum absolute non est necessarium *Necessitate Medii*.

Objic. II. Quod pro universa Eccle- 71
sia potest Pontifex Romanus, hoc potest pro sua Diœcesi Episcopus. Atqui. Ergo &c.

Resp. Nego *Maj.* Falsitatem enim hujus Axiomatis demonstrat Ss. Benedictus XIV. de Synod. Diœces. Lib. VII. cap. XXX.

Resolutio III. Non videtur ad Sa- 72
cramenti Substantiam, & Valorem, necessarium, ut Chrisma sive ab Episcopo, sive a Presbytero, sit benedictum; *præscindendo ab Authoritate D.* Thomæ.

Prob. Si ad Valorem requireretur Chrismatis Benedictio; tunc ideo præcipue, quia PP. de eo loquentes, vocant illud *sacrum*, *benedictum*, *consecratum*, uti

Cy-

CYPRIANUS, CYRILLUS Jerosolymitanus, OPTATUS &c. Atqui ex hoc non infertur: *ergo* &c. *Min. prob.* Quamvis Patres Aquam Baptismatis vocent *sanctam*, *benedictam*, *consecratam*, & eodem modo de utroque loquantur, non tamen inde sequitur, Benedictionem Fontis baptismalis ad Substantiam Sacramenti requiri: ergo &c. *Ant. prob.* BASILIUS M. Lib. de Spiritu S. cap. XXVII. *Consecramus Aquam Baptismatis, & Oleum Unctionis.* S. AUGUSTINUS Lib. V. de Bapt. cap. XIX. & XX. „ Quomodo exaudit homicidam „ deprecantem; vel super aquam Bapti„ smatis, vel super oleum, vel super Eu„ charistiam? Item Tract. 118. in Joann. „ Quod Signum Crucis nisi adhibeatur si„ ve frontibus credentium, sive ipsi aquæ, „ ex qua regenerantur, sive Oleo, sive „ Chrismate unguntur, sive Sacrificio, quo „ abluuntur, nihil eorum rite perficitur, „ id est, contra Traditionem Apostolicam fit. Non tamen de nullitate Sacramenti intelligi debent. Ergo &c.

73 Dixi: *præscindendo ab Authoritate D.* THOMÆ; Hic enim III. part. Q. 72. a. 3. ⊙ contrarium defendit, & ad nostrum argumentum respondet, dando Disparitatem inter Aquam Baptismi, & Oleum Confirmationis his verbis: „ Nunquam enim, ut inquit CHRYSOSTOMUS (seu potius CHROMATIUS Episcopus Aquileiensis Sæcul. IV.

Tract.

Tract. ad hæc verba Matthæi: *ego te debeo baptizare*) aquæ Baptiſmatis purgare pec„ cata credentium potuiſſent. Et propter „ hoc, ait S. THOMAS, non eſt de neceſ„ ſitate horum Sacramentorum, quod Ma„ teria prius benedicatur, quia ſufficit Be„ nedictio Chriſti. „ At vero Chriſtus Materiam Confirmationis & extremæ Unctionis Contactu ſuo non ſanctificavit, quia Unctionibus viſibilibus non eſt uſus, ne fieret Injuria inviſibili Unctioni, qua eſt unctus præ participibus ſuis. Et ideo tam Chriſma, quam oleum ſanctum Infirmorum prius benedicantur neceſſe eſt, quam adhibeantur ad uſum Sacramenti.

Sed urget DURANDUS. Si Chriſtus il- 74
larum Rerum Uſu ſanctificavit in poſterum omnem Aquam, & Panem, & Vinum; ſequitur, Injuriam CHRISTO fieri, ſi Res iſtæ a Sacerdote benedicantur: quod nemo dicet. II. Sicut CHRISTUS Aqua lotus eſt a JOANNE, ſicque ſuo Contactu Aquas ſanctificavit, ut Aquæ Benedictio deinceps ad Subſtantiam Sacramenti non requiratur; ita ut Oleo unctus eſt a Muliere Luc. VII. & Joann. XII. ac demum a NICODEMO Joann. XIX. Ergo nec Olei Benedictio deinceps ad Sacramenti Subſtantiam erit neceſſaria; quia eſt ſanctificatum Contactu CHRISTI, ſicut Aqua Baptiſmi.

OB-

75 Objic. I. Benedictio Chrismatis est Juris divini, juxta Num. 55. Ergo pertinet ad Sacramenti Substantiam & Valorem.

Resp. *Disting. ant.* Est Juris divini, quoad Præceptum: *Conc.* quoad Substantiam Sacramenti. Nego. Non omne quod a Deo præceptum est in Sacramentis, ad eorum Substantiam & Valorem pertinet. Sic admixtio Aquæ Vino in Sacrificio, est Juris divini: quin sit de Substantia Sacramenti. Itaque est Juris divini quoad *licitam*, non autem quoad *validam* administrationem.

76 Objic. II. Eugenius IV. Decreto ad Armenos ait, Materiam Confirmationis esse *Chrisma ab Episcopo benedictum*: ergo Benedictio pertinet ad Essentiam.

Resp. *Disting. ant.* Chrisma ab Episcopo benedictum, tanquam Jure divino præceptum. *Conc.* tanquam de Valore, & quoad Substantiam requisitum. *Nego.*

77 Objic. III. Cyrillus Jerosolym. Catech. Mystag. 3. ait: Unguentum non esse Chrisma, nisi postquam consecratum est. Ergo cum Chrisma sit Materia Sacramenti; talis non erit sine Benedictione. Et Optatus Lib. VII. Liquorem ex Nomine Christi condiri, & Chrisma postquam conditum est, nominari.

Resp.

Resp. Chriſma conſecratum dici poteſt non ſolum per præviam Benedictionem, ſed etiam per Formam verborum, quæ *conſecratoria* eſt: ut enim ait Augustinus: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Vel *diſting.* Non eſt Chriſma, quoad *licitam* adminiſtrationem, niſi poſt Benedictionem. *Conc.* quoad *validam.* Nego.

§. IV.

De Forma Sacramenti Confirmationis.

Ut de Materia Confirmationis diviſi ſunt 78
Theologi, ita & de Forma; qui enim ſolam manuum Impoſitionem, illamque *præviam* ſtatuunt: illi orationem concomitantem pro Forma conſtituunt. Qui ſolam Unctionem; illi Formam hanc: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate Salutis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* eidem correſpondentem Formam adæquatam Sacramenti eſſe defendunt. Ceterum nihil hac de re ab Eccleſia eſſe definitum, colligitur ex eo, quod Tridentinum Concilium de Sacramentis tractans, ac Confirmationem iis annumerandam eſſe decernens, nihil de Materia & Forma addiderit: quod ſignum eſt, has quæſtiones Scholarum Concertationibus voluiſſe relinquere. Eugenius IV. quidem in Decreto ad Armenos Formam Latinorum ex-

preſſit: at vero non *definiendo* hoc aſſeruit, ſed declarando Ritum Eccleſiæ Latinæ, ut eis ſe conformarent recens uniti. Itaque

79 Resolutio I. Oratio deprecatoria, & invocatoria Spiritus S. non eſt, ſaltem hodie, Forma eſſentialis Sacramenti.

Prob. I. Ideo hæc Oratio eſſet Forma, quia reſpondet Impoſitioni Manus, tanquam Materiæ ſacramentali: atqui illa prævia Extenſio non eſt Materia eſſentialis, ut dictum eſt, & prob. adhuc. Illa Impoſitio Manus, aliquando facta fuit non ſolum *poſt orationem*, quæ unctionem præcedit, ſed etiam *poſt Unctionem*: ergo illa Oratio non reſpondet Impoſitioni Manus confirmatoriæ, & hoc ipſo non eſt Forma; quia Forma debet comitari Materiam: & eidem coexiſtere. *Ant. prob.* ex Tertulliano Lib. de Reſurrect. Carn. cap. VIII. „Caro ungitur, ut anima conſe„cretur: Caro ſignatur, ut anima munia„tur: Caro manus impoſitione adumbra„tur, ut & anima Spiritu illuminetur.„ Ex quo Textu *Hugo Menardus* Congr. S. Mauri colligit, aliquando Manus Impoſitionem fuiſſe Unctioni poſtpoſitam, quod confirmat ex Guilielmo Pariſ. Lib. de Sacram. ubi ſcribit: „Præmiſſa oratione „ſuper confirmandos pingitur Signum „Crucis de Chriſmate in frontibus eorum, „& impoſitis manibus ſuper capita eorum „dicit eis, *Pax tecum*. Siquidem ad im-

„po-

„ positionem manuum Apostolorum sole-
„ bat dari Spiritus S. & datur modo ad
„ impositionem manuum Episcoporum. „

Prob. II. Illa Oratio non est Forma Sacramenti, quæ aliquando salva Sacramenti Substantia fuit prætermissa in Confirmatione: atqui illa Oratio prævia, fuit prætermissa in Confirmatione. *Ergo* &c. *Min. prob.* In Libro Sacramentorum Monasterii Moysacensis a Martene edito, & 800. Annorum judicato, ubi Ritus Confirmationis describitur, nulla alia Oratio recensetur, quam quæ adhuc hodie post completam Confirmationem recitatur: nimirum: *Deus, qui Apostolis tuis* &c. Illa autem Oratio prævia, invocatoria Spiritus S. inter Ritus Baptismi continetur, a Presbytero proferenda, qui tamen in Ecclesia Latina non est Minister ordinarius Sacramenti. Ergo eo ipso hæc tunc pro Forma non fuit habita: sed nec hodie esse potest; quia sæpissime contingit, ut confirmandi nondum sint in Ecclesia præsentes, quando hæc Oratio ab Episcopis recitatur. 80

Prob. III. Si excutiantur omnes Codices Sacramentorum, qui dictam Orationem referunt, non alia verba illius Orationis pro Forma accipi possunt, nisi illa deprecatoria: quibus dicit Pontifex: „ *Consigna eos signo Crucis Christi in vitam pro-* 81

 „ *pi-*

„ *pitiatus æternam.* „ Vel ut alii legunt: „ *Jube eos consignari signo Crucis* &c. „ Hæc enim sola ad Unctionem referuntur. Igitur cetera Verba illius Orationis non sunt essentialia, videturque hæc Forma *deprecatoria*, in modernam *absolutam & indicativam* transiisse; quia immediate post illa verba præscribunt Libri rituales, ut Pontifex tincto Pollice in Chrismate pingat Crucem in fronte fidelium: dicendo: *Signo te* &c. Vel, *Signum Christi in vitam æternam.* Vel *Signat te Deus Sigillo Fidei in Consignatione Fidei*: sicut enim in Sacramento Eucharistiæ conficiendo Sacerdos primo orat, *ut nobis Corpus & Sanguis fiat Domini Nostri JEsu Christi*: ac dein dicit absolute ac consecratorie: *Hoc est Corpus* &c. Item in Sacramento Pœnitentiæ: *Dominus noster JEsus Christus te absolvat*: ac dein: *Ego te absolvo* &c. ita etiam hic primo orat: *ut signentur fideles.* ac dein dicit absolute: *signo te* &c. Ex quibus ita potest argui: Forma cujuslibet Sacramenti debet exprimere correspondentiam cum Materia proxima Sacramenti, ut patet enumerando Formas omnium Sacramentorum. Ergo etiam Forma Confirmationis; atqui illa Oratio præcedens, non exprimit correspondentiam Materiæ proximæ, id est, Unctionis, nisi per illa verba: *consigna eos: jube eos consignari* &c. Ergo sola hæc verba videntur esse essentialia, quæ olim deprecatoria, nunc indicative proferuntur.

Hinc

Hinc dixi in Resolutione: Orationem illam *saltem hodie* non esse essentialem. Quod enim *aliquando* fuerit essentialis, concedi potest; quoniam prioribus Sæculis non alia, quam hæc Forma legitur. Cum moderna vix Sæculo VIII. sit antiquior, a quo tempore factum fuit, ut Oratio illa prævia, fuerit tantum præparatoria, & ex illa, Forma moderna absoluta fuerit exsculpta. Nisi hoc modo utraque Sententia combinetur, non adeo firma erunt Argumenta hactenus allata, nec adeo robustæ Responsiones, Adversariorum Argumentis infra subjiciendæ. 82

Objic. I. S. Scriptura Act. VIII. aliique PP. de Confirmatione loquentes, non alterius Formæ, quam *Orationis* mentionem faciunt: ergo Oratio illa est Forma. 83

Resp. I. Effectus hujus Sacramenti, nimirum illapsus Spiritus S. a Scriptura non attribuitur Orationi Apostolorum: sed Impositioni Manus: *oraverunt*, ait Lucas loc. cit. *pro illis*, & *acceperunt Spiritum Sanctum.* II. Quamvis Lucas non exprimat nisi Orationem, non sequitur, quod sola Oratione, & non alia etiam Forma, Unctioni conjuncta, usi fuerint: sicut nec meminit Unctionis in Actis Apostol. III. Transmisso, quod Apostoli sola Forma deprecatoria usi fuerint; dico, quod illa in Formam modo indicativam transierit.

Quod attinet Ss. Patres, qui Effectum Sacramenti Orationi tribuere videntur, *Resp.* illos Nomine *Orationis*, & Impositionis Manuum, intelligere integrum Ritum Confirmationis. Quamvis enim JUSTINUS, IRENÆUS, CYRILLUS, & alii dicant, per Orationem, & Crucis Signum consecrari Corpus CHRISTI; non inde sequitur, eos loqui de Forma *substantiali*, sed de toto Ritu Liturgiæ, quæ omnia complectitur, etiam verba consecratoria. Denique iterum dico, quod olim forte Forma fuerit *deprecatoria*, & hodie ei successerit *indicativa.*

84 OBJIC. II. Hæc Oratio semper fuit adhibita, ut patet ex Ritualibus, a nostro D. MARTENIO editis, & adhuc hodie in usu est in Ecclesia Latina. Ergo adhuc est Forma Confirmationis.

RESP. Etiamsi plerique, non tamen omnes, Libri Pontificales dictam Orationem præscribant; observandum tamen, quod eorum nonnulli illam post Ritum Baptismi, tanquam ejus Complementum NB. *a Sacerdote* proferendam præscribant, qui in Ecclesia Latina nunquam fuit Minister *ordinarius* Confirmationis. Ita Codex *Moysacensis* Monasterii. Ita Sacramentarium S. GREGORII M. in Editione Vaticana, & Gussanvillæi, & Manuscripto Theodoriciano ubi ita legitur: „ Ut autem surrexit „ a fonte, ille qui eum suscipit, offerat

„ eum

„ eum uni Presbytero, qui faciat ſignum „ Crucis de Chriſmate cum pollice in ver- „ tice ejus dicens: *Deus Omnipotens, Pa-* „ *ter D. N J. Chriſti, qui te regeneravit* „ *ex aqua & Spiritu Sancto. Quique tibi de-* „ *dit remiſſionem omnium peccatorum, ipſe* „ *te liniat Chriſmate Salutis in vitam æter-* „ *nam.* „ uti notarunt PP. Mauriani Tom. III. operum S. GREGORII M. pag. 361. n. a. Dein aliqui iſtorum Pontificalium non meminerint Impoſitionis Manuum; neque tamen ex eorum ſilentio colligi poteſt, eam non eſſe Materiam Confirmationis. Denique dicendum, Tempore horum Ritualium Formam adhuc fuiſſe *deprecatoriam*, quæ nunc ſit *indicativa*.

RESOLUTIO II. Forma Confirmationis 85
eſſentialis, & unica, ſaltem hodie, eſt hæc apud Latinos: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate Salutis in Nomine Patris &c.* etiamſi hæc Forma olim non nullis variationibus accidentalibus fuerit ſubjecta.

PROB. I. Hæc Forma habet Fundamentum in S. Scriptura, II. Corinth. I. 21. *Qui autem confirmat nos Deus, qui & ſignavit nos, & Deus pignus Spiritus in cordibus noſtris:* ubi *ſignare*, & *confirmare* legitur.

PROB. II. Ritualia omnia a Sæculo VIII. 86
a noſtro MARTENIO edita, ſimilem Formam præſcribunt, Unctioni jungendam.

Ita Pontificale ECBERTI Sæcul. VIII. *Accipe Signum S. Crucis Chrismate Salutis, in Christo JEsu in vitam æternam.* GELASII: *Signum Christi in vitam æternam*, addita deprecatione: *confirmet te Deus* &c. CATURIGENSE. *Confirmo & consigno te in signum Crucis in Nomine Patris & Filii* &c. MOYSACENSE. *Confirmo te Signo Crucis in Nomine Patris* &c. Ordo ROMANUS Sæcul. VIII. „ *Confirmo te* oratione expleta interrogantibus Diaconis nomina „ singulorum, Pontifex tincto pollice in „ Chrismate faciat Crucem in frontibus „ singulorum ita dicendo. *Confirmo te in* „ *Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Pax tecum, & cum spiritu tuo.* „ Et ita alii Codices, estque hodie in Ecclesia Latina universalis. Ergo &c. Ex quibus omnibus facile colligitur, Formam, quondam *deprecatoriam*, paulatim, ac successive, in *indicativam* transiisse.

87 OBJIC. I. S. GREGORIUS M. in Lib. Sacramentorum describens Ritum omnem Confirmationis, non aliam adducit Formam, præter Orationem mox dictam. Sic enim scribit: „ Et interrogantibus Diaconis „ nomina singulorum, Pontifex tincto pol- „ lice in Chrismate facit Crucem in fron- „ te unius, similiterque per omnes singil- „ latim. „ Et AMALARIUS *Fortunatus* L. I. cap. XXVII. „ Oratione expleta facit „ Crucem cum pollice in Chrismate ac sin-

„ gu-

„ gulorum frontibus ita dicendo: *in No-*
„ *mine Patris & Filii, & Spiritus S.*

Respondent nonnulli, GREGORIUM M. ob *Disciplinam Arcani* noluisse expresse ponere Formam Confirmationis, sicut INNOCENTIUS I. Epist. ad *Decentium* Eugubinum cap. III. de eadem Forma consultus respondit: *Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.*

At non videtur efficax hæc Responsio; 88
quamvis enim *Disciplina Arcani* observanda fuerit. Quando erat Periculum divulgationis, quod fieri potuisset in Epistola, incerto Fato commissa; nullum tamen erat Periculum in Libro Sacramentorum, Episcoporum usui conscripto, & in scriniis Ecclesiæ asservando, ubi Forma Consecrationis, aliaque Secreta continentur.

Respondent alii, GREGORIUM M. tunc, 89
cum scriberet, aut non fuisse recordatum, aut ideo Formam explicite non posuisse, quia quivis Episcopus ex prævia Oratione facile poterat desumere Formam indicativam.

Respondent alii, GREGORIUM in Lib. 90
Sacramentorum neque meminisse Formæ Absolutionis, sed tantum allegare Orationes quasdam supra Pœnitentem recitari solitas; cum tamen bene multi Theologi do-

ceant, Formam Absolutionis, saltem in Ecclesia Latina, semper fuisse *indicativam*. Ergo etiam ex Silentio Formæ Confirmationis, non potest dici validum Argumentum.

91 Resp. Probabilissimum esse, tempore S. Gregorii M. illam Orationem præviam adhuc fuisse Formam Sacramenti, quæ hodie in *indicativam* abiit.

92 Resolutio III. Forma Græcorum hæc est: *Signaculum Doni Spiritus S.* Est communior Sententia.

Prob. I. Hac Forma tanquam antiquissima utuntur Græcæ Ecclesiæ omnes, ut constat ex eorum Euchologiis. Quod autem sit antiquissima, probatur ex Concilio CP*tano* I. can. I. quod de Hæreticis extra Ecclesiam invalide baptizatis, aut illegitime confirmatis in Ecclesia recipiendis ita statuit can. VII. „ Arianos quidem „ recipimus, dantes quidem libellos & „ omnem hæresin anathematizantes, quæ „ non sentit, ut sancta Dei Catholica & „ Apostolica Ecclesia, & signatos sive un„ ctos primum S. Chrismate & frontem „ & oculos & nares & aures, & eos si„ gnantes dicimus: *Signaculum Doni Spi„ ritus S.* „

93 *Respondent* quidem Adversarii, non admodum probabile esse, quod Concilium voluerit propalare Formam Sacramenti;

cum

cum eo tempore in uſu fuerit *Diſciplina Arcani.* Sed

Contra eſt: Diſciplina Arcani nunquam fuit obſervata erga Epiſcopos, Clericos, & Fideles baptizatos, ſed ſolum erga Infideles & Catechumenos. Jam vero Concilio generali nemo intererat præter Epiſcopos, Clericos, aut ad ſummum Fideles, non autem Extranei: Igitur nulla erat Ratio Diſciplina Arcani utendi. Dein S. Cyrillus Hieroſolym. religioſiſſimus Diſciplinæ Arcani Cuſtos, rariſſime tamen de Sacramento Confirmationis, ejusque Ritibus loquitur ad baptizatos Catech. myſtag. 3.

Reſpondebunt alii, Concilium loqui non de Sacramento Confirmationis, ſed de reconciliatione Hæreticorum. Sed 94

Contra eſt. Patres hujus Concilii loquuntur eodem modo de Unctione Frontis & Senſuum, ſicut Cyrillus, quem de Sacramento loqui, indubitatum eſt.

Prob. II. Hæc Forma exprimit Effectum Chriſmationis; fuit probata a Conciliis, & Romanis Pontificibus: ergo eſt legitima. *Ant. prob.* quoad 1. *Signaculum,* exprimit characterem. *Doni,* exprimit gratiam. *Spiritus S.* denotat Authorem primarium Sanctificationis. Sicut enim apud Latinos Sæc. VIII. & ſeq. hæc Forma fuit legitima: *Signum Chriſti in vitam æternam*: ita & hæc Græcorum. *Ant. prob.* quoad 2. 95

Quot-

Quotquot hactenus Concilia pro Unione Græcorum celebrata sunt, nullum hanc eorum Formam reprobavit, nec eorum Sacramentum invalidum declaravit. Imo Clemens VIII. ubi jussit baptizatos a Græcis Presbyteris, sub Patriarchatu Latino degentibus, qui plerumque etiam confirmant, quod ipsis in Ecclesia Latina non licet, a Latino Episcopo confirmari, voluit, hoc Sacramentum sub conditione conferri, quando dubium est, an non fuerint ab Episcopo Græco confirmati: imo nullo modo repeti voluit, si certo constet, ab Episcopo Græco, cum Forma Græcorum, confirmatos fuisse. Ergo eo ipso censuit, eorum Formam valere.

96 Prob. III. Si non foret legitima hæc Forma; sequeretur, Græcos a multis Sæculis non habere verum Sacramentum Confirmationis; quoniam nonnisi sub hac Forma illud administrant: atqui hoc dici non potest; cum tot inter Disputationes cum Græcis habitas, nunquam hoc ipsis a Latinis exprobratum fuerit.

97 Objic. Clemens VIII. & Benedictus XIV. Constit. 57. Tom. I. Bullarii sui, expresse mandarunt, ut ipsi Latini Infantes, a Græcis Presbyteris baptizatos, & defacto Chrismate in fronte consignatos, confirment sub Forma Latinorum. Ergo Formam Græcorum habuerunt pro nulla.

Resp.

Resp. Ideo debent denuo confirmari; quia Presbyteri Græci, sub Jurisdictione Romani Pontificis, tanquam Patriarchæ occidentis degentes, nequidem Ministri sunt *extraordinarii*, Defectu Concessionis Pontificiæ. Sacramentum itaque est nullum; non ob Defectum Formæ: sed ex Defectu Ministri: quod enim Forma, ab Episcopo Græco prolata, totumque Sacramentum valeat, patet ex Num. 92. seq.

CAPUT III.

De Ministro Confirmationis.

Waldenses, Wiclefus, Hussus, Lutherus, & Calvinus ceteris suis Erroribus hunc quoque adjecerunt, ut Catholicos redarguerent: quod in iisdem damnat Concilium Constantiense & Tridentinum Sess. XXIII. cap. IV. Sess. VII. can. III. & VII. quod & Photius ausus est, asserens, Presbyteros esse *ordinarios* hujus Sacramenti Ministros. Duo ergo hic pertractanda sunt. 1. An soli Episcopi sint Ministri ordinarii? 2. An simplici Presbytero hæc Potestas tanquam Ministro extraordinario possit delegari a Romano Pontifice? 98

§. I.

§. I.

De Ministro ordinario Confirmationis.

99 Resolutio. Minister ordinarius hujus Sacramenti Jure divino solus est Episcopus. *Est de Fide* ex Trid. cit.

Prob. I. ex S. Scriptura Act. VIII. & XIX. ubi refertur, quod postquam aliqui fuerunt ad fidem conversi, ac a Presbyteris, vel Philippo Diacono baptizati, missi ad eos fuerint Petrus & Joannes, qui Manus Impositione Spiritum Sanctum iis conferrent: unde colligitur, hanc Sacramenti administrationem non aliis, quam Apostolis, & eorum Successoribus Episcopis propriam jam tunc judicatam fuisse. Ita ratiocinatur Innocentius I. Epist. ad Decent. Eugubin. cap. III. N. 6. „ De consignandis vero Infantibus manifestum est, non „ ab alio, quam Episcopo, fieri licere. Nam „ Presbyteri licet secundi sint Sacerdotes, „ Pontificatus tamen apicem non habent. „ Hoc autem Pontificium solis deberi Episcopis, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verum „ & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ „ asserit, Petrum & Joannem esse directos, „ qui jam baptizatis traderent Spiritum S. „ Nam Presbyteris, sive extra Episcopum, „ sive præsente Episcopo, cum baptizant, „ Chri-

„ Chrismate baptizatos ungere licet, sed „ quod ab Episcopo fuerit consecratum, „; non tam frontem ex eodem oleo signa- „ re, quod solis debetur Episcopis, cum „ tradunt Spiritum Paracletum. „

Prob. II. ex perpetua Ecclesiæ Tradi- 100
tione & Consuetudine. Cornelius P. R. exprobrat Novatiano, Epist. ad *Fabium Antioch.* quod ab Episcopo non fuerit consignatus. Cyprianus coævus Ep. LXXIII. ad Jubajanum scribit, moris esse, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur. Concilium Iliberitanum can. XXXVIII. „ Ad Episcopum eum per- „ ducat, ut per manus Impositionem per- „ fici possit. „ Et can. LXXVII. „ Epi- „ scopus per manus Impositionem eos per- „ ficere debebit. „ Chrysostomus in cap. VIII. Act. „ Hoc erat in Apostolis sin- „ gulare: unde & præcipuos & non alios „ videmus hoc facere. „ Hieronymus ad Luciferianos ait, hanc esse Ecclesiæ consuetudinem, ut in Ecclesia baptizatus, non nisi per Manus Episcopi accipiat Spiritum S. Et ita alii.

Objic. I. Ananias, quamvis non Apo- 101
stolus vel Episcopus, sed unus ex Discipulis, Saulo imposuit Manus, ut impleretur Spiritu S. Act. IX. 17. Ergo non est Episcopis proprium.

Resp.

Resp. Cum Ananias Manus imposuerit Saulo ante Baptismum; non potuit illa Impositio fuisse sacramentalis, sed vel extraordinaria, pro miraculose restituendo visu: vel talis, qualem recipiebant Cathecumeni, ad Baptismum præparatoriam. Augustinus Lib. II. Quæst. Evang. cap. IV. putat, Ananiam Episcopum fuisse.

102 Objic. II. Non exstat Lex divina, hæc prohibens Presbytero, & reservans soli Episcopo. *Ergo* &c.

Resp. Non exstat Lex *scripta*, expressa. *Conc.* Non exstat *tradita*, & ex scripto Exemplo deprompta, ac a Conciliis firmata. *Nego.*

103 Objic. III. Presbyteri possunt Jure ordinario baptizare, & Eucharistiam conficere, quod majus est: ergo etiam confirmare, quod est Baptismi accessorium.

Resp. Nego *Conseq. Disp.* est; quia cum Baptismus sit Sacramentum *Necessitatis*, æquum erat, ut non solum ab Episcopis, quorum non semper haberi potest copia, sed etiam a Presbyteris, imo & Laicis, conferri posset. Quoad Eucharistiam autem, id dependet a libera Dei Voluntate, qui ejus conficiendæ Potestatem etiam Presbyteris concedere voluit, non autem confirmandi. Cujus ratio esse potest; quia cum etiam hoc Sacramentum sit saltem *Necessitate Præcepti* necessarium, congruum vide-

debatur, ut illud facile poſſet recipi, ne in Epiſcoporum Defectu tantis gratiis deſtituerentur Fideles, ac Unione etiam corporali & intima cum CHRISTO carere cogerentur: non autem adeo neceſſarium eſt Confirmationis Sacramentum. Cumque hoc tantum ſemel poſſit recipi; raro deerit Occaſio; Euchariſtia autem debet poſſe ſæpius frequentari: quod integrum haud eſſet, ſi ſolus Epiſcopus eam poſſet conficere.

OBJIC. IV. Græci Presbyteri dudum 104
ante Schiſma PHOTII hoc adminiſtrarunt Sacramentum: ſic enim teſtatur *Ambroſiaſter*, ſeu Author Commentarii in Epiſtolas PAULI ſub nomine AMBROSII ad cap. IV. Eph. „ Denique apud Ægyptum Presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus. „ Author Quæſt. V. & Nov. Teſt. inter opera AUGUSTINI q. 101. „ In Alexandria & „ per totum Ægyptum, ſi deſit Epiſcopus, „ conſignat Presbyter. „ quod adhuc hodie apud Græcos obſervatur. *Ergo* &c.

RESP. Quamvis nonnulli ut SAMBOVIUS, & du HAMEL exiſtiment, irritum eſſe Sacramentum Confirmationis a græcis Presbyteris collatum; dicendum tamen eſt cum Ss. BENEDICTO XIV. de Synodo Diœceſana Lib. VII. cap. IX. illud valere; non quod Presbyteri ſint Miniſtri ejus *ordinarii*, ſed *extraordinarii*, ob tacitam ſaltem delegationem & conceſſionem Romani Pontificis,

factam Presbyteris græcis sub propriis Patriarchis degentibus: etsi non valeat, dum iidem sub Patriarchatu Romani Pontificis degunt, ob expressam Prohibitionem: at de hoc redibit Sermo §. sequenti.

105 Ceterum ad Textus plurium Conciliorum, quibus Presbyteris conceditur chrismare baptizatos, vel Hæreticos ad Ecclesiam reversos cum Chrismate & Manus Impositione perficere, Respondendum est, illos loqui vel de Unctione *verticali* in Baptismo, quæ fit cum eodem Chrismate: vel de reconciliatione Hæreticorum *ceremoniali*, qui Ritus erat Confirmationi haud absimilis, ita ut ex sola Intentione chrismantis desumi debuerit, an velit Ritum ullum tanquam *Sacramentum*, vel tantum ut *sacramentale* quiddam conferre: vel loqui de casu, quo simplici Presbytero a Romano Pontifice facta est Potestas hoc Sacramentum administrandi. Alterutra enim harum Responsionum sufficiet ad explicandos, qui contrarii videntur, Conciliorum, Patrumque Textus.

§. II.

De Ministro Confirmationis extraordinario.

106 RESOLUTIO. De Romani Pontificis, non autem cujuslibet Episcopi Licentia, Presbyteri simplices Ministri extraordinarii sunt Confirmationis.

PROB.

Prob. I. Pars ex D. Hieronymo, qui Epiſt. 85. ad Evangelum ait: „ Quid fa„ cit excepta ordinatione Epiſcopus, quod „ Presbyter non faciat? „ Quod intelligendum eſt de Miniſtro *extraordinario*, accedente Licentia Romani Pontificis.

Prob. II. ex facto Gregorii M. qui 107
cum Epiſt. IX. L. IV. indict. 12. Presbyteris Calaritanis interdixiſſet, ne baptizatos infantes ſignare in fronte præſumerent, ſed eos ungerent in Pectore, ut Epiſcopi poſtmodum ungerent in Fronte: anno autem proxime ſequente percepiſſet, quosdam ſcandalizatos fuiſſe, quod Presbyteros Chriſmate tangere in fronte eos, qui babaptizati ſunt, prohibuiſſet, reſpondet: „ Et „ nos quidem ſecundum uſum veterem Ec„ cleſiæ noſtræ fecimus. Sed ſi omnino hac „ de re aliqui contriſtantur; ubi Epiſcopi „ deſunt, ut Presbyteri etiam in frontibus „ baptizatos Chriſmate tangere debeant, „ concedimus. „ Ad hoc ipſum Privilegium a Gregorio M. Presbyteris Calaritanis conceſſum, reſpexiſſe videtur Eugenius IV. in Decreto ad Armenos, ubi poſtquam dixerat, Miniſtrum Confirmationis ordinarium eſſe Epiſcopum, addit: „ Le„ gitur tamen aliquando per Sedis Apo„ ſtolicæ diſpenſationem ex rationabili, & „ urgenti admodum cauſa, ſimplicem Sa„ cerdotem Chriſmate, per Epiſcopum con„ fecto, hoc adminiſtraſſe Confirmationis

„ Sacramentum. „ Idem Privilegium Missionariis a NICOLAO IV. JOANNE XXII. URBANO V. EUGENIO IV. LEONE X. & HADRIANO VI. fuisse concessum, ac Hispali asservari, testatur WADINGUS in Annal. Ord. Min. Tom. XI. ad an. 1444. & 47. Idem Abbati Montis Casini SIXTUS V. concessit, & confirmavit BENEDICTUS XIII. ut testatur BENEDICTUS XIV. qui addit, a CLEMENTE XI. concessam, ac a Se confirmatam fuisse hanc Facultatem Patri Custodi Terræ sanctæ Ord. Min. *de Synodo* Lib. V. cap. VII. Num. 6. Eandem Facultatem ab eodem Pontifice BENEDICTO XIV. concessam fuisse Abbati Campidonensi, memini me legere in quadam Epistola Eminentissimi QUIRINI: ut adeo hodie de ea dubium nullum superesse possit, maxime cum valeant Confirmationes a Presbyteris græcis peractæ, idque ob concessionem saltem tacitam Romani Pontificis.

108 PROB. II. Pars ex Concilio HISPALENSI an. 619. adversus AGAPIUM Episcopum Cordubensem celebrato, ubi ei inter cetera objicitur, quod simplicibus Presbyteris Facultatem delegasset, conficiendi Chrisma, & Chrismate baptizatorum Frontem signandi; *hæc enim omnia*, inquiunt PP. HISPALENSES cap. VII. „ Illicita esse Presbyteris, vel Chorepiscopis, quia Pontificatus apicem non habent, quem solis deberi Episcopis, auctoritate Canonum præ-

„ ci-

„ cipitur. „ Si autem Epiſcopus poſſet hanc Facultatem delegare, immerito id crimini Epiſcopo Cordubenſi datum fuiſſet.

Prob. II. Quamvis Confirmatio ſit 109
Actus Ordinis; ejus tamen Delegatio potius eſt Actus Jurisdictionis, & quidem, ut ait D. Thomas III. Part. Q. 72. art. 11. ſupremæ, ſeu Plenitudo poteſtatis, a Christo ſoli ſuo in Terris Vicario commiſſæ: ſicut ergo Jurisdictio Epiſcoporum, ſive ſit *mediate*, ſive *immediate* a Pontifice Romano, ab eo tamen iisdem limitari, ac omnino tolli poteſt: ita ſi Romanus Pontifex nolit eam permittere Epiſcopis, illa carebunt. Atqui Romani Pontifices hanc delegandi Facultatem Epiſcopis Latinis reſtrinxerunt, ſibique reſervarunt, ut colligitur ex Clemente VI. qui antequam Consolatorem, Armenorum Patriarcham, ad communionem reciperet, inter alios articulos eidem propoſitos apud Raynaldum ad an. 1351. Num. 12. interrogavit, *primo* de Conſecratione Chriſmatis: „ Si credis, quod per nullum Sacerdotem, qui „ non eſt Epiſcopus, poteſt Chriſma rite „ & debite conſecrari? *Secundo* ſi credis, „ quod Sacramentum Confirmationis per „ alium, quam per Epiſcopum, non poteſt ex officio ordinarie adminiſtrari? „ *Tertio*, ſi credis, quod ſolum per Romanum Pontificem, plenitudinem poteſtatis habentem, poſſit diſpenſatio Sacra-

„ menti Confirmationis Presbyteris, qui
„ non ſunt Epiſcopi, committi? *Quarto,*
„ ſi credis, quod Chriſmati per quoscun-
„ que Sacerdotes, qui non ſunt Epiſcopi,
„ neque a Romano Pontifice ſuper hoc com-
„ miſſionem, ſeu conceſſionem aliquam re-
„ ceperunt, iterum per Epiſcopum vel
„ Epiſcopos ſint chriſmandi? „

110 Objic. contra I. Partem. Plures Textus Ss. PP. qui dicunt, ſolis Epiſcopis, *tanquam Pontificatus apicem habentibus*, proprium eſſe, Confirmationis Sacramentum adminiſtrare. Ergo non poteſt concedi Presbyteris, qui non habent *Apicem Pontificatus.*

Resp. Textus illos tantum evincere, quod Presbyter ſimplex non ſit Miniſter *ordinarius*, non autem nequeat eſſe *extraordinarius.*

111 Objic. II. Joannes III. Epiſt. decretali cap. I. ait: Chriſtum prohibuiſſe, ne Apoſtoli ulli ex ſeptuaginta Diſcipulis traderent Poteſtatem per Manus Impoſitionem tradendi Spiritum S. ſed ipſi tantum & Succeſſores facerent: quod etiam feciſſe eos conſtat, qui ad baptizatos ab iis Samaritanos Apoſtolos pro Confirmatione miſerunt. Ergo nec licet Romano Pontifici.

Resp. Epiſtola illa, quæ *Chorepiſcoporum* meminit, ſubreptitia eſt, fatente vel ipſo Benedicto XIV. Romano Pontifice. Dein ait Author, id Apoſtolis a Chriſto fuiſſe

fuiſſe expreſſe inhibitum, ne Presbyteri Diſcipulorum Succeſſores, deinde talia præſumerent, & illud Jus tanquam ordinarium & debitum ſibi arrogarent: non autem *abſolute* & pro omnibus Circumſtantiis temporum id prohibuiſſe.

Objic. III. Sicut in Baptiſmo confer- 112
tur *paſſiva* Poteſtas, ſuſcipiendi omnia Sacramenta; ita in Conſecratione Epiſcopi datur *activa*, adminiſtrandi omnia Sacramenta. Sicut ergo Summus Pontifex diſpenſare non poteſt, ut non baptizatus ſuſcipiat reliqua Sacramenta; ita nec facere poteſt, ut non conſecratus Epiſcopus reliqua Sacramenta, Epiſcopo propria, adminiſtret.

Resp. Argumentum probat nimium, nullum Sacramentum, niſi ab Epiſcopo, poſſe conferri. Nego etiam Suppoſitum, quod in ordinatione Epiſcopi conferatur Poteſtas conficiendi omnia Sacramenta. Nam quoad Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, jam eidem ut Presbytero collata fuit. Ceterum inter Poteſtatem *paſſivam*, & *activam* hæc eſt Diſparitas; quod illa fundetur in Charactere Baptiſmi: Activa autem, non fundetur præciſe in Charactere *Epiſcopali*, ſed *ſacerdotali*: ſi tamen diſtincti ſint. Presbyter autem habet Characterem Sacerdotii: quamvis careat Charactere Epiſcopali, ſuppoſito, quod ſit di-

ſtinctus; quod tantum impedit, ne poſſit eſſe Miniſter *ordinarius.*

113 OBJIC. IV. Diaconus non poteſt conficere Euchariſtiam; quia hæc Poteſtas ei in Ordinatione non confertur. Ergo nec Presbyter confirmare; quia hæc Poteſtas in Ordinatione ei non confertur.

RESP. Nego *Conſeq.* Diſparitas eſt; quia Conſecratio Euchariſtiæ ſupponit Characterem ſacerdotalem, quo caret Diaconus: contra, Confirmatio, licet tanquam Actus Ordinis proprius ſupponat Characterem Epiſcopalem, tamen ut eſt Actus delegatus, eſt potius Actus Jurisdictionis, ſupponens tamen in Subjecto Characterem Sacerdotalem.

114 OBJIC. V. Confirmatio, a Presbyteris græcis facta, invalida fuit declarata a Romanis Pontificibus. Ergo Presbyter neque eſt Miniſter *extraordinarius.* *Ant. prob.* I. NICOLAUS I. Bulgaros a græcis Presbyteris confirmatos denuo juſſit confirmari a Latinis Epiſcopis, ut conſtat tum ex Epiſtola PHOTII ad omnes Epiſcopos orientales, ubi de hoc facto conqueritur: tum Epiſtola NICOLAI I. 70. ad HINCMARUM *Rhemenſem.*

RESP. Ideo Confirmationem a Photianis Presbyteris collatam, fuiſſe invalidam; quia Bulgaria illo tempore pertinebat ad Patriarchatum occidentalem, cujus Presbyteris

ris Romani Pontifices hanc facultatem nunquam delegaverant. 2. Cum delegatio hujus facultatis potius ſit Actus Jurisdictionis, qua PHOTIUS tanquam invaſor Sedis CP*tanæ* carebat, erat invalida, conſequenter Presbyteri illi non erant Miniſtri ne quidem *extraordinarii.* 3. Cum Presbyteri illi absque ulla delegatione hoc Sacramentum tanquam Miniſtri *ordinarii* conferre voluerint; utique invalide contulerunt Confirmationem: ceterum Presbyteri græci ſub ſuis Patriarchis viventes, & ab iisdem delegati, valide miniſtrant, quod conſtat ex Concilio FLORENTINO, ubi Præſul *Mytilinenſis* ad Interrogationes Latinorum, & inter alias hanc: „ Quare Epiſcopi non in-
„ ungunt ſacro Chriſmate, cum hoc Pon-
„ tificibus ſit datum ? „ *Canonice omnia, legitimeque diſſolviſſe legitur*, & Græcorum Confirmatio a Latinis ut valida agnita fuit.

Ant. prob. II. INNOCENTIUS III. cap. 115
IV. *de Conſuet.* damnat hanc Græcorum Conſuetudinem, eoquod Poteſtas confirmandi a tempore Apoſtolorum ſolis Pontificibus ſit reſervata. *Ergo* &c.

RESP. INNOCENTIUM loqui de Presbyteris *Latinis Conſtantinopoli degentibus*, qui a Romano Pontifice non erant ad hoc delegati. Nam ut illam decretalem refert BALUZIUS & GONZALEZ, ita erat concepta:
„ Volentes igitur .. mandamus, quatenus
„ omnibus Latinis Presbyteris, apud Con-

„ ſtantinopolim conſtitutis diſtricte prohi-
„ beatis &c. „ Sed quia in compilatione Decretalium vulgari vox *Latinis* fuerat prætermiſſa, hinc nonnulli Authores in Errorem inducti ſunt.

116 *Ant. prob.* III. INNOCENTIUS IV. de pluribus interrogatus Quæſtionibus inter Archiepiſcopum *Nicoſienſem* ejusque Suffraganeos Latinos ex una, atque Epiſcopos græcos ex alia parte controverſis, hæc ad OTTONEM Cardinalem Tuſculanum S. A. L. reſcripſit: „ Soli autem Epiſcopi conſi-
„ gnent Chriſmate in Frontibus baptizatos;
„ quia hujus unctio non debet niſi per Epi-
„ ſcopos exhiberi. „

RESP. Prohibitionem INNOCENTII IV. reſtringi ad ſolum Regnum *Cypri*, non autem ad totum *Orientem* extendi; ortis enim ibidem Diſſidiis, melius videbatur ſervare Ritum Eccleſiæ Romanæ, quam græcæ; quia dum ad manum ſunt Miniſtri *ordinarii*, nulla urget ratio advocandi *extraordinarios*.

117 *Ant. prob.* IV. GREGORIUS IX. Epiſt. ad Barcinonenſem Epiſcopum Græcorum Sacerdotum confirmare ſolitorum conſuetudinem reprobat: „ Chriſmati vero a ſim-
„ plici Sacerdote, Confirmationis Munus
„ minime receperunt; quia de ſolis Apo-
„ ſtolis legitur, quorum ſunt Epiſcopi Suc-
„ ceſſores, quod per manus impoſitionem

„ Spi-

„ Spiritum S. dabant: & ideo tam illi, quam
„ confirmandi de cetero, a ſolis Epiſco-
„ pis confirmentur. „

Resp. Poteſt utique Romanus Pontifex ſimplici Presbytero id prohibere: at vero omnibus in Oriente id fuiſſe interdictum, non conſtat, ſed potius contrarium; quoniam illorum Sacramentum, etiam præſente Epiſcopo a græcis Presbyteris collatum, valere agnoſcit Latina Eccleſia.

Ant. prob. V. Clemens VIII. 1595. & 118
Benedictus XIV. 1742. Conſtit. *etſi Paſtoralis*, ubi *Clementinæ* Bullæ Senſum explicat, juſſerunt, ut Epiſcopi Latini Infantes, ſeu alios baptizatos a Presbyteris græcis, de facto Chriſmate in Fronte conſignatos confirment. Ergo &c.

Resp. Intelligendas eſſe Conſtitutiones de Presbyteris *Italo-Græcis*, ſub Epiſcopo Latino conſtitutis, qui Defectu Delegationis, invalide confirmant. Ceterum in eadem Conſtitutione ait Ss. Benedictus XIV. nolle ſe per eam Presbyteris græcis, ſub propriis ſuis Patriarchis & Epiſcopis degentibus, ullum in Juribus ſuis & Conſuetudinibus legitimis Præjudicium inferre.

Objic. VI. Adminiſtratio Confirmatio- 119
nis vel eſt Actus *Ordinis*, vel *Jurisdictionis*? vel utrumque ſimul? nullum poteſt dici. *Ergo. Min. prob.* Si eſt Actus *Ordinis*; tunc vel *ſacerdotalis*, vel *Epiſcopalis*.

Si

Si *primum*; tunc Presbyter est Minister *ordinarius*, nec indiget delegatione R. P. sicut illa non indiget ad conficiendam Eucharistiam. Si *alterum*; tunc Presbyteris non potest delegari, Consecratione Episcopali carentibus: sicut eisdem ordinatio Presbyteri, aut Diacono Consecratio Eucharistiæ, committi nequit. Neque potest dici, esse Actum *Jurisdictionis*; sequeretur enim I. Episcopum electum, & confirmatum, quamvis nondum consecratum, valide consecrare posse, sicut exercet omnes actus Jurisdictionis. Sequitur II. etiam non Presbytero hanc Facultatem delegari posse, sicut Potestas excommunicandi. Sequitur III. Episcopum invalide confirmare non subditum. Nec dici valet utrumque simul; quia Jurisdictio, accedens Potestati ordinis, non efficit, ut Presbyter ordinare Presbyterum, vel Diaconus consecrare Eucharistiam possit: ergo nec Jurisdictio, addita Potestati ordinis sacerdotalis, efficiet, ut Presbyter Actum Ordinis *Episcopalis* exercere valeat.

Resp. Hoc Argumentum adeo difficile videtur D. Haberto, ut victas daret manus, nisi obstaret Ecclesiæ Praxis, quæ Erroris argui non potest. Forte omissis aliorum solutionibus non inepte dici posset, Confirmationis administrationem, *Jure ordinario* factam, esse actum *Ordinis* Episcopalis; vi cujus solus Episcopus est Minister *ordinarius* & *proprius*: eandem autem ad-

administrationem *extraordinariam*, & *delegatam*, esse actum *Jurisdictionis*, qui tamen supponat Characterem *Ordinis sacerdotalis*. Ratio convincens dari nequit, sed sufficit Ecclesiæ Praxis, quæ Presbyteris, nunquam autem Diaconis, hanc Potestatem delegavit. In Rebus autem, quæ a sola libera Dei Voluntate dependent, non licet argumentari a pari, ut probe advertit HABERTUS. Hac solutione & distinctione præmissa facile potest responderi ad Objecta Adversariorum, & retorqueri Argumentum in collationem ordinum, simplici Presbytero commissam.

OBJIC. contra II. Partem. Concilium 120
TOLETANUM I. anno 400. can. XX. supra N. 64. relato, pergit in hæc Verba: „ Statutum est, Diaconum non chrismare, „ sed Presbyterum absente Episcopo; præsente vero, si ab ipso fuerit præceptum. „ Ergo Episcopus Presbytero hanc Facultatem largiri potest.

RESP. Concilium loqui de Chrismatione *verticali* in Baptismo, quæ quondam Presbyteris, in præsentia Episcopi, erat interdicta: non autem de Chrismatione confirmatoria *in Fronte*; si enim hanc permisisset Concilium TOLETANUM, non potuisset Concilium HISPALENSE II. N. 108. allegatum, cui incogniti esse non poterant Canones Concilii TOLETANI in iisdem Hispaniis celebrati, id exprobrare Episcopo *Cordubensi*.

121 Objic. II. Concilium Aracusicanum an. 441. can. I. „ Hæreticos in mortis di- „ ſcrimine poſitos, ſi Catholici eſſe deſi- „ derant, ſi deſit Epiſcopus, a Presbyteris „ cum Chriſmate & Benedictione conſigna- „ ri placuit. Et Concilium Epaonense an. 517. can. XVI. „ Presbyteros, pro- „ pter Salutem animarum, quam cunctis „ optamus, deſperatis & decumbentibus „ hæreticis, ſi converſionem ſubitam pe- „ tant, Chriſmate permittimus ſubvenire, „ quod omnes converſuri, ſi ſani ſunt, ab „ Epiſcopo noverint expetendum. „ Ergo Presbyteris a Concilio, quod non niſi ex Epiſcopis conſtat, hæc facultas confirmandi concedi poteſt.

Resp. Citata Concilia loqui *de Reconciliatione* Hæreticorum, quæ erat Ritus Confirmationi haud abſimilis, non tamen Sacramentum: ſecus Theodulfus Epiſcopus *Aurelianenſis*, cui canones Conciliorum Galliæ non erant ignoti, non potuiſſet ſcribere Lib. de Baptiſ. cap. XVII. „ Quod er- „ go Presbyteris baptizatos Chriſmate un- „ gere licet (in vertice) Spiritum vero „ Sanctum per manus impoſitionem trade- „ re non licet, antiquus iſte mos ab Apo- „ ſtolis eſt traditus. „

122 Objic. III. Martinus *Bracaſenſis* in ſua collect. canonum cap. LI. tanquam de conſuetudine ubique recepta ait: „ Pres- „ byter præſente Epiſcopo non ſignat In-

„ fan-

„ ſantes, niſi forte illi ab Epiſcopo fuerit „ præceptum. „

Resp. Martinum loqui de Chriſmatione *verticali*.

Objic. IV. Presbyteri græci confirmant 123
conſtanter ex Delegatione ſuorum Epiſcoporum. *Ergo* &c.

Resp. Etiamſi Presbyteri græci *immediate* ſuam Delegationem habeant a Patriarchis orientalibus, *ultimato* tamen & *mediate* deſcendit a Romano Pontifice, qui hactenus, *tacite ſaltem*, hanc iis Poteſtatem conceſſit juxta dicta, eam autem reſtringere poſſet, ut fecit Innocentius IV. in Regno Cypri Num. 116.

Objic. V. Pontifex poteſt delegare 124
hanc Poteſtatem : ergo etiam Epiſcopus. *Prob. Conſ.* Vel enim hoc facit ratione Poteſtatis *Ordinis*; & hæc eſt eadem in Epiſcopo; vel ratione *Juriſdictionis*; & hoc omne poteſt Epiſcopus pro ſua Diœceſi, quod Pontifex Romanus pro tota Eccleſia. *Ergo*.

Resp. Pontificem hoc facere ex Poteſtate *ſupremæ Juriſdictionis*, ſeu, *Plenitudinis*, vi cujus Epiſcoporum Juriſdictionem etiam reſtringere, & quædam ſibi ſoli reſervare poteſt: ut exempla habemus de Impedimentis dirimentibus Matrimonium, Cenſurarum Abſolutione, caſibus reſervatis &c. Atque eodem modo reſervavit ſibi Romana Sedes hanc Facultatem delegandi ex Num. 109.

CA-

CAPUT IV.

De Subjecto, Necessitate, & Effectu Confirmationis.

§. I.

De Subjecto, & ejus Dispositionibus.

125 RESOLUTIO I. Subjectum hujus Sacramenti, *valide* recipiendi, est *omnis* & *solus* baptizatus.

PROB. I. Pars. In Ecclesia vetere hoc Sacramentum immediate post Baptismum, una cum Eucharistia, etiam Parvulis conferri consueverat, ut constat ex TERTULLIANO de Baptis. cap. VII. & VIII. CYPRIANO Epistola LXXIII. ad Jubajanum. CYRILLO Hierosolym. Catech. Mystag. III. aliisque. Igitur omnis, qui Baptismi, etiam Confirmationis capax erat. Perduravit hic Mos in Ecclesia Latina fere usque ad Sæculum XIII. ut probat WITASSIUS & Ss. BENEDICTUS XIV. de Synodo Diœcesana Lib. VII. cap. X. Num. 3. in Orientali autem, adhuc hodie observatur. At vero a Sæculo XIII. usque ad nostra Tempora consuetudo invaluit, pluribus Conciliis provincialibus a WITASSIO relatis probata, ut Pueris non nisi post adeptum Usum Rationis hoc Sacramentum administraretur.

Utra-

Utraque consuetudo idoneis Rationibus nititur. Veteres enim, cum hodiernis Græcis, Subjecti magis, quam Sacramenti rationem habentes, voluerunt Confirmationem statim post Baptismum conferri, ut, quidquid gratiæ poterant, statim Neophitis conferrent. Hodie autem, in Occidente, Decori magis ac Dignitati Sacramenti consuli existimatur, quam exigentiæ Fidelium, dum eousque Sacramentum differtur, donec Instructionis capaces essent, & possent divini Beneficii Pretium pro meritis æstimare.

II. Pars constat ex dictis; cum per cha- 126
racterem Baptismi conferatur Potestas passiva recipiendi reliqua Sacramenta, sine quo nullum valet.

Resolutio II. Licitum ac consultum 127
est, ut etiam hodie Parvulis, aut aliis in Periculo mortis constitutis, hoc Sacramentum administretur.

Prob. I. Pontificale Romanum Clementis, & Urbani, utriusque VIII. Authoritate recognitum, titul. de *confirmandis*, tanquam certum ponit, Infantes ab Episcopo confirmari; ait enim: „ Infantes per „ Patrinos ante Pontificem confirmare vo„ lentem teneantur in brachiis dextris. „ II. Concilium Mediolanense V. parte I. ait: „ Alio Decreto, quod in Concilio „ provinciali primo sancivimus, cautum

„ est, ne Confirmationis Sacramentum iis „ præberetur, qui annis 7. minores natu „ sunt. Si tamen Episcopus ob aliquam „ justam causam (v. g. Periculum mortis, aut prudentem metum, ne deinceps Occasio desit hoc Sacramentum suscipiendi) at„ que adeo necessariam parvulo & infan„ ti, qui non modo eam ætatem non ex„ pleat, sed ne attingat quidem, ministran„ dum aliquando censuerit, ne sit vetitum. „ Idem sancitum est pluribus Synodis, ut refert WITASSIUS.

128 PROB. II. Id morituris & Parvulis administrari consultum est, quod confert Augmentum gratiæ & gloriæ: atqui hoc præstat Confirmatio. *Ergo. Min. prob.* per expressam S. THOMÆ Doctrinam III. part. q. LXXII. art. 8. ubi probat, hoc Sacramentum omnibus esse exhibendum, *quia confert perfectionem ætatis, seu, plenitudinis Christi*, aitque, multos in puerili ætate propter Robur Spiritus S. perceptum usque ad Sanguinem fortiter certasse pro Christo. Hinc ait ibidem ad 4. „ Etiam morituris „ hoc Sacramentum dandum est, ut in Re„ surrectione perfecti appareant secundum „ illos ad Ephes. IV. *Donec occurramus om„ nes in virum perfectum, in mensuram æta„ tis plenitudinis Christi*: & ideo HUGO de „ Sancto *Victore* dicit, omnino periculo„ sum esse, si ab hac vita sine Confirma„ tione migrare contingeret; non quia dam-

„ na-

„ naretur, nisi forte propter contemptum; „ sed quia detrimentum perfectionis pateretur: unde etiam pueri confirmati decedentes majorem gloriam consequuntur, „ sicut & hic majorem obtinent gratiam. „ Hæc D. THOMAS. Idem dicendum videtur de perpetuo Amentibus, ex GENNADIO *Massiliensi* de Dogmatibus Ecclesiast. cap. LII. „ Si parvuli sunt, vel hebetes, „ qui doctrinam non capiunt; respondeant „ pro illis, qui eos offerunt juxta morem „ baptizandi, & sic manus impositione, & „ Chrismate communiti, Eucharistiæ Mysteriis admittantur. Sicut enim infantilis ætas non patitur fictionem, qua Sacramenti effectus impediatur; ita nec rationis privatio in amente. „

PROB. III. Quamvis olim certa fuerint 129
Confirmationis definita tempora, sicut & Baptismi, puta, Paschæ, Pentecostes, & Epiphaniæ; attamen Concilium PARISIENSE an. 829. can. XXX. statuit, ut periclitantibus & infirmis extra illa tempora administretur: ait enim: „ Sicut Baptismatis gratia succurrendum, ita incunctanter donum Spiritus S. est tradendum, „ quod in sua Metropoli Bononiensi solicite observavit Ss. BENEDICTUS XIV. ut ipse scribit Instit. VI. „ Mandamus Parochis, „ ut ægrotos nobis denuntient, qui in lethali periculo versantur, ne sine Confirmatione vitam absolvant, sicut etiam

„ præcepit S. Carolus Mediolanensis. „ Idem de Pueris periculoso Morbo laborantibus intelligendum est ex Ratione D. Thomæ supra allegata. Addit: „ Nos autem „ nullo impedimento retardabimur, ne in„ firmos domi invisamus, ipsosque in eo „ discrimine Sacramenti hujus virtute con„ firmemus. „

130 Resolutio III. Præter Statum Gratiæ, qui certe necessarius est, olim ad hoc Sacramentum in Adultis requirebatur Doctrina, Oratio, & Jejunium.

Prob. I. Pars. Cum enim sit Sacramentum *Vivorum*; homo confirmandus in statu gratiæ constitutus supponitur. An huic Sacramento ab homine Peccati conscio Confessio Sacramentalis præmitti debeat, aut sufficiat contritio sine Sacramento? non omnino certum; quædam enim Concilia, ut Burdigalense Provinciale 1583. & Diæcesanum an. 1624. item Pontificale Romanum jussu Clementis VIII. editum, Confessionem, *aut* maximum Peccatorum Dolorem *disjunctive* requirunt: Alia autem Confessionem *determinate* præcipiunt. Ut Concilium Aurelianense cit. a *Gratiano* cap. VI. de Consecrat. d. 5. Ivo Carnat. Herandus Episcopus Turon. an. 858. Odo Episcopus Paris. Sæcul. XII. pluresque Synodi a Witassio allegatæ, præcipiunt, ut moneantur Adulti prius confiteri, antequam confirmentur. Quod mihi videtur

pro-

probabilius. Certum eſt enim, ad Fructum Sacramenti conſequendum requiri Statum Gratiæ ſanctificantis: incertum eſt autem, an quælibet contritio *exiſtimata* Gratiam ſanctificantem conferat: cum ergo probabilius ſit, certa incertis eſſe præponenda, nec Sacramentum liceat exponere Periculo graviſſimæ Irreverentiæ & Sacrilegii incurrendi; hinc probabilius Confeſſio ſacramentalis tanquam medium *ordinarium*, a Chriſto inſtitutum, præmittenda eſt, ſicut in aliis Sacramentis Vivorum. Accedit, quod non niſi per Sacramentum Pœnitentiæ, ſaltem *in Voto*, Peccata poſt Baptiſmum commiſſa deleri poſſint: ſed qui habet copiam hujus Sacramenti *in re* ſuſcipiendi, nec tamen ſuſcepit; non videtur habere ſerium illius Votum. Igitur ſaltem tunc, quando habetur copia Confeſſarii, Confeſſio ſacramentalis erit præmittenda.

Prob. II. Pars. Doctrinam, ſeu Noti- 131
tiam, Fidemque *explicitam* Myſteriorum Trinitatis, Incarnationis, hujusque Sacramenti, neceſſariam eſſe in Adulto nemo ambigit; cum vix alia Ratio afferri poſſit, Confirmationem, contra morem antiquum, in adultam ætatem differendi, niſi, ut tunc plenius inſtructus, gratiam Sacramenti agnoſcat, ac ad eam digne ſe præparet. Concilium Narbonense 1609. cap. XV. non ſolum ab Adultis, ſed etiam a Pueris exigit, ut *Orationem Dominicam*, *Salutationem*

 An-

Angelicam, Symbolum Apostolorum, & X. Præcepta Decalogi norint. Quidni & Præcepta Ecclesiæ? quorum plerisque Pueri Doli capaces obligantur.

132 PROB. III. Pars. *Orationem*, quo nomine hic intelligitur pia quædam exercitatio, meditatio, ac præparatio ad suscipiendum cum fructu hoc Sacramentum, requiri, ex eo patet, quod CHRISTUS id ipsum Apostolis, Spiritum S. in Pentecoste recepturis, præceperit Luc. XXIX. inquiens: *vos autem sedete in civitate* (non utique otiose, sed in quiete Orationis) *quoad usque induamini virtute ex alto.* Quod etiam accurate præstiterunt; ut enim testatur LUCAS in Actis Apost. cap. I. *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre JEsu.* Hanc ipsam ob Rationem, ut Fideles se ad hoc Sacramentum præparent per pia Exercitia, quondam non nisi post Jejunium quatuor Temporum, ac Dies Stationum administrari consueverat, ut colligitur ex Concilio BRIOCENSI an. 1300. BITURICENSI an. 1584.

133 PROB. IV. Pars. Quod attinet Jejunium, illud non solum ab Episcopo confirmante, sed etiam a confirmandis olim requirebatur, ita quidem, ut juxta Ordinem *Romanum*, & Authorem Lib. de divin. Offic. sub ALCUINI nomine, vel ipsi Infantes, etiam lactentes ad serotinum usque tempus je-

jejunaverint, ut Sabbato S. baptizati, Veſpere Spiritum S. per manus Impoſitionem ſuſciperent. Id ipſum potiore jure ab Adultis exigebant Concilia PARISIENSE an. 829. Lib. I. cap. XXXIII. ROTHOMAGENSE I. 72. cap. II. BAJOCENSE 1300. cap. V. MEDIOLANENSE IV. 1576. & multa alia, quam etiam Praxin retineri vult, aut ſaltem exoptat Pontificale *Romanum* juſſu CLEMENTIS VIII. editum, teſtaturque BENEDICTUS XIV. Inſtit. Eccleſ. VI. p. 33. a. hunc morem usque ad Sæculum XII. conſtanter in Eccleſia fuiſſe obſervatum. Non ignoro hodiernam Praxin eſſe contrariam, maxime cum frequenter poſt Meridiem ab Epiſcopo non jejuno conferatur, itidem non Jejunis, de quibus Epiſcopi viderint. Hic ſolum commemorare volui priſtinam Eccleſiæ Diſciplinam, quam ſecutus eſt Ss. BENEDICTUS XIV, adhuc Archiepiſcopus Bononienſis, aliisque plurimum commendavit loc. cit.

§. II.

De Neceſſitate hujus Sacramenti.

RESOLUTIO I. Confirmatio non eſt ne- 134
ceſſaria neceſſitate *Medii*, ſed *Præcepti* Eccleſiaſtici, & etiam *divini*, ſaltem in aliquibus circumſtantiis. *Communis.*

PROB. I. Pars. Fideles ſine Confirmationis Sacramento, niſi per contemptum fuerit neglectum, Salutem poſſunt conſequi.

Ergo. Ant. prob. ex Concilio Illiberitano can. LXXVII. „ Si quis Diaconus regens Plebem ſine Epiſcopo, vel Presbytero, aliquos baptizaverit, Epiſcopus eos per Benedictionem perficere debebit: quodſi ante de Sæculo receſſerit, ſub fide, qua quis crediderit, poterit eſſe juſtus. „

Ratio eſt: quia neque ex S. Scriptura, neque ex Traditione, conſtat, huic Medio alligatam eſſe Salutem: ſicut tamen conſtat de Baptiſmo, Pœnitentia, & aliis.

135 Prob. II. Pars. Concilium Illiberitanum can. XXXVIII. de Fideli, per Laicum in neceſſitate baptizato, ait: „ Si ſupervixerit; ad Epiſcopum eum perducat, ut per manus Impoſitionem perfici poſſit. „ Laodicenum can. XLVIII. „ Quod oportet eos, qui illuminantur, poſt Baptiſmum inungi ſuper cœleſti Chriſmate. „ Gregorius M. Lib. XII. Epiſt. XXXI. præcipit Confirmationem, quæ facta probari non poteſt, iterari; ne talis Dubitatio Ruina Fidelibus fiat. Id ipſum præcipiunt plures Synodi a Witassio relatæ. Illudque Præceptum grave eſſe, inde colligitur; quod Novatiano, in Lecto baptizato, Catholici, ut Cornelius P. Epiſt. ad *Fabium* Antioch. prætermiſſionem hujus Sacramenti vehementer exprobraverint.

PROB. Ratione D. THOMÆ III. Part. q. 72. art. 8. „ Per hoc Sacramentum homo promoveretur ſpiritualiter ad ætatem perfectam. Hoc autem eſt de intentione naturæ, ut omnis, qui corporaliter naſcitur, ad ætatem perfectam perveniat. . . . Multo autem magis de intentione Dei eſt, omnia ad perfectionem perducere, ex cujus imitatione hoc natura participat. „ Unde ita licet arguere. Homo Jure divino obligatur tendere ad perfectionem Chriſtianam; atqui ad eam pervenire non poteſt, niſi per Sacramentum Confirmationis, ſaltem *in Voto*; cum hoc efficiat Chriſtianum *perfectum*: ergo &c. 136

PROB. III. Illud Sacramentum eſt Præcepto divino neceſſarium, quod eſt a Deo inſtitutum, tanquam *Medium ordinarium* ad profitendam fortiter Fidem Tempore Perſecutionum, & in Articulo Mortis. Atqui Confirmatio, eſt tale Medium a Deo inſtitutum, ut communis eſt Theologorum Sententia, colligiturque ex CORNELIO R. P. qui Apoſtaſiam NOVATI, Neglectui Confirmationis adſcribit his verbis: „ Verum morbo tandem relapſus, neque cetera, quibus poſt Baptiſmum ſecundum Eccleſiæ canonem (NB. hic conſtat clare de Præcepto Eccleſiaſtico) imbui oportuerat, acquiſivit, neque Domini Sigillo ab Epiſcopo obſignatus fuit. Quo quidem neutiquam potitus, quomodo, quæſo, Spiritum 137

„ ritum S. adeptus eſt? Iſte Perſecutio„ nis tempore metu debilitatus, & nimia „ Vitæ Cupiditate adductus, ſe Presbyte„ rum eſſe negavit &c. „ *Ergo.*

138 Prob. Pars III. Apoſtoli acceperunt Præceptum, exſpectandi Adventum Spiritus S. Act. I. *Præcepit eis, ab Jeroſolimis ne diſcederent, ſed exſpectarent promiſſionem Patris* &c. id eſt, Miſſionem Spiritus S. ut explicant verba ſequentia. Ergo etiam reliqui Chriſtiani hoc Præcepto ligantur, recipiendi Spiritum S. qui datur per Confirmationem. Nam non ſoli Apoſtoli, ſed & alii Diſcipuli Domini, & mulieres, cum Matre Jesu, hoc ſibi præceptum eſſe exiſtimabant, & cum Apoſtolis perſeverarunt. Dein cum Apoſtoli ſemper fuerint ſoliciti, ut baptizatis imponerent Manus; inde prudenter colligitur, ipſos habuiſſe Præceptum divinum conferendi, ceteros autem, Præceptum recipiendi.

139 Ex his inferunt Theologi communiter, Fideles ſub gravi Peccato obligari, hoc Sacramentum ſuſcipere, non tantum tempore Perſecutionis, & Periculi negandæ Fidei, ſed quando adeſt Occaſio illud recipiendi, quia ſecus de contemptu, ſaltem *virtuali*. convincuntur. Inde quoque infert *Angelus a Clavaſio* in Summa, quæ dicitur *Angelica* V. *Confirmatio*, quod notabilis Negligentia Epiſcoporum, in non

con-

conferendo illud, ſit eis Peccatum mortale. Specialiori adhuc Præcepto adſtringuntur ad præmittendum hoc Sacramentum Virgines Deo dicatæ, antequam S. Velamen ab Epiſcopo percipiant, ex ALCIMO AVITO de Laud. Caſtit. cap. XIX. & Clerici ante receptionem Ordinum, ut probat HALLERIUS de Ss. Electionibus, & conſtat ex CORNELIO cit. qui NOVATIANO ejus Neglectum exprobravit.

§. III.

De Effectu Confirmationis.

Præter *Characterem*, quem Confirmatio imprimit, quique eſt Poteſtas ſpiritualis, ſupernaturalis, indelebilis, qua Chriſtianus, tanquam Miles CHRISTI, deputatur ad propugnandam Fidem adverſus Hoſtes ipſius viſibiles; duo alii enumerantur. 140
Primus, isque Sacramentis omnibus communis, eſt Gratia ſanctificans, ejusve Augmentum, quæ a PP. vocatur Gratia *Perfectionis*, Gratia *Augmenti* &c. In quo differat a Gratia Baptiſmi; explicat D. THOMAS III. Part. q. 72. art. 5. his verbis: „ Sicut Baptiſmus eſt quædam ſpiritualis „ Regeneratio in vitam Chriſtianam; ita „ etiam Confirmatio eſt quoddam ſpirituale augmentum, promovens hominem in „ ſpiritualem ætatem perfectam. Manifeſtum eſt autem ex ſimilitudine corpora- „ lis

„ lis vitæ, quod alia eſt actio hominis ſta-
„ tim nati, & alia actio, quæ competit
„ ei, cum ad perfectam ætatem pervene-
„ rit. Et ideo per Sacramentum Confir-
„ mationis datur homini poteſtas ſpiritua-
„ lis ad quasdam alias actiones ſacras, præ-
„ ter illas, ad quas datur ei poteſtas in
„ Baptiſmo. Nam in Baptiſmo accipit
„ homo poteſtatem ad ea agenda, quæ ad
„ propriam pertinent Salutem, prout ſci-
„ licet ſecundum ſe ipſum vivit; ſed in
„ Confirmatione accipit homo poteſtatem
„ ad agendum ea, quæ pertinent ad pu-
„ gnam ſpiritualem contra hoſtes Fidei;
„ ſicut patet exemplo Apoſtolorum, qui
„ antequam plenitudinem Spiritus S. acci-
„ perent, erant in Cœnaculo perſeveran-
„ tes in Oratione; poſtmodum vero egreſſi
„ non verebantur publice fidem fateri, etiam
„ coram inimicis Chriſtianæ Fidei. &c.

141 Alter Effectus eſt, ut baptizatum efficiat PERFECTUM Chriſtianum, de quo tamen controverſia eſt tam cum Hæreticis, qui putant ſolo Baptiſmo Chriſtianum fieri perfectum; quam cum nonnullis Catholicis, quorum non nulli in Anglia Miſſionarii, cum a Romano Pont. URBANO VIII. Epiſcopo, in Angliam Legato, ſubjicerentur, perſuadere Fidelibus moliebantur, tempore Perſecutionis non opus eſſe Epiſcopo, & Unctionem *verticalem in Baptiſmo*, omnes, licet non confirmatos, efficere Chri-

Christianos *perfectos*. Quam controversiam, & quasdam Regularium illorum Propositiones, a Facultate Parisiensi proscriptas, recenset WITASSE.

RESOLUTIO. Duplex est Sacramenti 142
Confirmationis Effectus; *primus*, spirituale Robur ad profitendam Fidem: *alter*, Perfectio Christiani: Neuter, Unctione *verticali* in Baptismo suppletur.

PROB. I. Pars. Quod præter Gratiam sanctificantem, in Baptismo receptam, aliud insuper tribuat Confirmatio, constat ex Act. VIII. ubi dicitur de Samaritanis: *Nondum in quemdam illorum venerat* (Spiritus Sanctus) *sed baptizati tantum erant in Nomine D. JEsu; tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum S.* Ergo per Confirmationem datur Plenitudo Spiritus S. seu, Robur, quod non contulerat Baptismus. Id ipsum constat etiam ex Luc. XXIV. ubi CHRISTUS dicit ad Apostolos, illos Spiritum S., seu *Rem Sacramenti*, accepturos fore: *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Sive, Robore, ad profitendam Fidem. Hinc ait CYRILLUS Hierosolym. Catech. Mystag. III. „Post „Chrisma mysticum induti armis Spiritus „S. adversus vobis oppositam Potestatem „consistatis.„ Ita & alii a WITASSIO relati.

Ratio

143 Ratio eſt. Certum eſt inter Catholicos, Confirmationem eſſe Sacramentum, a Baptiſmo diſtinctum: ergo debet habere Effectum diverſum: qui eſt hoc ipſum Robur, ſive, Firmitas. Ex D. THOMA N. 140.

144 PROB. II. Pars. Hoc Sacramentum paſſim a Patribus appellatur *Conſummatio*, *Perfectio*: dicitur, *Chriſtianum conſummari, perfici, fieri unctum, Chriſtianum.* Sic, ut alios taceam, CYRILLUS Hieroſolym. Cat. Myſtagog. III. „ Hujus Chriſmatis dono „ accepto, merito appellamini Chriſtiani, „ veram efficientes appellationem in ipſa „ regeneratione. Ante enim quam hæc „ vobis gratia donata eſſet; non eratis pro„ prie digni hoc nomine, ſed pergentes eo „ usque progreſſi eſtis, ut efficeremini „ Chriſtiani. „

145 Ratio autem eſt, Chriſtianus idem eſt, quod *unctus*. Ergo ut aliquis dicatur *Chriſtus*, ſeu, *perfecte Chriſtianus*, & *unctus*; utraque Unctio, *exterior*, & *interior*, requiritur. Sicut ut aliquis dicatur perfecte baptizatus; *interius*, *exterius*que, ablutus eſſe debet. Atqui ungitur exterius, interiusque, per *Confirmationem*; ergo hæc efficit *perfectum* Chriſtianum. Baptiſmus proprie loquendo Animam non ungit, ſed abluit: ergo *Unctionem*, & *Perfectionem* Chriſtiani tribuit Confirmatio, dum largitur Plenitudinem Spiritus S. quo unctus eſt

CHRI-

Christus præ consortibus suis, & ipsi etiam Christiani unguntur.

Prob. III. Pars, primum Effectum non suppleri per Baptismi unctionem. Patres requirunt, ut ad Robur obtinendum, & ad Pugnam pro Fide fortiter subeundam, suscipiatur Confirmatio, post Baptismum. Ergo Unctio *verticalis* hunc Effectum non tribuit. Sic Innocentius I. cujus ætate illa Unctio baptismalis jam erat in usu, dicit, Unctionem in Fronte non posse peragi a simplici Presbytero; quia non potest dare Spiritum Sanctum: intellige, cum *Plenitudine, ad Robur.* Ambrosius eidem coævus Lib. III. cap. II. de Sacram. postquam de Unctione Baptismi disseruerat, ait: „ Sequitur spirituale signaculum, quia post „ fontem superest, ut *Perfectio* fiat, quan„ do ad Invocationem Sacerdotis Spiritus „ S. infunditur. „ 146

II. Etiamsi Unctio *verticalis*, forte sit *Ceremonia* aliquid efficiens, & non tantum significans, ut v. g. vestis candida &c. de quo adhuc disceptatur; nequit tamen supplere Effectum *proprium* Sacramenti, a Baptismo distincti. Ergo &c. *Ant. prob.* Si hoc posset Ecclesia suis Ceremoniis efficere; posset etiam quædam Sacramenta suo Effectu privare, & novas Ceremonias in eorum locum substituere. Atqui hæc Potestas Ecclesiæ nunquam fuit concessa. 147

III.

148 III. Sacramentum quodlibet eſt a Deo ordinatum ad ſpecialem Effectum, qui ex *opere operato* per nullum aliud Sacramentum, multo minus per Ceremoniam Eccleſiaſticam, conferri ac ſuppleri poteſt. *Atqui* &c. *Ergo* &c.

149 IV. Si Unctio verticalis hunc Effectum suppleret; tunc fruſtra ſuperadderetur Confirmatio, quæ tamen in Eccleſia antiqua, etiam poſt introductam Unctionem verticalem, ſtatim Baptiſmo fuit adjuncta. Ergo habet Effectum diſtinctum a Baptiſmo, nec per hunc ſuppletur.

150 V. Nullum habetur in Scripturis Fundamentum, de hac Eccleſiæ Poteſtate, ut Effectum Sacramenti per nudas Ceremonias poſſit conferre. *Ergo* &c.

151 Prob. IV. Pars, non ſuppleri Unctione verticali alterum Confirmationis Effectum, qui eſt, Chriſtianum reddere *perfectum*. Perfectio Chriſtiani non conſiſtit in Unctione *externa* Corporis, ſed *interna* Animæ. Ergo Perfectio Chriſtiana non confertur per Baptiſmum. *Conſeq.* conſtat; quia juxta Adverſarios Unctio *verticalis* Baptiſmi ideo ſuperaddita eſt, ut in Defectu Confirmationis haberetur illius Effectus, quem Baptiſmus absque hac Unctione antea non habuit. *Ant.* autem *prob.* ex Cypriano Epiſt. LXX. „ Ungi neceſſe eſt „ eum,

„ eum, qui baptizatus ſit, ut accepto Chri-
„ ſmate, id eſt, Unctione, *unctus* Dei, &
„ habere in ſe Chriſti gratiam poſſit. „ Non eſſet autem neceſſe, ſi absque Confirmatione Chriſtianus perfectus eſſet.

Prob. II. SS. Patres *Perfectionem* Chriſtiani alligarunt Chriſmationi in *Fronte*, ut conſtat ex Cyrillo Hieroſolym. Num. 142. cit. aliisque paſſim apud Witasse. 152

Prob. III. Rationes jam allegatæ id ipſum evincunt. Sequitur enim 1. Confirmationem eſſe otioſam Ceremoniam, ſi nihil Baptiſmo ſuperaddit, niſi Unctionem *externam in Fronte*, cui non reſponderet Effectus, diſtinctus a Baptiſmo. Sequitur 2. nullam eſſe Sacramenti hujus neceſſitatem, & obligationem, etiam caſu, quo facile poteſt ſuſcipi, ſi omnem Perfectionem in Baptiſmo conſequimur: atqui hoc eſt contra Rationem Sacramenti. *Ergo* &c. 153

Objic. I. Unctio *verticalis* ſignificat Effectum Sacramenti Confirmationis: ergo etiam *ſupplet*. *Ant. prob.* Effectus Sacramenti Confirmationis eſt, conſervatio Gratiæ baptiſmalis, & reddere hominem *Chriſtianum*, ſeu, *unctum*: atqui hoc ſignificat Unctio *verticalis* Baptiſmi: *ergo*. *Min. prob.* ex D. Thoma q. 71. art. 3. ad 4. „ Inun-
„ ctio quæ fit in vertice, operatur conſer-
„ vationem gratiæ baptiſmalis. „ Et ex 154

INNOCENTIO III. de Sacra Unctione §. *quia vero.* „ In vertice baptizatus inungitur, ut „ sit paratus ad petenti de Fide rationem „ reddere. „ Ita & alii ut BEDA, AMALARIUS, HONORIUS Augustadun. RHABANUS &c.

RESP. *Disting. ant.* Significat Effectum Confirmationis, eodem modo, ex *opere operato* conferendum. *Nego.* Diverso modo, nempe per Preces Ecclesiæ, adeoque ex *opere operantis*, ut omnia sacramentalia. *Conc.* Secus Ecclesia posset Effectum Sacramenti per Ceremonias conferre, quod est idem, ac instituere Sacramenta.

155 OBJIC. II. Ceremonia Chrismationis in hunc Finem fuit instituta, ut suppleret Effectum Confirmationis, quæ, cum jam sit a Baptismo separata; non omnibus confertur, uti testatur BELLARMINUS, ex Rhabano, *Hugone Victorino*, AMALARIO, RUPERTO. Ergo ne illi, quibus occasio suscipiendi Sacramentum Confirmationis deest, perpetuo careant Gratia sacramentali.

RESP. Nego *ant.* Si enim hoc verum foret; INNOCENTIUS I. nulla Ratione permisisset Presbyteris, ut sive præsente, sive absente Episcopo, ungerent Chrismate baptizatum in *vertice.* Nam si in eum tantum finem fuit instituta, ut quando occasio non est accedendi Episcopum pro Chrismatione *frontali*; cur præsente Episcopo eam permitteret Presbytero in *vertice*? Ergo utrius-

utriusque eſt diverſa Ratio & Effectus. Igitur dicendum eſt, Chriſmationem *verticalem* inſtitutam fuiſſe, ad oſtendendam neceſſitatem Unctionis in fronte, vel *in re*, vel *in Voto* ſuſcipiendam; ut nimirum Adulti in Articulo mortis conſtituti, ubi occaſio Epiſcopi non adeſt, Unctione verticali admoneantur, ad concipiendum Deſiderium, & votum Sacramenti Confirmationis, ab Epiſcopo recipiendi. Semel autem introducta hæc Ceremonia apud Adultos; etiam Infantibus ſolebat adminiſtrari.

OBJIC. III. Epiſcopalis Confirmatio, poſt 156
inſtitutam Chriſmationem verticalem, non eſt adeo neceſſaria, ut habetur can. I. Concilii ARAUSICANI, relato cap. *Nullus*. Diſt. IV. de *Conſecrat*. Ergo &c.

RESP. Nego *ant*. Nam Sacramentum Confirmationis, etiam hodie eſſe neceſſarium neceſſitate Præcepti divini, & Eccleſiaſtici, inter Theologos certum eſt. Canon Concilii ARAUSICANI fuit explicatus ſupra Num. 40.

OBJIC. IV. *Cenſeri*, & *eſſe*, perfectum 157
Chriſtianum, idem apud Patres ſignificat. Atqui Baptiſmo *nominamur* Chriſtiani. Ergo & *ſumus*. *Min. prob.* JUSTINUS Martyr Quæſt. & Reſp. ad Orthodoxos Q. 137. ait: „ Ungimur in Baptiſmo, ut Chriſti „ & Uncti dicamur. „

RESP. *Dist. min.* Baptismo sumus Christiani, quoad Substantiam. *Conc.* Quoad Perfectionem, Robur, & Integritatem. *Nego.* Quæstiones & Responsiones non sunt Justini Martyris.

158 OBJIC. V. Qui est *plene*, & *undique* unctus; debet Christianus *perfectus* dici, & censeri. Atqui baptizatus, est plene *intus* & *extra* unctus. *Ergo.* *Min. prob.* ex D. THOMA in IV. Dist. VII. Quæst. I. Art. I. Solutione II. ad I. „ Est plenitudo, quæ „ Christiano sufficiens est ad Salutem; & „ hæc datur in Baptismo. Et est plenitu„ do gratiæ ad fortiter resistendum; & „ hæc datur in Confirmatione, & sine hac „ potest esse Salus. „

RESP. Nego *min.* *Plene* enim, & *interius* ungitur per Confirmationem. Per Baptismum potius tantum abluitur. Baptismus facit, ut aliquis sit *perfecte* Christianus, sed non *perfectus*, robustus. Sicut Infans in Nativitate est *perfecte* Homo, etsi non *perfectus*, qualis fit per augmentum Roboris & ætatis. D. THOMAS tantum vult, Confirmationem non esse *necessitate Medii* necessariam ad Salutem, quamvis sit necessaria, ad esse *perfectum* Christianum: secus esset Sacramentum otiosum, quod S. THOMÆ repugnat, qui eidem Effectum, a Baptismo distinctum, assignat. N. 140.

DE

DE
SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Hanc quam dicimus *Eucharistiam*, ut *Sacramentum* primo considerabimus, dein ut *Sacrificium*. Ut Sacramentum, est ipse CHRISTUS, seu, Corpus & Sanguis, sub visibili specie Panis & Vini præsens, & ad spiritualem Animæ Cibum fidelibus distribuendus. Variis autem nominibus hoc Sacramentum a PP. indigitatur: 1. a Tempore, quo fuit instituta, vocatur *Cæna*. 2. ab eo quod continet, dicitur Corpus, Caro, Sanguis Christi, Sancta Sanctorum, ipsum *perfectum* &c. 3. a Materia ex qua fit, vocatur Panis, supersubstantialis, Vitæ: Poculum salutaris &c. 4. a Forma vocatur Eulogia, seu, Benedictio: quamvis non raro Panis vulgaris in Ecclesia benedictus, minime tamen in Corpus Christi conversus, sub Eulogiarum Nomine veniat. 5. a Proprietatibus dicitur novum Testamentum, quod Deus novum cum suis Fidelibus Fœdus inierit. Ita in Consecratione Calicis: *Sanguis Novi Testamenti*. 6. Ab Effectu appellatur Vita, Eucharistia, seu, Gratiarum actio, eoquod gratiis Deo agendis inserviat; quamvis & inde dici possit Eucharistia, quod Christus agendo Patri gra-

tias illud inſtituerit. Teſtantibus Evangeliſtis. Item *Viaticum*, quod Viatoribus ad Patriam cœleſtem pergentibus ſubſidio ſit & Nutrimento: & *Communio*, Communicatio; eoquod Fideles inter ſe, & cum Chriſto arctiſſime conjungat. 7. a Loco, in quo ſumitur, vocatur *Menſa* cœleſtis, *Dominica*, *Myſtica*. 8. a Figuris, quibus fuerat adumbrata, dicitur Paſcha, Manna, Panis Angelorum &c. 9. a Cœtu vocatur Synaxis, Collectio, eoquod Fideles in unum collecti illud ſumpſerint. Item *Agape*; quia Fideles ex mutua dilectione convivari, ac Pauperes alere conſueverint. 10. a Modo, quo diſtribuebatur olim, & adhuc in oriente, *Fractio Panis*, Partes, Mica &c. 11. a Charitate Chriſti, unde proficiſcitur, vocatur *Gratia*, Donum. 12. a Symbolis, dicitur Myſterium. Myſteria tremenda, ſimpliciter Sacramentum, Dominicum, Sacramentum Altaris. 13. a Dignitate, Sacramentum Sacramentorum.

I. Capite de Illius Exiſtentia & Inſtitutione. II. de illius Eſſentia. III. de Materia. IV. de Forma. V. de ejus Proprietatibus. VI. de Miniſtro & Subjecto. VII. de Effectu & Diſpoſitionibus. VIII. de Sacrificio pertractabitur.

CAPUT

CAPUT I.

De Exiſtentia, & Inſtitutione Euchariſtiæ.

§. I.

An Euchariſtia ſit verum novæ Legis Sacramentum?

1 Præter MESSALIANOS, qui omnia prorſus Sacramenta negabant, ſolis precibus contenti, vix ulli fuere ex antiquis Hæreticis, qui Euchariſtiam, Sacramentum eſſe negarunt. Hodierni SOCINIANI id impugnant, contendentes, eam tantum eſſe inſtitutam ad commemorandam Mortem Chriſti, non autem ad conferendam Gratiam. Quod ad rationem Sacramenti attinet, ſpectatur dupliciter a Catholicis. Primo *in fieri*, ſeu, in ipſa actione, qua Materia per Formam in CHRISTUM convertitur: & in *facto* eſſe, dum CHRISTI Corpus & Sanguis ſub ſpeciebus Panis & Vini exiſtit præſens: quod quidem negant Proteſtantes, eam in ſolo Uſu, ſeu, ſumptione conſiſtere, non autem eſſe permanens, nec aſſervari conſequenter nec adorari poſſe, arbitrantes: quamvis inter ſe non conſentiant; quidam enim cum CHEMNITIO docent, CHRISTUM tamdiu eſſe præſentem, quamdiu Actio Cœnæ durat: alii putant, per Triduum, in uſum ægrotorum: alii præſentiam, & Sa-

cramenti rationem restringunt ad solum Actum sumptionis. Litigant etiam Scholastici, in quo proprie sita sit Ratio Sacramenti, an in Consecratione, vel Sumptione: aut utraque simul? an in solis speciebus, aut solo Corpore & Sanguine Domini, vel utroque simul? quod videtur probabilius. His observatis &c.

2 Resolutio I. Eucharistia est verum novæ Legis Sacramentum. *De Fide.*

Prob. I. Ad verum novæ Legis Sacramentum tria requiruntur: 1. Signum sensibile, Gratiæ collativum: 2. Promissio Gratiæ: 3. Mandatum Christi; atqui hæc tria concurrunt in Eucharistia. Ergo est verum Sacramentum. *Min. prob.* 1. est Signum sensibile; eoquod constet ex Speciebus Panis & Vini, quæ significant, & conferunt Alimentum spirituale Animæ, Augmentum videlicet Gratiæ: 2. habet annexam Promissionem Gratiæ: *qui manducat hunc Panem, vivet in æternum.* 3. habet Mandatum: *hoc facite in meam commemorationem: nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis* &c.

3 Prob. II. ex perpetua Ecclesiarum omnium Traditione & Consensu, cui ne hodierni quidem Protestantes & Reformati, exceptis Socinianis repugnant, uno ore hanc Resolutionem fatentes.

Re-

Resolutio II. Eucharistia est Sacramen- 4
tum non tantum in sui Usu, sed etiam permanens. *Est de Fide* ex Tridentino Sess. XIII. Can. IV.

Prob. I. ex S. Scriptura & Institutione hujus Sacramenti. Christus enim dum Apostolos hortaretur, ut comederent & biberent, monuit, hoc, quod essent sumpturi, esse Corpus, & Sanguinem suum. Ergo jam ante sumptionem erat verum Sacramentum. Sic enim legitur Matth. XXVI. 26. & 1. Cor. XI. 23. *Accepit Panem, gratias agens, benedixit, fregit, deditque discipulis suis, & ait: accipite & comedite, hoc est Corpus meum*: quod falsum foret, si non jam tunc Corpus ejus fuisset, sed primum in comestione futurum esset. Aut debuisset dicere: *hoc* ERIT *Corpus meum.*

Prob. II. ex Traditione, unde constat, 5
Eucharistiam fuisse asservatam in usum absentium & ægrotorum. Ita testatur Justinus Martyr Apol. I. *Diaconi distribuunt unicuique præsentium, & ad absentes perferunt.* Ita quoque Tertullianus Lib. de Orat. cap. XIV. *accepto Corpore, & reservato.* Solebant quippe Christiani die Dominica ad Ecclesiam convenire, sacræ Liturgiæ interesse, Eucharistiam de Manu Præsidentium sumere, & residuum pro reliquis hebdomadæ diebus secum Domum asportare. Constat quoque ex Dionysio Alexandrino, qui apud Eusebium H. E. Lib. VI. cap. 44.

 nar-

narrat, Seni cuidam, Nomine SERAPIONI, in extremis posito a Presbytero per Puerum destinatam fuisse Eucharistiam, qui eam liquore intinctam ori illius immisit. Denique ex Historia notum est, Eucharistiam in signum communionis invicem transmitti consuevisse. Ut nil dicam de *Missis Præsanctificatorum* tum apud Latinos Feria VI. Majoris Hebdomadæ, tum apud Græcos per totam Quadragesimam excepta die Dominica & Sabbato, ubi Panis die Dominica consecratus, ac Sanguini quandoque intinctus, pro ceteris diebus servabatur. Accedit ultimo constans utriusque Ecclesiæ in Oriente ac Occidente concors Assertio, Eucharistiæ Sacramentum esse quid permanens, nec in nuda sumptione consistere.

6 OBJIC. I. Marcus cap. XIV. refert, CHRISTUM, postquam Apostoli jam biberunt vinum, dixisse: *Hic est Sanguis meus*: ergo non erat ante sumptionem.

RESP. Marcum non servasse ordinem rerum gestarum, sed anticipato scripsisse: *biberunt ex eo omnes*, quod colligitur ex collatione ceterorum Evangelistarum. Dein potest etiam sic exponi: quod pronomen, *hoc*, habeat sensum: hoc, quod bibistis, & adhuc in calice est, est Sanguis meus. Nisi autem Christus eos ante Haustum præmonuisset; illum sine Fide & Devotione, adeoque sine Fructu sumpsissent: quod non crediderim.

OB-

Objic. II. Cetera Sacramenta consistunt 7
in Actione transitoria, v. g. Baptismus in ablutione. Ergo etiam Eucharistia in sumptione.

Resp. Nego *Cons.* Ratio est sola voluntas instituentis, qui hoc Sacramentum voluit esse Convivium permanens, ac thronum gratiæ, in quo continuo cum Hominibus corporaliter conversaretur.

Objic. III. Celebres Ecclesiæ olim man- 8
daverant, ut quod post sumptionem Fidelium præsentium supererat, a Clericis vel Pueris innocentibus consumeretur, vel etiam combureretur: ergo existimarunt, Eucharistiam asservari non posse.

Resp. Illas Ecclesias statuisse, ut Reliquias, quæ fuissent nimiæ, atque adeo corruptioni obnoxiæ, in Reverentiam Sacramenti consumerentur, non tamen omnes: sed quasdam fuisse asservatas in usum Ægrotantium, ostendi supra, nec negare audet Calvinus.

Objic. IV. Concilia Cæsaraugusta- 9
num, & Toletanum Sæcul. IV. & V. prohibuere, ne Eucharistia privatorum Manibus tradatur Domum asportanda. *Ergo* &c.

Resp. Id factum fuisse propter Priscillianistas, qui cum Catholicis ad Eucharistiam accedebant, ac deinceps eam secum asportatam horrenda Impietate profanabant.

Ob-

10 Objic. V. Cardinales Humbertus Sæcul. IX. Græcis exprobrat, quod Euchariſtiam aſſervarent. *Ergo* &c.

Resp. Ibi ſermonem eſſe de Miſſis *ſiccis*, ſeu, *præſanctificatis*, ubi Græci per Quadrageſimam Euchariſtiam, Dominica aut Sabbato præconſecratam, ſine nova Conſecratione Sanguinis ſumere, adeoque Miſſas imperfectas celebrare ſolebant, quem abuſum Cardinalis reprehendit. Denique dum ait Origenes, & poſt eum Gabriel Biel, Christum non inſtituiſſe Euchariſtiam, ut *aſſervetur*, ſed ut *ſumatur*; intelligi debet de prima Inſtitutione, non autem etiam de ſubſequenti tempore: vel quod finis primarius & unicus non ſit, aſſervatio & adoratio Euchariſtiæ: ſed primarius ſit ejus ſumptio, ad refectionem Animæ, Gratiæ augmentum, & futuræ Gloriæ Pignus.

11 Resolutio III. Rationem Sacramenti Euchariſtiæ nec conſtituit 1. conſecratio, nec 2. ſumptio. 3. nec utraque ſimul. 4. nec ſolæ Species ſeorſim ſumptæ. 5. nec Corpus & Sanguis Christi *per ſe* ac Ratione ſui. 6. ſed Sacramentum Euchariſtiæ eſt totum illud quaſi aggregatum ex Corpore & Sanguine Domini, ſub ſpeciebus Panis & Vini poſito.

Prob. I. Pars. Illud non conſtituit Rationem Euchariſtiæ, quod *per ſe* non confert Gratiam. Atqui *Conſecratio* per ſe non con-

confert Gratiam, ſed ſolum CHRISTUM ſiſtit præſentem. *Ergo* &c. *Maj.* patet; quia Sacramentum debet in uſu non tantum *ſignificare*, ſed etiam actu *conferre* Gratiam. *Min.* etiam certa eſt.

PROB. II. Pars. Actio, quæ proprie habet Rationem Sacramenti, debet eſſe Actio *Miniſtri;* atqui ſumptio, non eſt Actio Miniſtri, ſed Subjecti. *Ergo* &c. 2. Sacramentum eſt cauſa gratiæ ſanctificantis: atqui non ſumptio, ſed Corpus Chriſti eſt cauſa gratiæ ſanctificantis. *Ergo* &c. 3. Illud non conſtituit Rationem Sacramenti, quod Sacramentum jam prius exiſtere ſupponit: atqui ſumptio ſupponit, Sacramentum jam prius exiſtere. *Ergo* &c. 12

PROB. III. Pars. Si enim nec Conſecratio, nec ſumptio habet rationem Sacramenti: Ergo nec utraque ſimul. 13

PROB. IV. Pars. Sacramentum debet eſſe cauſa Gratiæ, & Animæ Cibus: atqui Species ſolæ, & Ratione ſui, non ſunt cauſa Gratiæ, nec Animæ Cibus: ergo &c. adde, quod Species Ratione ſui, & *immediate*, non poſſint adorari: Sacramentum autem Euchariſtiæ adorandum eſt. *Ergo* &c. 14

PROB. V. Pars. Sacramentum debet eſſe *ſenſibile.* Atqui Corpus & Sanguis CHRISTI, Ratione ſui, & ſeorſim, non eſt 15

ſen-

ſenſibile; cum, prout eſt in Euchariſtia, ſub ſenſus non cadit, niſi Ratione Specierum. *Ergo* &c.

16 Prob. VI. Pars. Corpus & Sanguis Domini cum ſpeciebus Panis & Vini, eſt Signum ſenſibile, collativum gratiæ: ergo hoc totum habet omnes conditiones ad Rationem Sacramenti requiſitas. Hinc dicit Augustinus, ſeu potius Lanfrancus apud Gratian. can. XLVIII. Diſt. II. de Conſecr. „ Hoc eſt, quod dicimus, hoc modis om„ nibus approbare contendimus, Sacrifi„ cium ſcilicet Eccleſiæ duobus conſtare, „ viſibili elementorum Specie, & inviſibi„ li D. N. J. Chriſti Carne & Sanguine; „ Sacramento, & Re Sacramenti, id eſt, „ Corpore Chriſti, ſicut Perſona Chriſti „ conſtat & conficitur Deo & homine. „ Hinc quoque colligitur Sacramenti hujus Definitio, quod ſit *verum novæ Legis Sacramentum, continens realiter Corpus & Sanguinem Chriſti ſub Speciebus Panis & Vini ad ſpiritualem fidelium Refectionem.*

17 Objic. I. Reliqua Sacramenta conſiſtunt in Actionibus, cui applicatur Forma: ergo etiam hic. Atqui Conſecratio, eſt illa Actio, cui applicetur Forma. Ergo.

Resp. Nego *Conſeq.* Diſparitas eſt; quia hoc eſt *permanens*, cetera *tranſeuntia*, hocque ideo; quia in aliis poſt Actionem tranſitoriam nihil remanet, quod eſſet Signum

gnum & Causa Gratiæ: econtra in Eucharistia post peractam Consecrationem, remanet CHRISTUS sub speciebus visibilibus.

OBJIC. II. In ceteris Sacramentis dum Forma profertur, confertur Gratia: ergo etiam in Eucharistia. 18

RESP. Nego *Cons.* Nam ceteræ Formæ diriguntur ad Hominem: te baptizo: te absolvo: Signo te &c. ut illa actione sanctificentur: contra Eucharistiæ Forma tendit ad Conversionem Elementorum in Corpus CHRISTI, quæ postquam conversa fuerint, sistunt CHRISTUM præsentem, qui sumtus a Fidelibus, Gratiam in sui Usu confert.

OBJIC. III. Si non confertur Gratia in prolatione Formæ Consecrationis; tunc verba reliquorum Sacramentorum habent majorem Vim & Efficaciam, quam hæc, quod esset contra Excellentiam hujus Sacramenti. 19

RESP. Nego *Maj.* Majus est enim, ipsum CHRISTUM, ceu Gratiæ Fontem, sistere præsentem, quam solam producere Gratiam: quod præstant reliqua Sacramenta.

OBJIC. IV. In illa Actione consistit Sacramentum, in qua Gratia confertur. Atqui hæc confertur in sumptione. Ergo hæc constituit rationem Sacramenti. 20

RESP. *Disting.* *In* qua, & *qua* Actione confertur gratia. *Conc.* *in* qua, sed non

qua.

qua. Nego. *In* ſumptione quidem, ſed non *ſumptione* confertur gratia; hæc enim confertur in Corpore Chriſti: adeoque ſumptio, non eſt *Cauſa* gratiæ: ſed *Modus*, gratiam a CHRISTO conſequendi: Ablutio autem, Abſolutio, Unctio &c. ſunt Cauſa Gratiæ productiva.

21 OBJIC. V. Quod habet Rationem *Signi ſenſibilis* gratiæ, conſtituit Sacramentum; atqui ſolæ Species habent Rationem *Signi*. Ergo &c.

RESP. *Diſt. Maj.* Quod habet Rationem Signi tantum *ſpeculativi*. Nego. *Efficacis* & *practici*. *Conc.* Species tantum *ſignificant*, non autem *conferunt* Gratiam, ſed Solus CHRISTUS ſub ſpecie ſumptus.

22 OBJIC. VI. Sacramentum Euchariſtiæ dicitur *adorandum;* atqui non poteſt adorari niſi Corpus Chriſti. Ergo hoc ſolum eſt Sacramentum.

RESP. *Diſt.* Eſt adorandum, quoad partem ſui præcipuam. *Conc.* quaſi ſolum Corpus Chriſti habeat rationem Sacramenti. Nego.

23 OBJIC. VII. In Profeſſione Fidei dicitur: „ Fateor, ſub altera tantum ſpecie „ totum atque integrum CHRISTUM, verumque Sacramentum ſumi. „ Ergo ſolum Corpus CHRISTI eſt totum Sacramentum; ſi enim etiam Species eo pertinerent,

rent, non posset dici, *Sacramentum esse sub speciebus.*

Resp. Sensus est contra Calvinianos, ad Integritatem Sacramenti non requiri utramque speciem; cum totus Christus, atque adeo integrum Sacramentum, sub alterutra specie accipiatur. Ceterum hæc nihil ad Scholæ controversiam definiendam faciunt.

§. II.

De Institutione Eucharistiæ.

Communis est Fidelium, atque ipsius adeo Ecclesiæ persuasio, Christum *pridie* quam patere tur, post celebratum cum Judæis Agnum Paschalem, eadem die instituisse sui Corporis & Sanguinis Sacramentum, seu, novum Pascha, Figuræ Terminum, sequente mox die in Cruce immolandum. Sic enim Ecclesia canit: „ Noctis recolitur „ cœna novissima, qua Christus creditur „ Agnum & Azyma dedisse fratribus juxta legitima priscis indulta patribus. Post „ Agnum Typicum expletis Epulis, Corpus Dominicum datum discipulis &c. „ idque ex tribus Evangelistis facile probatur. At quoniam S. Joannes ait, Christum Eucharistiam celebrasse *ante Diem festum Paschæ*; hinc ad concordandos Evangelistas varia ab Authoribus excogitata fuerunt Systemata. Cum ergo certum sit ex Lib. Exodi XII. Pascha in Ægypto, ac dein- 24

ceps à Judæis celebrari debuiſſe Luna XIV. ſeu, Plenilunio Menſis *Niſan*, qui reſpondet noſtro *Martio*; hinc aliqui fingunt, in primis Veſperis diei XIV. adeoque die XIII. Paſcha Judæos celebraſſe. Alii comminiſcuntur duplicem Neomeniam: Alii ajunt, CHRISTUM Paſcha illo anno anticipaſſe, aut legale omnino non obſervaſſe: Alii contendunt, Judæos ob concurſum duplicis feſti Paſcha in Diem ſequentem diſtuliſſe. Per aliquot Reſolutiones res planior evadet.

25 RESOLUTIO I. Paſcha Judaicum ex Præſcripto Legis immolandum erat Menſe *Niſan* ſeu, *Martio*, qui erat Initium anni Judaici, Luna XIV*ta* exeunte, ſeu in Veſpera II*da* diei XIV*tæ*, quæ erat Initium XV*tæ* tanquam primæ Azymorum.

PROB. I. Exodi XII. 2. ita præcipitur: „ Menſis iſte, vobis principium Menſium, „ primus erit in menſibus anni. Loquimi„ ni ad univerſum cœtum filiorum Iſrael, „ & dicite eis. Decima die Menſis hujus „ tollat unusquisque Agnum per domos „ & familias ſuas, & ſervabitis eum usque „ ad quartam decimam menſis hujus: im„ molabitque eum univerſa multitudo Iſrael „ *ad Veſperam*. . . . Primo Menſe, IVta „ decima die Menſis ad Veſperam come„ detis Azyma usque ad diem XXI. ejus„ dem Menſis ad Veſperam. „ Hebræus Textus, Verſio Samaritana, Syriaca & Arabica legunt, *inter duas Veſperas*, id eſt, Ve-

Veſpere Diei XIVtæ exeuntis, & XVtæ ineuntis.

Prob. II. In Deuteron. XVI. 6. præ- 26
ſcribitur: *Immolabis Phaſe Veſpere ad Solis occaſum, quando egreſſus es de Ægypto.* Atqui Judæi egreſſi ſunt de Ægypto die XV*ta*, ut legitur Num. XXXIII. 3. *Profecti ſunt de Rameſſe Menſe primo, quinta decima die Menſis primi, altera die Phaſe.* Ergo Veſpera Immolationis fuit Lunæ XIV deſinentis, non inchoantis.

Prob. III. Paſcha immolabatur prima 27
Veſpera primæ diei Azymorum, quia Judæorum feſta computabantur a Veſpera in Veſperam Levit. XXIII. 1. Atqui prima dies Azymorum erat XV*ta* Lev. cap. cit. verſu 5. & 6. *Menſe primo quarta die Menſis ad Veſperam Phaſe Domini eſt, & quinta decima die hujus ſolennitas Azymorum Domini eſt.*

Objic. Non eſt vero ſimile, quod in- 28
ter *Phaſe*, ſeu, Immolationem Agni, & Exitum Judæorum de Ægypto, unica ſolum interceſſerit Nox; nam debebant in illo Temporis Intervallo Hebræi habitantes in Geſſen Regione inferioris Ægypti, vaſa aurea & argentea, veſtimenta &c. commodanda rogare ab Ægyptiis, qui ab ipſis habitabant ſejuncti; tunc debebant congregari ad mactandum Agnum, dein di-

ſtribui per familiam, Agnum coctum & aſſum comedere. Progreſſu Noctis percutiebantur ab Angelo Primogenita Ægyptiorum; quorum clamore, & morte primogeniti ſui filii commotus Pharao Moyſen & Aaron ad ſe accerſit in Regiam *Memphim*, ſitam ad occiduam Nili Ripam: permiſit Hebræis Exitum; quo pacto rediit Moyſes ad ſuos, convaſare jubet, omnemque Populum congregatum de *Rameſſe* duxit die XVta Menſis *Niſan*, quæ eſt prima Azymorum. Atqui hæc omnia intra unicam Noctem fieri potuiſſe, vix eſt vero ſimile. Ergo nec Luna XIVta exeunte, ſed ineunte, primum, & ſequentia Phaſe ab Hebræis celebrata fuere.

RESP. Omnia iſta fieri potuiſſe. Pharaonis enim Aula eo tempore non fuit amplius *Memphi*, ſed *Taphnis*, ſeu *Tani*, quæ eſt in inferiore Ægypto ad oſtium Nili; ibidem enim in conſpectu Pharaonis mira patravit MOYSES Pſalm. LXXVII. 12. 43. *Fecit mirabilia in Campo Taneos.* Judæi jam antea ab Ægyptiis petierant vaſa pretioſa. Manducantes Paſcha, jam erant accincti & ad Iter parati, habentes baculos in manibus ex præcepto. Unde MOYSES, a PHARAONE redux, facile potuit congregare Populum, & educere ex Ægypto die XVta Niſan. Ipſi Ægyptii, urgebant exire Populum.

RE-

Resolutio II. Tempore Christi non 29
erat in Uſu duplex Neomenia, ſeu Novilunium; altera a Phaſe Lunæ, hoc eſt, a Lunæ primo in terris conſpectu, altera a congreſſu Planetarum, ſeu conjunctione Lunæ cum Sole, deducta: nec Uſus erat duplicis Calculi Aſtronomici; quorum alterum Judæi Hieroſolymitani, alterum Christus cum Galilæis obſervarit.

Prob. I. Nullum eſt hujus Diſtinctionis in S. Scriptura Fundamentum. Præceptum celebrandi Paſcha, ad omnes univerſaliter erat directum: ſecus ſequeretur, quod etiam Dies Azymorum diverſimode fuiſſent computati a Galilæis, & Hieroſolymitanis, conſequenter etiam Oblatio Manipuli Spicarum Hieroſolymis non *ſecunda*. ſed *tertia* die Azymorum facta fuiſſet contra Levit. XXIII. 9. Sequeretur inſuper, Judæos exteros, qui omnes paſchali Tempore conveniebant Jeroſolymam, manducaturi Agnum apud Cives, illum manducaſſe nondum ſublato e domibus Jeroſolymitanorum Fermento contra Præceptum Exodi XII. 15.

Prob. II. Neomenia non fuit pro libitu 30
a quolibet ſtatuta, ſed indicta a Rectoribus Synagogæ, uti hodie Authoritate Eccleſiæ indicitur Paſcha; e Pinna Templi Tuba cornea indicebatur Azymorum Initium. Pſal. LXXX. *Buccinate in Neomenia tuba.*

31 Prob. III. Constat ex Philone Lib. de Septenario, Neomeniam apud Hebræos dici, *quando incipit Sol splendore visibili Lunam illustrare, ipsa vero proprium Decus patefacit spectantibus.* Et ex Authore antiquissimo apud Clementem Alexandrinum Stromat. Lib. VI. *Nisi apparuerit Luna, Judæi Sabbatum non celebrant, primum dictum, nec Neomeniam.*

32 Objic. P. Gelasius Hieber. Imperceptibile est, quod ad Vesperam unius diei a Sacerdotibus, & quidem in Templo, probari primum, dein mactari potuerint tot Agni paschales, ab innumera multitudine Hominum tam exterorum, quam Incolarum offerendi.

Resp. Nego, hoc imperceptibile esse. Supponam enim, universim tam incolarum, quam Advenarum manducantium Pascha, fuisse vicies septies centena millia, seu duo milliones, & septies centena millia, ut sub Cestio contigisse narrat Josephus Lib. VI. de Bello Judaico cap. IX. N. 3. Cumque non minus decem, nec plus viginti Epulatores convenire potuerint ad Agnum, ut Josephus cit. testatur, sumamus Numerum medium, nempe convenisse ubique Homines 15. tunc mactanda fuerant 180000. centum octoginta Agnorum millia, quod utique a Sacerdotibus, maximo Numero paratis, per dimidiam fere Diem, fieri potuisse, non est imperceptibile. Constat enim,

enim, Sacerdotes a Davide I. Paralip. XXIV. in Familias & Vices 24. fuiſſe diviſos, quæ etiam usque ad Templi Everſionem, per Romanos factam, remanebant impermixtæ, & in immenſum ſeſe auxerant. Si autem ponam, quod Sacerdos quisque 200. Agnos mactaverit; tunc pro illorum Oblatione, ſi, ut ſupra numerati ſunt, ſupponantur 180000. Agni, ſufficere poterant Sacerdotes 900. longe autem fuiſſe majorem eorum Numerum, facile ſibi quisque perſuadebit. Quod attinet Agnorum *probationem*; hæc poterat diebus præcedentibus commode fieri. Advertit inſuper CALMET in Lexico Bibl. V. *Paſcha*, ab hora II. usque ad VI. Veſp. immolatos fuiſſe Agnos: Privati deducebant Victimam ad Templum, immolabantque: tunc porrigebant Sanguinem Sacerdotibus ad Baſin Altaris effundendam. Privatus enim quisque, vel ſaltem Levita, ea occaſione permiſſus erat mactare Victimam: Sacerdotibus hoc unum reſervatum erat, ut Sanguinem effunderent ad Baſin Altaris. Teſtatur quoque PHILO Lib. III. de Vita MOYSIS, Levitam quemque, ſicut Laicum Judæum, Sacerdotale Munus præſtare potuiſſe, nimirum quoad Agnum Paſchalem. Atque ita tota corruit Ratio R. P. Gelaſii HIEBER, Viri alioquin eruditiſſimi.

RESOLUTIO III. Chriſtus legale Paſcha 33
manducavit cum Diſcipulis, pridie quam pateretur, Luna XIVta exeunte.

PROB. I. Ita legimus Matth. XXVI. 17. *Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad JEsum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha. At JEsus dixit. Ite in civitatem ad quemdam & dicite ei: Magister dicit: tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli, sicut constituerat illis JEsus, & paraverunt Pascha. Vespere autem facto discumbebat cum 12. discipulis suis.* Vid. etiam Marc. XIV. & Luc. XXII. Prima autem dies Azymorum inchoabat a Vespera IIda Diei XIVtæ atque hic etiam est Ecclesiæ sensus. Ut enim ait TRIDENTINA Synodus Sess. XXII. cap. I. „ Nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam „ exitus de Ægypto multitudo filiorum „ Israel celebrabat, novum instituit Pascha. „ Legantur etiam Hymni in Festo Corporis Christi, & Sequentia Missæ.

34 PROB. II. Nisi Ecclesia hujus semper mentis fuisset; debuisset contrarium declarare occasione Hæreticorum *quartodecimanorum*, qui Pascha cum Judæis celebrabant Luna XIVta in quamcunque Hebdomadæ Diem incideret; eoquod ex Traditione Apostolorum noverant, CHRISTUM eadem cum Judæis die illud celebrasse. Atqui si Ecclesia existimasset, CHRISTUM anno emortuali non celebrasse Pascha legale; facile *Quartodecimanis* negasset suppositum: quod factum fuisse nullibi legitur.

PROB.

Prob. III. Hæc eſt communis SS. Patrum Sententia, ut Chrysostomi, Hom. LXXXI. in Matth. Hieronymi in Matth. XXVI. Vid. etiam can. LXXXVIII. Diſt. 2. de Conſecrat. contraria autem Hypotheſis, ab Ebionæis & Marcionitis excogitata, & a nonnullis recentioribus recocta, peſſime ſemper in Eccleſia audiit. 35

Nonnullorum Patrum Textus, qui nobis objiciuntur, citati a Chronico Alexandrino, non ſunt illorum, quorum dicuntur, Patrum, ut probant Critici periſſimi: Ipſum autem Chronicum, Sæculo VII. ad ſummum fabricatum, tantopere non æſtimatur. 36

Resolutio IV. Christus Paſcha non anticipato, ſed eadem cum Judæis Die celebravit. 37

Prob. I. Chriſtus ſecundum Matthæum Paſcha celebravit Die prima Azymorum ad Veſperam, quæ erat *legalis*, præcedens Diem naturalem XV*tam.* Atqui etiam Judæi eodem Die illud celebrabant, quod teſtantur Marcus XIV. *Primo die Azymorum, quando Paſcha immolabant*, & Lucas XXII. *Venit dies Azymorum, in quo neceſſe erat occidi Paſcha.*

Prob. II. Chriſtus primum & ſecundum Paſcha Tempore ſuæ Prædicationis eodem cum Judæis Die celebravit, Joann. 38

V. I. VI. 4. cur non & ultimum? Secus Pharisæi, Dicta, Factaque omnia CHRISTI observantes, illum haud dubie tanquam transgressorem Legis Mosaicæ accusassent, si eum non præscripto Legis tempore Pascha celebrasse vidissent.

39 RESOLUTIO V. Nullus Judæorum Anno Passionis Christi Pascha in diem sequentem distulit, sed omnes XIVta juxta Præscriptum Legis illud celebrarunt.

Hæc Resolutio illis opponitur, qui dicunt, propter concurrentiam duorum Festorum, ut contigit illo anno, Pascha ex Traditione in diem sequentem transferri debuisse: Est contra alios, qui statuunt, CHRISTUM, & saniores Judæos Tempore ordinario, Pharisæos autem die sequente celebrasse. Denique contra eos, qui ajunt, Sacerdotes & Scribas, utpote Mortis Christi participes, atque immundos, Pascha transtulisse in alteram diem.

40 PROB. I. Illa Regula, ut Festum Paschæ incidens in Parasceven, prout contigit Anno Mortis Christi, transferatur ad proximum Sabbatum, primum post CHRISTI Tempora a Rabbinis fuit excogitata.

41 PROB. II. Si eo anno transferri debuisset Festum Paschæ; tunc ideo, quia altera die Sabbati, seu, Hebdomadis, incipiendo a Parasceve, sicque in Sabbato, debebant

bant Judæi metere Manipulos primorum frugum Levit. XXIII.; quod cum eo anno incideret in Sabbatum, non videbatur licitum. Atqui hæc Ratio non obstat; nam Messis Manipulorum, qui debebant elevari coram Domino, id est, offerri, non erat opus servile, sed potius Actus Religionis, pertinens ad Sacrificium, Festo die non interdictus.

Prob. III. Etiamsi sit Sententia particularis S. Chrysostomi hom. LXXXVI. in Matth. ,, Audacissimos illos homines, & 42
,, mille transgredientes Legis præcepta,
,, quoniam Ira inflammati erant, & sæpe
,, conati JEsum capere nihil facere potuerant, ex insperato nactos, quod cupiebant; tempus Paschæ transposuisse; ,,
id tamen non subvertit nostram Sententiam; quoniam contradicunt Patres alii, Ecclesia & ipse Chrysostomus hom. LXXXIV. scribit: *Et immiserunt in eum manus ac tenuerunt illum ipsa nocte, in qua comederunt Pascha.* Dein, ut ex Drusio observat Cl. P. Berti, moris erat apud Judæos, ut insignes malefactores, cujusmodi Christum reputabant Judæi, in ipso solenni Festo extremo Supplicio impune afficerent. Insuper ex Joann. XVIII. colligitur, etiam Judæos reliquos, & summos Sacerdotes, jam inchoasse Solennitatem Paschalem; quia dicenti Pilato: *accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum,* responderunt: *no-*

nobis non licet occidere quemquam, nimirum hoc tempore Paſchali; non vero, ut aliqui volunt: *nobis non licet abſolute*, quaſi jam illo tempore Hebræi amiſiſſent Jus gladii. Conſtat enim, eos lapidaſſe STEPHANUM, nulla petita Facultate a Præſide Romano. Sed & dato, illos Imperio ac Jure Vitæ & Necis jam tunc fuiſſe orbatos; illud tamen exercere potuiſſent, Poteſtate ipſis a PILATO delegata. Et tamen reſponderunt: *Nobis non licet*, nempe, ob inchoatam Feſtivitatem. Ita AUGUSTINUS tract. CXIV. in Joann. „ Intelligendum „ eſt, eos dixiſſe, non ſibi licere interfi- „ cere quemquam, propter Diei feſti San- „ ctitatem, quam celebrare jam cœperunt. „ Sed & antequam Judas e Cœnaculo abiens nuntiaverat occaſionem capiendi Chriſtum, jam potuerant Paſcha celebraſſe, vel illud adhuc complere, donec ad eos duceretur Chriſtus. Ergo nihil obſtat, quo minus etiam Sacerdotes celebraverint.

43 OBJIC. I. In tradito hactenus Syſtemate ſequeretur, Chriſtum fuiſſe crucifixum in ipſo Paſchali Feſto, quod tunc incidit in feriam VItam. Atqui hoc repugnat Evangel. Matth. XXVI. 5. ubi Sacerdotes ineuntes conſilium de JEſu interficiendo dixerunt: *Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo.* Ergo non fuit crucifixus ipſo Feſto, conſequenter Die præcedente Jovis. Ergo feria quarta celebravit Chri-

ſtus

ſtus ultimam Cœnam, ubi Fermentum adhuc erat in Domibus Judæorum, atque adeo celebravit in Fermento.

Resp. cum Chrysostomo hom. LXXX. in Matth. „ Conſidera valide ipſos timere, non Deum, neque ne majus ſcelus eſ„ ſet in ipſa Paſchæ celebratione tam te„ trum facinus facere, ſed homines & tu„ multum. Ira tamen inflammati, poſt„ quam proditorem invenerunt, commu„ tati exſpectare non poterant, ſed in ipſa „ ſolennitate illum occiderunt. „ Obſervat etiam Theophilactus in Matth. Chriſtum paſſum fuiſſe, *non quando voluerunt Judæi, ſed quando voluit ipſe.*

Objic. II. Joann. XIII. Christus ultimam inſtituit Cœnam *ante Diem feſtum Paſchæ*, & quidem etiam legalem; nam cum Christus ad Judam diçeret, *quod facis, fac citius.* Exiſtimabant Apoſtoli, quod dixiſſet ei Jesus, *eme, quæ neceſſaria ſunt ad Diem feſtum.* Ergo tunc nequidem inchoata fuerat Feſtivitas paſchalis, etiam in computatione legali. 44

Resp. *Diſt.* Ante Diem *naturalem* Feſti. *Conc.* ante Diem legalem. Nego. Dies naturalis erat XV*ta.* atvero hujus Veſpera prima *legalis*, erat die XIV*ta* exeunte. Vel per To *ante Diem feſtum,* idem intelligendum eſt, ac *Profeſtum*, ſeu, ipſa Vigilia, & prima Veſpera Feſti. Alter Textus: *eme quæ ſunt neceſſaria ad Diem feſtum*, non denotat

tat Festivitatem paschalem, sed *Hhagigam* Paschalem, nempe Victimas Ovium & Boum, quæ die proxime sequente Manducationem Agni mactabantur: illæ autem Hostiæ etiam vocabantur Pascha. Nam Deut. XVI. præcipitur: *Immolabis Phase Domino Deo tuo de ovibus & de bobus.* II. Paralip. XXXV. 9. *Dederunt ceteris Levitis ad celebrandum Phase quinque millia pecorum & boves quingentos*; cum tamen in paschali Die tantum *Agnus anniculus* fuerat immolandus. Dein Act. XII. omnes Dies Azymorum vocantur *Pascha.* Existimabant igitur Apostoli, Judam fuisse missum ad emendas Victimas, sequente die XVta offerendas. Licitum quippe erat diebus Azymorum facere ea, quæ ad vescendum pertinent, Exod. XII. 16. & multo magis quæ pertinebant ad Sacrificium.

45 Objic. III. Joann: XVIII. 28. *Ipsi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Ergo Judæi meridiano tempore feriæ VI*tæ* nondum manducaverant Agnum Paschalem, consequenter ad Vesperam feriæ VI*tæ* inchoabatur Solennitas.

Resp. Per *Pascha* intelligi posse Victimas paschales ex Num. præc. non ipsum Agnum Paschalem. Dein Dies XIV*ta* Nisan ita fuit a Deo ordinata, ut tamen aliquis, si forte eo Die fuisset immundus, aut in Itinere constitutus, potuerit illud

cele-

celebrare Menſe ſequente eadem die XIV*ta* ex Num. IX. 10. adeoque Immunditia hæc illis non obſtitiſſet.

Objic. IV. In hoc Syſtemate Chriſtus 46
fuit crucifixus feria VIta, quæ eo anno fuiſſet dies XVta Menſis Niſan, & paſchalis Feſtivitas: at hæc non cohæret Evang. Joann. XIX. 14. ubi Dies Crucifixionis vocatur *Paraſceve Paſchæ*, hoc eſt, Præparatio ad Paſcha, non vero *Paraſceve Sabbati.* Ergo ad Veſperam Paraſceves inchoabat paſchalis Feſtivitas legaliter computata.

2. Ibidem Verſu 31. narratur, Judæos 47
rogaſſe Pilatum, ut frangerentur Crura crucifixorum, & tollerentur de Cruce corpora, ne remanerent in Patibulo Sabbato; erat enim *magnus ille dies Sabbati.* Cur autem *magnus*? niſi, quia paſchalis Solennitas in Sabbatum, per ſe feſtivum, celebranda incidebat? Ergo Dies Paſchæ non fuit feria VI*ta*, ſed Sabbatum.

Resp. ad I. Conſtat ex Marci XV. 42. fuiſſe *Paraſceven Sabbati*; ait enim: *Erat Paraſceve, quod eſt ante Sabbatum.* Fuit ergo feria VI*ta*: vocatur autem a Joanne *Paraſceve Paſchæ*, quia & erat feria VI*ta*, ſeu *Paraſceve*, & præparatio ordinaria ad Sabbatum, & ſimul dies Paſchæ; ſicut dicimus hodie, *Dominicam Paſchæ*, quia eſt Dominica, & Paſcha ſimul. Quamvis ceteroquin *Paraſceve* dicatur a præparatione

Ci-

Ciborum, quos Judæi parabant ante Sabbatum, quo ipsis coquere erat prohibitum; non erat tamen aliqua Præparatio necessaria ad Pascha; quia quæ ad vescendum pertinent, licite operari poterant ipsis Diebus Azymorum. Exod. XII. 16. itaque Parasceve denotat feriam VI*tam*, sicut Sabbatum VIItam.

Ad 2. *Magna Dies Sabbati* vocabatur, non quod in eam Pascha incideret; sed quia in illa simul occurrebat secunda Dies Azymorum, in qua debebant offerri Hostiæ pacificorum, nempe Manipuli primarum Frugum Levit. XXIII. 11. Dies autem festi, ubi Populus cum Holocaustis comparere debebat coram Domino vocabantur *Magni.* vid. Joann. VII. 7.

48 Objic. V. Juxta Historiam Evangelicam plura contigerunt die Mortis Christi, quæ si Paschalis fuisset, & prima Azymorum celeberrima atque antiquissima, fieri non poterant: ergo &c. *Ant. prob.* Christus captus est armata manu: conspirabant Sacerdotes in Christi Mortem. Apellatio fit ad Tribunal Romani Præsidis: Accusatio non una; petita Condemnatio, Exsecutio supremi supplicii; Sepultura crucifixorum, coemptio Sindonis & Aromatum &c. Atqui hæc in tanta Festivitate erant prohibita. Ergo.

Resp. *Conc.* multas a Sacerdotibus, ceterisque Judæis, commissas eo die fuisse

Trans-

Tranſgreſſiones, quæ leves & nullius Momenti videri poterant iis, quibus Deicidium nullum crimen videbatur. Conſtat autem, Judæos ſæpius in magnis etiam Feſtivitatibus CHRISTO mortem fuiſſe machinatos, ut in Feſto Encæniorum Joann. X. 31. & quidem in ipſa Porticu Salomonis. In Feſto Tabernaculorum Joann. VIII. v. 59. Imo altera Die, *quæ eſt poſt Paraſceven*, conſequenter juxta Adverſarios, ipſo Sabbato & paſchali Feſto, convenerunt Principes Sacerdotum & Phariſæi ad Pilatum petentes, ut poneret Milites ad cuſtodiendum Sepulchrum, acceptaque facultate, poſuerunt ipſimet cuſtodes, munierunt Sepulchrum, ſignantes lapidem Matth. XXVII. v. 62. An hæc apud Adverſarios nulla eſt Tranſgreſſio Legis? 2. Pleraſque ſupra narratas Functiones, Judæi non per ſe, ſed per Milites Romanos, Legi Moſaicæ non ſubditos, exſequebantur, ut ſic a Tranſgreſſione Legis viderentur immunes. 3. Obſervatum fuit ſupra, licitum fuiſſe Judæis, Reos inſignes in ipſa Feſtivitate punire, ſepelire cadavera, quod & TOBIAM feciſſe conſtat cap. II. 4. Vid. etiam Deuteron. XXI. 23.

OBJIC. VI. Si Chriſtus feria V*ta* cele- 49
bravit Paſcha, & feria VI*ta* crucifixus; tunc ſequitur, quod anno emortuali Chriſti Pentecoſte inciderit in Diem Sabbati. Atqui hoc eſt contra Traditionem Eccleſiæ, quæ

conſtanter tenet, Spiritum S. Die Pentecoſtes, & quidem Dominica, in Apoſtolos deſcendiſſe. *Ergo* &c. Sequela *maj. prob.* Dies Pentecoſtes, quo offerendum erat Sacrificium novum, celebrari debebat poſt Dies quinquaginta, numeratos a die II. Azymorum, quæ erat XVIta Niſan: ſic enim præſcribitur Levit. XXIII. 15. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtuliſtis Manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt, quinquaginta dies, & ſic offeretis Sacrificium novum Domino.* Quod explicat JOSEPHUS Lib. III. Antiqu. Judaic. cap. X. *Secunda vero Azymorum die, eſt autem illa XVI.* Inde autem hoc conficitur Argumentum. Juxta noſtrum Syſtema ipſa dies Mortis Chriſti fuit prima Azymorum, XV*ta* Niſan: conſequenter Sabbatum ſequens & XVI*ta* Niſan erat ſecunda Sabbati, ſeu Feſtivitatis Azymorum, a quo numerando ultima & L*ma* dies Pentecoſtes, fuiſſet Sabbatum.

RESP. *Conc. Sequel.* Nego Suppoſitum, Die Sabbati deſcendiſſe Spiritum Sanctum, ſed Die dominica. Patres enim, qui docent, L*ma* Die veniſſe Spiritum S. non numerant L*mum* Diem ab Oblatione Manipuli, ſed a Reſurrectione Domini, quam Die dominica contigiſſe, certum nobis eſt: vid. Serm. I. S. LEONIS M. de Pentecoſte in Breviario, & Serm. III. quod vero in Actis Apoſtolorum dicitur, Spiritum S. veniſſe,

cum

cum complerentur dies Pentecoſtes, intelligendum, poſt completum tempus, adeoque elapſo jam Die Pentecoſtes Judaicæ. Ad hoc Propoſitum belle obſervat P. BERTI, Chriſtum plerasque Figuras V. T. adimpleſſe Die ſequenti. Nam Agnus paſchalis occiſus erat die XIV*ta*: Chriſtus autem XV*ta* Manipulus Primitiarum offerebatur Die XVI*ta*, Chriſtus tanquam *Primitiæ dormientium* I. Corinth. XV. 20. Reſurrexit Die XVII. Sabbatum Chriſtianum, ſeu, Requies hebdomadaria, celebratur Die ſequenti, nempe Dominica. Conſequenter & Spiritus S. Die ſequente Pentecoſten Judaicam miſſus fuit. Hoc jam præſuppoſito Syſtemate ſponte ſua conſequitur, CHRISTUM inſtituiſſe Euchariſtiam in Pane Azymo, utpote omni Fermento jam tunc a Domibus Judæorum ejecto. De quo redibit Sermo Capite III.

CAPUT II.

De Eſſentia Euchariſtiæ.

Quæ ſit Euchariſtiæ Eſſentia, paucis exponit TRIDENTINA Synodus Seſſ. XIII. 50
cap. I. nimirum in hoc Sacramento poſt Panis & Vini Conſecrationem D. N. J. Chriſtum verum Deum atque hominem vere, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri. Itaque hoc capite oſtendenda eſt, 1. realis

ac essentialis CHRISTI in Eucharistia Præsentia sub speciebus Panis & Vini: contra Sacramentarios: 2. hujus Præsentiæ Modus per Transsubstantiationem, contra Lutheranos, Inpanationem, Consubstantiationem, aut Ubiquitatem statuentes.

§. I.

De reali Christi Præsentia in Eucharistiæ Sacramento.

51 Primi omnium Sacramentarii, qui realem CHRISTI in Eucharistia Præsentiam in dubium vocarunt, fuere CAPHARNAITÆ, qui CHRISTUM Joann. VI. de manducatione Carnis suæ differentem audientes, ac crudo sensu intelligentes, scandalizati sunt, dicentes: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Quos inter & JUDAS erat, ac nonnulli alii Christi Discipuli: qui ex illo Tempore Christum deseruere, ut narrat ibidem S. JOANNES. Secuti sunt illos SIMONIS *Magi* Discipuli, DOCETÆ, seu, PHANTASIASTÆ, MANICHÆI, MARCIONITÆ, qui cum contenderent, Christum non verum, sed phantasticum corpus assumpsisse, necessario in Eucharistia non nisi carnem phantasticam agnoscebant. Contra quos agit S. IGNATIUS in Epist. ad Smyrnenses. De MESSALIANIS, & ENTHUSIASTIS testatur THEODORETUS, eos repudiato omni Sacrificio Carnem Christi inutilem cibum pronuntiasse. Sæculo IX. primus omnium

nium

nium Sacramentariorum Errori prælusit JOANNES ERIGENA Scotus, qui Verba Christi de Eucharistia ad metaphoricum Sensum detorsit. Hunc Errorem, cum suo Authore sepultum, resuscitavit Sæcul. XI. BERENGARIUS Archidiaconus Andegavensis, etsi sæpius revocaverit Sententiam., tandemque vere pœnitens obierit. Transiit hæresis ad PETRABRUSIANOS, HENRICIANOS, & ALBIGENSES, tandemque ad WICLEFUM, ZWINGLIUM, & CALVINUM, ceteros Sacramentarios, qui in Eucharistia non Corpus CHRISTI, utpote tantum in Cœlo existens, sed solum Panem, qui Figura sit Corporis Christi, existere docent: ipsumque CHRISTUM non *vere*, *realiter*, & *substantialiter*, sed tantum per Fidem manducari, & ex ipso Corpore Christi virtutem quamdam substantialem in Animam fidelis communicantis, ac Passionem Christi pia mente ac fiducia recolentis diffundi volunt, quemadmodum suos Sol Radios, ac Virtutem in hæc inferiora effundit: atque hoc ipsum CALVINUS ait, esse maximum divinæ Potentiæ Miraculum. Hunc Errorem sequentibus verbis proscripsit TRIDENTINUM Sess. XIII. can. I. „ Si quis negaverit, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, ac substantialiter Corpus & Sanguinem una cum Anima & Divinitate D. N. J. Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit, tantummodo esse in eo, ut in

 „ si-

„ ſigno; vel in Figura, aut in virtute, „ Anathema ſit. „

52 Resolutio. Chriſtus eſt *vere*, *realiter*, ac *ſubſtantialiter* præſens in Euchariſtiæ Sacramento.

Prob. I. ex Verbis Chriſti promittentis ſuam Carnem in Cibum, & Sanguinem in Potum. Joann. VI. v. 51. ſeq. „ Panis „ quem ego dabo, Caro mea eſt pro Mun- „ di vita: Caro mea vere eſt cibus, San- „ guis meus vere eſt potus &c. Qui man- „ ducat hunc panem, vivet in æternum &c. „ Hoc capite agi de Euchariſtia, conſtat ex hoc; quia, cum ſit Sacramentum, fatentibus omnibus præter Socinianos, debet habere annexam promiſſionem Gratiæ. Atqui nulla eſt promiſſa Euchariſtiæ Gratia, niſi hoc capite VI. Joannis: ergo intelligi debet de Euchariſtia.

53 Prob. II. Hæc verba, in Senſu literali ac proprio intellecta, manifeſte declarant realem Præſentiam Chriſti: atqui debent literaliter ac proprie intelligi: ergo probant realem Præſentiam. *Min. prob.* 1. Quando Subjecto tribuitur Prædicatum, ſaltem per Dei omnipotentiam poſſibile, tunc potius de proprio verborum Senſu, quam metaphorico eſt præſumendum; cum ſit Criticorum Regula, locutionem non eſſe cenſendam tropicam, niſi Tropus ſit per ſe ſenſibilis: ut, *Prata rident* &c. *Omnis Ci-*

vitas

vitas venit ad eum: faciam eum columnam in Templo &c.: *Christus est Petra, Leo, Lapis Angularis* &c. Atqui in hac Propositione: *Caro mea vere est cibus. Panis, quem dabo, caro mea est,* Prædicatum Subjecto attributum, est saltem per Dei omnipotentiam possibile, & excessivæ Charitati CHRISTI commensuratum. *Ergo* &c.

Min. prob. 2. Quando Scriptura Subjecto 54
attribuit Prædicatum disparatum, additur tamen particula assecuratoria *vere, amen*; tunc debet in Sensu literali accipi. Sic Matth. XIV. *Vere filius Dei es.* Matth. XXVII. *Vere filius Dei erat iste.* Luc. XXIV. *Surrexit Dominus vere.* Gen. XX. *Vere soror mea est.* Atqui hæc Particula additur in nostra Propositione: *Caro mea* VERE *est Cibus: Amen, Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis.* &c.

Min. prob. 3. Nisi CHRISTUS voluisset 55
suam Propositionem literaliter intelligi; debuisset illos Auditores, qui in Sensu literali & proprio accipiebant, redarguere, & Errorem illis eximere, qui deinceps facile in totam Ecclesiam perpetuo dimanaret. Nam dum alibi usus est CHRISTUS Metaphoris, immediate vel ipsemet, vel Apostoli referentes, adjecerunt explicationem figurati Sensus, Luc. XII. loquens de *Fermento Pharisæorum,* additur, *quod est hypocrisis.* Joann. III. loquens NICODEMO de Regeneratione,

 cum

cum ille ſcandalizaretur, exiſtimans, Hominem debere in Ventrem Matris iterato introire, mox Errorem illius correxit, dicens, ſe loqui de Regeneratione ſpirituali ex Aqua & Spiritu S. in Baptiſmo &c. Joann. IV. dicens Apoſtolis: *Cibum habeo manducare, quem vos neſcitis*, illisque exiſtimantibus, CHRISTUM loqui de Cibo corporali; illico ſe explicavit: *meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me.* Joann. II. *Solvite Templum hoc*: ſubdit Evangeliſta: *hoc autem dicebat de templo corporis ſui*, atque ita etiam aliis in locis. Atqui CHRISTUS non correxit illos Auditores, qui Propoſitionem in Senſu literali accipiebant: ergo voluit literaliter intelligi. *Min. prob.* vel potius illius Suppoſitum, quod Auditores literaliter intellexerint. Niſi Capharnaitæ in Senſu proprio, ac de vera Chriſti carne, illa intellexiſſent Verba; nullam habuiſſent rationem Scandali, ac dicendi: *durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Putabant enim Carnem Chriſti, viſibilem & ſenſibiliter manducandam fore, quemadmodum in cadavere dilaniatur, aut venditur in macello, ut ait AUGUSTINUS tract. XXVII. in Joann. Quis enim ſcandalizari, aut cui durum videri poſſet, ſi quis cum CALVINO dicat: *Panem eſſe figuram Carnis Chriſti per fidem manducandæ?* Jam vero hunc Senſum CHRISTUS non correxit, niſi in eo, quod erat nimis crudum, de manducatione Carnis viſibilis. Imo addit: *hoc*

vos

vos ſcandalizat? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem, ubi erat prius? quaſi diceret: Non poteſtis capere, quomodo poſſitis manducare Carnem meam, dum præſens eſt ſubſtantialiter in Mundo: quomodo ergo capietis idem Myſterium, quando in mea Aſcenſione Carnem ad Cœlum deportavero, & tamen realiter in terram manducandam præbuero? Si voluiſſet tantum per Fidem manducari; nulla fuiſſet Difficultas, Carnem Chriſti, ſive in Terra, ſive in Cœlis exiſtentem, per Fidem apprehendere. Ad Fidem enim nihil facit locorum Diſtantia. Denique in Senſu literali Græca & Latina Eccleſia hæc Verba conſtanter intellexit, ut ex utriusque Fidei Symbolis conſtat.

Nec dicatur: CHRISTUS loc. cit. ſe ipſum explicat, quod non de manducatione *reali*, ac *propria*, ſed *ſpirituali* voluerit intelligi: ait enim: *Spiritus eſt, qui vivificat, Caro non prodeſt quidquam. Verba quæ locutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt.* Ergo &c. 56

RESP. Si huic Textui pertinaciter velint inniti Calviniani; inde quoque evincetur, nihil prodeſſe Incarnationem CHRISTI, aut, veram Carnem ab eo non fuiſſe aſſumptam. Eſt ergo Senſus 1. quod Caro CHRISTI, manducata ſine Fide, & Devotione ſumentis, nihil proſit. 2. quod caro cadaverica, & juxta craſſum Capharnai-

tarum Sensum in frusta concisa, nihil prosit absque Spiritu, seu, Verbo. Voluit ergo dicere CHRISTUS: Effectus, quos ex comestione Corporis mei promisi, non debetis sperare per crudam manducationem corporis inanimati; nam Caro mea sine Spiritu, seu, Verbo, & Anima, non produceret hos Effectus: sed dabo vobis Carnem meam *vivam*, *animatam*: & inde percipietis hos Fructus. *Spiritus est, qui vivificat.* Non dabo Carnem sub Sensus cadentem, sed credendam Fide spirituali. Hinc ait: *Verba quæ locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt.* Non Sensu deprehendetis Carnem, sed Fide supernaturali; non manducabitis carnaliter, sed sacramentaliter sub specie Panis, quamvis Fides doceat, vere meam Carnem esse.

57 PROB. II. ex verbis Institutionis, *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Sanguis meus*, ut referunt Evang. Matth. XXVI. Marcus XIV. Luc. XXII. Paulus I. Cor. XI. His verbis probatur, Christum re ipsa dedisse, quod ante Joann. VI. promiserat. Ergo sicut Promissio debet intelligi de vera Carne, sic etiam Promissionis Executio. 2. Hæ CHRISTI voces insinuant, Eucharistiam vel esse verum Christi Corpus, vel Signum Corporis? non hoc: ergo illud. *Min. prob.* Signa dantur duplicis generis: 1. Naturalia: 2. Arbitraria. Panis, & Vinum in Eucharistia, neque est Signum *natu-*

tu-

turale Corporis Chriſti: neque *arbitrarium*, ſecus debuerat CHRISTUS illos præmonere, quod Panis ſit deinceps futurum Signum ſui Corporis: quod non præſtitit. 3. CHRISTUS in ultima Cœna illis verbis fecit Teſtamentum: atqui Verba Teſtatoris debent eſſe clara, minime ambigua aut figurata, & in Senſu proprio accipi. Peccaret enim contra Regulas Prudentiæ & Charitatis, qui ſtudioſe utendo Metaphora, nec eam explicando, Lites neceſſarias, & nunquam terminandas ſereret inter hæredes & Legatarios de Senſu Teſtamenti perpetuo altercaturos. 4. Denique tota Antiquitas, & Eccleſia utraque Orientis & Occidentis, usque ad tempora JOANNIS Scoti, BERENGARII &c. in Senſu literali verba illa explicavit; Novatoribus ad Metaphoram fugientibus, Fideles omnes ſe oppoſuerunt, ut probat BELLARMINUS, ceterique Theologi Dogmatici, argumento *Præſcriptionis* præcipue uſi. Ergo &c.

OBJIC. I. Verbum, *Eſt*, in Scriptura 58
ſæpius ſumitur pro *ſignificat*, ut Gen. XLVI. *Septem Boves pulcræ, & ſeptem Spicæ plenæ ſeptem ubertatis Anni ſunt.* Daniel. XXI. *Tu es Caput aureum.* I. Corinth. X. *Petra autem erat Chriſtus* &c. Ergo hic To *Eſt*, poterit ſumi pro *ſignificat*: *hic Panis ſignificat Corpus meum*, ſive, *eſt Figura Corporis mei.*

RESP.

Resp. *Dist.* Verbum *est*, sumitur pro To *significat*, quando ex Intentione loquentis statim apparet, Res illas tantum esse Signa alterius, prout fit in locis citatis. *Conc.* Quando id ex Intentione proferentis non potest colligi, prout est in nostro Casu. *Nego.* Quando enim explico Somnium, aut rei cujusdam Imaginem, ac Figuram, v. g. dum ostendo Imaginem Alexandri M., & dico: *hic est Alexander*: audiens mox advertit, me tantum velle dicere: hæc est Imago Alexandri &c. quoniam ex usu & acceptatione, aut saltem præmonitione Res istæ jam sunt Signa Rei determinatæ: econtra dum Christus dixit ostendendo Panem: *hoc est Corpus meum*; non poterat Panis sumi tanquam Figura Corporis Christi; quia Panis neque ex sua Natura, neque ex determinatione hominum significat Corpus & Carnem; neque Auditores erant a Christo præmoniti, se Panem velle dare in *Signum* Corporis sui: bene autem recordari poterant, illum antea in Capharnaum dixisse, se velle Carnem suam in Cibum dare; hinc poterant Fide instructi concludere, Christum promissionem suam actu adimplere, ac sub panis apparentis specie verum suum Corpus tradere.

59 Objic. II. Verba Christi non possunt accipi, ut jacent; in hac enim Propositione: *hoc est corpus meum*, To *hoc*, demonstra-

ſtraret vel Corpus Chriſti, vel Panem, vel Species, vel Subſtantiam quamdam vagam ac indeterminatam? at neutrum; non *Corpus* Chriſti: eſſet enim Propoſitio identica: *Corpus meum, eſt Corpus meum.* Non *Panem*; Panis enim, vere non eſt Corpus Chriſti. Non *Species*; quia nec hæ ſunt Chriſti Corpus. Nec ſubſtantiam quamdam vagam; neque enim hæc Corpus Chriſti eſſe poteſt.

Resp. Nego *ant.* Nam prout Verba Christi jacent, ab Apoſtolis Joann. VI. inſtructis intelligi debebant hoc Senſu: *Hoc, quod erat Panis, & ſenſibus adhuc videtur eſſe Panis, eſt ipſummet Corpus meum*, ſive, *eſt Panis in Corpus meum converſus*: ubi nulla Identitas, nulla contradictio. Sicut, ſi Deus in creatione Adami ex luto, aut Evæ ex coſta, dixiſſet: *hic eſt Adam*: *hæc eſt Eva*: aut in Cana de Aqua mutata in Vinum: *hoc eſt Vinum*, & ita in aliis.

Objic. III. Chriſtus poſt ſuam Aſcen- 60
ſionem nunc eſt in Cœlo ad Dexteram Patris. Ergo non eſt in Euchariſtia. *Ant. prob.* Chriſtus ipſe dicebat Matth. XXVI. 11. *Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non ſemper habetis.* Et Petrus Act. III. 21. *Quem* (Chriſtum) *oportet cælum ſuſcipere usque in tempora reſtitutionis omnium.*

Resp. *Conc. ant. diſt. conſ.* Non eſt in Euchariſtia, eodem modo, quo eſt in Cœlo.

Conc.

Conc. nullo modo. Nego. In Cœlo ſedet glorioſe ad Dexteram Patris in Majeſtate viſibili; in Euchariſtia autem eſt occultatus Speciebus Panis & Vini. PETRUS Actor. III. tantum voluit, CHRISTUM in Forma viſibili, tanquam Viatorem, non fore compariturum poſt ſuum Aſcenſum, usque dum in extremi Judicii die ſit appariturus cum Majeſtate & gloria; & ideo eidem, nunc glorioſo, temporalia Beneficia exhibere non poſſumus, quæ ſibi tamen in Pauperibus vult exhiberi, & tanquam ſibi ipſi præſtita acceptat.

61 OBJIC. IV. Si CHRISTUS in Cœlo, & ſimul in infinitis Hoſtiis eſſet realiter præſens; deberet eſſe replicatus in pluribus locis: atqui *Replicatio* juxta Thomiſtas ne quidem ſupernaturaliter poſſibilis eſt. *Ergo.*

RESP. Nego *Sequel. maj.* Tunc enim juxta Thomiſtas Corpus replicatum dicitur, quando in pluribus locis eſſet *circumſcriptive*, ſeu, ita eſſet unum Corpus in uno loco totum in toto, & Partes in Partibus loci, ut tamen eodem modo eſſet in aliis Locis ad omnes loci Partes extenſum: Corpus autem CHRISTI non eſt circumſcriptive niſi in Cœlo: alibi autem ſacramentaliter, ſeu ſine Extenſione Partium ad locum. Sed de his videantur Thomiſtæ Philoſophi de Loco, & Penetratione tractantes. Hic tantum obſervandum, maximam eſſe hujus Myſterii, eo ipſo quod

My-

Myſterium ſit ſublimiſſimum, Difficultatem. Sed qui Fide inſtructus credit, Deum omnia poſſe; quique credit revelationi de Trinitate Dei unius, Incarnatione, Chriſti Egreſſu ex Utero ſine læſura, ex Sepulchro &c. aliaque Miracula; credere etiam poterit captivando Intellectum in obſequium Fidei, Corpus Chriſti præſens eſſe poſſe pluribus in Locis. Qui ita Fide inſtructus eſt; non interrogabit curioſe cum Capharnaitis: *Quomodo poteſt hic nobis Carnem ſuam dare ad manducandum?* Nam ut ait S. AUGUSTINUS Lib. XXI. de Civitat. Dei cap. V. „ Plura ſunt, de quibus ratio reddi ab homine non poteſt; & tamen ſunt, & ipſi rationi naturæ videntur eſſe contraria. „ Et Epiſt. III. ad Voluſian. diſſerens de Verbo in Utero Virginis carnem aſſumente: „ Hic ſi ratio quæritur; non erit mirabile: ſi exemplum poſcitur; non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti, Potentia eſt facientis. „ Ipſe CALVINUS de ſua Virtute ſubſtantiali ait: „ Quod ergo mens noſtra non comprehendit, concipiat fides, Spiritum vere unire, quæ locis disjuncta ſunt. „ Cum autem eadem Difficultas LUTHERANOS premat, & tamen a CALVINIANIS ut fratres habeantur in Articulis fundamentalibus concordes; ſequitur CALVINIANOS nullam habuiſſe rationem, ut ex capite hujus Difficul-

ficul-

RESP. *Dist.* Verbum *est*, ſumitur pro To *ſignificat*, quando ex Intentione loquentis ſtatim apparet, Res illas tantum eſſe Signa alterius, prout fit in locis citatis. *Conc.* Quando id ex Intentione proferentis non poteſt colligi, prout eſt in noſtro Caſu. *Nego.* Quando enim explico Somnium, aut rei cujusdam Imaginem, ac Figuram, v. g. dum oſtendo Imaginem ALEXANDRI M., & dico: *hic eſt Alexander*: audiens mox advertit, me tantum velle dicere: hæc eſt Imago Alexandri &c. quoniam ex uſu & acceptatione, aut ſaltem præmonitione Res iſtæ jam ſunt Signa Rei determinatæ: econtra dum CHRISTUS dixit oſtendendo Panem: *hoc eſt Corpus meum*; non poterat Panis ſumi tanquam Figura Corporis Chriſti; quia Panis neque ex ſua Natura, neque ex determinatione hominum ſignificat Corpus & Carnem; neque Auditores erant a Chriſto præmoniti, ſe Panem velle dare in *Signum* Corporis ſui: bene autem recordari poterant, illum antea in Capharnaum dixiſſe, ſe velle Carnem ſuam in Cibum dare; hinc poterant Fide inſtructi concludere, CHRISTUM promiſſionem ſuam actu adimplere, ac ſub panis apparentis ſpecie verum ſuum Corpus tradere.

59 OBJIC. II. Verba CHRISTI non poſſunt accipi, ut jacent; in hac enim Propoſitione: *hoc eſt corpus meum*, To *hoc*, demonſtra-

ſtraret vel Corpus Chriſti, vel Panem, vel Species, vel Subſtantiam quamdam vagam ac indeterminatam? at neutrum; non *Corpus* Chriſti: eſſet enim Propoſitio identica: *Corpus meum, eſt Corpus meum.* Non *Panem*; Panis enim, vere non eſt Corpus Chriſti. Non *Species*; quia nec hæ ſunt Chriſti Corpus. Nec ſubſtantiam quamdam vagam; neque enim hæc Corpus Chriſti eſſe poteſt.

Resp. Nego *ant.* Nam prout Verba Christi jacent, ab Apoſtolis Joann. VI. inſtructis intelligi debebant hoc Senſu: *Hoc, quod erat Panis, & ſenſibus adhuc videtur eſſe Panis, eſt ipſummet Corpus meum,* ſive, *eſt Panis in Corpus meum converſus*: ubi nulla Identitas, nulla contradictio. Sicut, ſi Deus in creatione Adami ex luto, aut Evæ ex coſta, dixiſſet: *hic eſt Adam*: *hæc eſt Eva*: aut in Cana de Aqua mutata in Vinum: *hoc eſt Vinum*, & ita in aliis.

Objic. III. Chriſtus poſt ſuam Aſcen- 60
ſionem nunc eſt in Cœlo ad Dexteram Patris. Ergo non eſt in Euchariſtia. *Ant. prob.* Chriſtus ipſe dicebat Matth. XXVI. 11. *Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non ſemper habetis.* Et Petrus Act. III. 21. *Quem* (Chriſtum) *oportet cœlum ſuſcipere usque in tempora reſtitutionis omnium.*

Resp. *Conc. ant. diſt. conſ.* Non eſt in Euchariſtia, eodem modo, quo eſt in Cœlo.

Conc.

Conc. nullo modo. Nego. In Cœlo ſedet glorioſe ad Dexteram Patris in Majeſtate viſibili; in Euchariſtia autem eſt occultatus Speciebus Panis & Vini. PETRUS Actor. III. tantum voluit, CHRISTUM in Forma viſibili, tanquam Viatorem, non fore comparituru post ſuum Aſcenſum, usque dum in extremi Judicii die ſit apparituros cum Majeſtate & gloria; & ideo eidem, nunc glorioſo, temporalia Beneficia exhibere non poſſumus, quæ ſibi tamen in Pauperibus vult exhiberi, & tanquam ſibi ipſi præſtita acceptat.

61 OBJIC. IV. Si CHRISTUS in Cœlo, & ſimul in infinitis Hoſtiis eſſet realiter præſens; deberet eſſe replicatus in pluribus locis: atqui *Replicatio* juxta Thomiſtas ne quidem ſupernaturaliter poſſibilis eſt. *Ergo.*

RESP. Nego *Sequel. maj.* Tunc enim juxta Thomiſtas Corpus replicatum dicitur, quando in pluribus locis eſſet *circumſcriptive*, ſeu, ita eſſet unum Corpus in uno loco totum in toto, & Partes in Partibus loci, ut tamen eodem modo eſſet in aliis Locis ad omnes loci Partes extenſum: Corpus autem CHRISTI non eſt circumſcriptive niſi in Cœlo: alibi autem ſacramentaliter, ſeu ſine Extenſione Partium ad locum. Sed de his videantur Thomiſtæ Philoſophi de Loco, & Penetratione tractantes. Hic tantum obſervandum, maximam eſſe hujus Myſterii, eo ipſo quod My-

Myſterium ſit ſublimiſſimum, Difficultatem. Sed qui Fide inſtructus credit, Deum omnia poſſe; quique credit revelationi de Trinitate Dei unius, Incarnatione, Chriſti Egreſſu ex Utero ſine læſura, ex Sepulchro &c. aliaque Miracula; credere etiam poterit captivando Intellectum in obſequium Fidei, Corpus Chriſti præſens eſſe poſſe pluribus in Locis. Qui ita Fide inſtructus eſt; non interrogabit curioſe cum Capharnaitis: *Quomodo poteſt hic nobis Carnem ſuam dare ad manducandum*? Nam ut ait S. AUGUSTINUS Lib. XXI. de Civitat. Dei cap. V. „ Plura ſunt, de quibus ratio reddi ab homine non poteſt; & tamen ſunt, & ipſi rationi naturæ videntur eſſe contraria. „ Et Epiſt. III. ad Voluſian. diſſerens de Verbo in Utero Virginis carnem aſſumente: „ Hic ſi ratio quæritur; non erit mirabile: ſi exemplum poſcitur; non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti, Potentia eſt facientis. „ Ipſe CALVINUS de ſua Virtute ſubſtantiali ait: „ Quod ergo mens noſtra non comprehendit, concipiat fides, Spiritum vere unire, quæ locis disjuncta ſunt. „ Cum autem eadem Difficultas LUTHERANOS premat, & tamen a CALVINIANIS ut fratres habeantur in Articulis fundamentalibus concordes; ſequitur CALVINIANOS nullam habuiſſe rationem, ut ex capite hujus Difficul-

ficultatis philosophicæ se ab Ecclesia Romana infausto Schismate separarent.

Ad solvendas innumeras Objectiones ex Patrum Textibus ab Adversariis consarcinari solitas, quasdam communes Regulas hic opponere placuit.

62 I. Quamvis post Consecrationem Substantia Panis sit transmutata in Corpus Christi, nec nisi exterior remaneat Panis apparentia, seu, species; Eucharistia ab aliquibus tamen Patribus appellatur *Panis*, *Fractio Panis*, *Sacramentum Panis*, quod vario Sensu accipi potest. 1. Ut non sit Panis quoad Substantiam, hoc tamen maxime vocetur; quia Corpus Christi est spirituale Animæ Alimentum. Ita Author Serm. de Cœna Domini inter opera CYPRIANI: „ Hoc Sacramentum aliquando Carnem & Sanguinem; aliquando Corpus suum; aliquando Panem Christus appellat. Panis dicitur, propter nutrimentum vitæ; Caro & Sanguis, propter veritatem Naturæ: Corpus, propter unitatem Substantiæ. „ 2. Vocatur *Panis supervenien*s, *cælestis*, *supersubstantialis*; quia nobis Deum copulat, quia regit Animæ Substantiam, & vita cœlesti atque æterna nos donat. 3. Dicitur *Panis*, quia retinet *Species* Panis. 4. quia est *figurata* in Pane MELCHISEDECH, Panibus propositionis, & Manna, quod vocatur Panis Angelorum. 5. ad significandam Materiam, ex qua fuit

facta

facta converſio, ut dicatur Panis, qui fuit Panis. Sic Virga Aaron converſa in Colubrum, dicitur devoraſſe virgas Magorum. Exod. VII. 12. nempe colubros, ex virga, ſaltem quoad ſpeciem verſos.

Regula II. Euchariſtia ſæpius appella- 63
tur *Signum*, & *Figura*. 1. quatenus eſt ſignum Gratiæ, ut quodlibet Sacramentum. 2. Ratione ſpecierum, ſicut dicitur veritas Ratione ſubſtantiæ. Ita can. 89. Diſt. II. de Conſecrat. „ Corpus Chriſti quod ſumitur de Altari, figura eſt, dum Panis „ & Vinum extra videtur: veritas autem, „ dum Corpus & Sanguis Chriſti in veritate interius creditur. „ Hinc ait etiam Hugo *a S. Victore*: Tria ſunt in hoc Sacramento, Species viſibiles, Veritas Corporis, quæ ſub viſibili Specie inviſibiliter creditur, & Virtus Gratiæ ſpiritualis, quæ cum Corpore & Sanguine inviſibiliter & ſpiritualiter percipitur. Ideo Species viſibiles vocat Sacramentum veri Corporis & Sanguinis. 3. Corpus Chriſti in Euchariſtia, eſt Signum & Figura ſui ipſius in Cruce pro nobis oblati, aut in Cœlo exiſtentis. Hoc modo explicandus eſt difficilis Textus Tertulliani. 4. Licet exceptis Phantaſiaſtis nullus Patrum negaverit Veritatem Carnis Chriſti incarnati, Tertullianus tamen expreſſe contra illos agens, aliique Patres, vocant Carnem Chriſti *Formam*, *Imaginem*, *Similitudinem*, *Effigiem*,

non negando Subſtantiam. Imo ex eo ipſo, quod dicat PAULUS de CHRISTO: *in ſimilitudinem hominum factus*, probat TERTULLIANUS veritatem Carnis; quia alias ſequeretur, CHRISTUM neque Deum verum eſſe, cum dicatur *Imago & Figura Subſtantiæ Patris.* Si ergo Caro Chriſti incarnati, dicitur Figura & Imago; nec tamen ideo deſinit eſſe vera realis Caro; hinc neque vera Chriſti Caro in Euchariſtia negari poterit, etiamſi Figura dicatur.

64 REGULA III. Quidam Patres negant, Euchariſtiam poſt Conſecrationem poſſe dici *Antitypon*, alii affirmant. Igitur ſciendum 1. *Antitypa* vocari, quæ Typum, & Formam eandem referunt, ut Autographum & tranſumptum. Et ſic CHRISTUS in Euchariſtia, dici poteſt Antitypon ſui ipſius in Cruce immolati. 2. *Antitypa* vocantur, quæ ſunt oppoſita Figuræ, ſive illa, quæ per Figuram fuerunt præfigurata. Sic Lex Evangelii, dici poteſt Antitypa Veteris; ſeu, Veritas per Figuras V. T. præfigurata. Ita S. Petrus Epiſt. I. cap. 3. Baptiſmum vocat Antitypon Arcæ Noe, id eſt, præfiguratum per Arcam. Et hoc Senſu Euchariſtia dici poteſt Antitypon, tanquam Veritas præfigurata per Manna, Panes Propoſitionis, Sacrificium Melchiſedech. 3. *Antitypa* poſſunt dici, quæ aliquid futurum indicant, atque hoc Senſu etiam Euchariſtiæ tribui poteſt; non quaſi eſſet ſolum figu-

figura Corporis Chriſti: ſed quatenus figurat Myſteria futura, &, ut Pignus eſt æternæ gloriæ. Sic JOANNES *Damaſcenus* Lib. IV. de Fide, poſtquam dixerat, D. BASILIUM in Liturgia Panem & Vinum vocaſſe Antitypa Corporis & Sanguinis Domini, ante, non poſt Conſecrationem addit: ,, Figura porro Rerum futurarum idcirco di- ,, cuntur; non quod non vere Corpus ac ,, Sanguis Chriſti ſint, ſed quod nunc qui- ,, dem divinitatis Chriſti per ea participes ,, efficiamur, tunc autem intellectuali mo- ,, do, ac per ſolum Aſpectum, ,, nempe facie ad faciem, intuitive. 4. *Antitypa* vocantur, Figuræ rei alterius abſentis, vel futuræ. Sic Paulus Sancta V. T. vocat Antitypa verorum. Hoc Senſu Panis & Vinum ante Conſecrationem, dici poſſunt Antitypa Corporis Chriſti: ipſa autem Euchariſtia jam conſecrata, non poteſt dici Antitypa Corporis Chriſti; cum illud ſit ſubſtantialiter & realiter præſens ſub ſpeciebus Panis. 5. ſed tamen Species, etiam poſt Conſecrationem, dici poſſunt Antitypa Corporis Chriſti; quia illud ſignificant, & continent.

REGULA IV. Sæculo IX. & deinceps, 65
ſæpius, fuit diſputatum, an Caro Chriſti in Euchariſtia, eadem ſit, quæ nata eſt ex B. V. MARIA, & in Cruce pependit? quibusdam affirmantibus, negantibus aliis, qui tamen in Summa Fidei non diſcrepabant;

quia utrique fatebantur, veram Chriſti carnem, ſubſtantialiter eandem cum carne, nata ex Virgine, & crucifixa, offerri in Sacrificio Miſſæ; etſi non eandem quoad ſpeciem externam, utpote quæ nec videtur, nec palpatur; nec eandem quoad modum, utpote quæ non primum naſcatur ex Virgine, ſed antea nata, ex Pane per Virtutem Spiritus S. in Conſecratione per Tranſubſtantiationem præſens ſiſtatur, neque, ut olim, poſſibilis ſit. Vide meam Diſſertationem *de Eccleſiæ occidentalis & orientalis Concordia* in Dogmate Tranſubſtantiat. Num. 62. 64. ſeq.

66 REGULA V. Sæpe occurrunt Patres, qui carnem CHRISTI *ſpiritualiter* in Euchariſtia manducari aſſerunt. Hoc ita intelligendum, quod CHRISTUS in Euchariſtia ſit Cibus ſpiritualis Animæ, non corporis, niſi Ratione ſpecierum; non enim corpus, ſed Anima reficitur corpore Chriſti. 2. To *ſpiritualiter*, ſumebant pro *inviſibiliter*; quia Corpus CHRISTI non videtur, ſed ſpiritualiter per Fidem intelligitur, & creditur ſub ſpecie Panis vere adeſſe. 3. To *ſpiritualiter manducare*, opponebant Manducationi crudæ in Senſu Capharnaitarum, quod AUGUSTINUS dicit manducare per Fidem. *Quid paras dentem & ventrem? Crede & manducaſti.* Quod exponendum, vel de Communione ſpirituali; vel, ſi de actuali, vult, quod ſine Fide & Devotione, ipſa Chri-

Christi caro, etsi in Stomachum dejiciatur, nihil prosit. Vel: *Crede, sub specie Panis Christum esse præsentem, sicque illum sume; & manducasti, etsi carnem non videas.* Hinc ait idem Augustinus tract. XXVI. in Joann. „ Qui non manet in Christo, & in quo „ non manet Christus, procul dubio nec „ manducat *spiritualiter* Carnem ejus, nec „ bibit ejus Sanguinem (cum fructu) li- „ cet carnaliter & visibiliter premat denti- „ bus Sacramentum Corporis, & Sangui- „ nis Christi, sed magis tantæ rei Sacra- „ mentum ad Judicium sibi manducat, & „ bibit, quia immundus præsumit ad Chri- „ sti accedere Sacramenta. „

Quid respondendum sit Argutiis, e Philosophia, & infirma Ratione humana depromptis, colligitur e Num. 58. seq.

§. II.

De Modo realis Præsentiæ Christi in Eucharistia.

Supposita cum LUTHERANIS, contra quos 67
hic unice agendum, reali ac substantiali corporis Christi in Eucharistia Præsentia, inquirendum, quo modo Christi corpus reddatur præsens? omissis veterum quorundam, BERENGARII Discipulorum opinionibus, ex parte antiquatis, quæ legi possunt apud BELLARMINUM *de Eucharistia* Lib. III. cap. XI. Tres hodie circumferuntur modi, quo CHRISTUS in hoc Sacramen-

to præſens eſſe dicitur. Primus eſt, *Impanatorum:* qui arbitrantur, Verbum in Euchariſtia eodem modo hypoſtatice aſſumere Panem, quo in Incarnatione aſſumpſit Naturam humanam; ut, ſicut vera eſt propoſitio: *homo eſt Deus*, & econtra: ita vera quoque ſit iſta: *Panis eſt Deus*, vel *Chriſtus.* Hic Error tribuitur ROBERTO Abbati Tuitienſi, ac LUTHERO aliquando arriſit.

68 Alter eſt *Conſubſtantiatorum*, qui contendunt, in Euchariſtia eſſe duplicem Subſtantiam, nempe corporis Chriſti, & Panis naturalis, invicem unitam. Qua autem Ratione corpus Chriſti Subſtantiæ Panis uniatur? id explicant hoc modo. Cum corpus Chriſti, & humana Natura a Verbo divino aſſumpta fuerit, per communicationem Idiomatum id fuit aſſecuta; ut, ubicunque eſt verbum, ibi etiam ſit humana CHRISTI natura: atqui Verbum eſt ubique per Immenſitatem: ergo etiam humana Chriſti natura, ſeu Corpus & Sanguis eſt ubique: ſi autem eſt ubique; certe etiam eſt in Euchariſtia cum Pane. Hic Error communis eſt hodiernis Lutheranis, quamvis de iſta Ubiquitate, ſeu, omni-Præſentia carnis Chriſti plurimæ fuerint inter ipſos Lutheranos concertationes.

69 Eccleſia Catholica econtra docet in TRIDENTINO Concilio Seſſ. XIII. cap. IV. „ Per

Con-

„ Conſecrationem Panis & Vini converſio-
„ nem fieri totius Subſtantiæ Panis in Sub-
„ ſtantiam corporis Chriſti, & totius Sub-
„ ſtantiæ Vini in Subſtantiam Sanguinis ejus,
„ quæ converſio convenienter & proprie a
„ S. Catholica Eccleſia *Tranſubſtantiatio* eſt
„ appellata, „ quam etiam can. 2. *mirabilem ac ſingularem converſionem* dicit; eoquod in aliis, ſive naturalibus, ſive miraculoſis converſionibus, aut Materia prima remaneat, & nova tantum Forma ſuccedat, aut mutata Subſtantia, convertantur ſimul Accidentia, ſive exterior corporis ſpecies: hic autem in Transſubſtantiatione fiat converſio totius Subſtantiæ Panis, & Vini in Subſtantiam Corporis & Sanguinis Chriſti, manentibus duntaxat ſpeciebus Panis & Vini.

Hac Fidei explicatione non contenti 70
Scholaſtici, ulterius litigare ſolent, qualisnam actio ſit Transſubſtantiatio? an creativa, an productiva, an adductiva, vel effective unitiva? de quo tamen diſputare ſuperſedeo, eoquod iſtam Controverſiam inutilem, ac pæne nocivam, Vasquesius quoque judicet, his verbis: „ Cum hoc
„ Myſterium converſionis ita poſſet expli-
„ cari, ut rudibus etiam, & ignaris ad in-
„ telligendum facile redderetur, ſicut an-
„ tiqui Scholaſtici illud explicarunt; audi-
„ to Nomine *Transſubſtantiationis* tanta in-
„ ter recentiores aliquos Scholaſticos de

„ natura illius exorta fuit controversia, ut,
„ quo magis se ab ea extricare conati fue-
„ rint, eo majoribus se difficultatibus im-
„ plicaverint. Ex quo etiam effectum est,
„ ut Mysterium Fidei nostræ, non modo
„ difficile ad explicandum & intelligendum
„ ab eis redditum fuerit, sed etiam Adver-
„ sariorum nostrorum argutiis & cavilla-
„ tionibus illud magis exposuerint; cum
„ alias, si sincere & plane explicaretur,
„ sagittæ Parvulorum, Plagæ hæreticorum
„ effectæ fuissent: „ His observatis

71 Resolutio I. Corpus Christi non est præsens in Eucharistia per *Inpanationem.*

Prob. ex verbis institutionis: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Si Christus in ultima Cœna hypostatice assumpsisset Panem; tunc corpus panaceum fuisset pro nobis crucifixum, & traditum. At hoc nequit dici, refutaturque a Tertulliano Lib. IV. contra Marcionem.

72 II. Patres passim testantur, dari nobis in Eucharistia carnem Christi, quæ *nata* est ex Virgine: sed hæc non erat Pani hypostatice unita. Ergo nec Pani Eucharistico.

73 III. Nulla fuisset Ratio, ut Christus Panem hypostatice assumeret. Carnem enim assumere voluit humanam, ut homines redimeret; ideo non naturam Angelicam, aut alterius Creaturæ assumpsit, quæ re-

dem-

demptionis aut non erant indigæ, aut incapaces: at vero non potuit velle redimere Panem. Ergo &c.

IV. Fatentur omnes, Unionem hypostaticam esse Donum quoddam *singulare*, in sola Incarnatione humanæ naturæ communicatum: sed si Inpanatio locum habet; tunc hæc unio hypostatica quotidie, innumeris in locis, fit, & iterum destruitur. Ergo &c. 74

V. Hæc Sententia Fidem Ecclesiæ Infidelibus reddit absurdam & odiosam. Objiciunt enim illi, supposita reali Præsentia CHRISTI, sequi, Christum in Eucharistia cadere in terram, rodi a Muribus, corrumpi, comburi, vadere in secessum &c. quæ omnia verissima sunt, si Inpanatio locum habet; nam quæcunque afficiunt Panem, afficiunt etiam carnem & Personam, cui Panis hypostatice junctus est. 75

RESOLUTIO II. Corpus CHRISTI in Eucharistia non est præsens per *Consubstantiationem*, seu, *Omnipræsentiam*, vel Ubiquitatem. *Contra Communem Lutheranorum.* 76

PROB. I. Juxta LUTHERANOS Verba Institutionis non debent accipi *tropice*, sed in Sensu *literali* & *proprio*: atqui si in Eucharistia una cum corpore Christi adest Substantia Panis, tunc debent verba accipi in

to præſens eſſe dicitur. Primus eſt, *Impanatorum:* qui arbitrantur, Verbum in Euchariſtia eodem modo hypoſtatice aſſumere Panem, quo in Incarnatione aſſumpſit Naturam humanam; ut, ſicut vera eſt propoſitio: *homo eſt Deus*, & econtra: ita vera quoque ſit iſta: *Panis eſt Deus*, vel *Chriſtus.* Hic Error tribuitur ROBERTO Abbati Tuitienſi, ac LUTHERO aliquando arriſit.

68 Alter eſt *Conſubſtantiatorum*, qui contendunt, in Euchariſtia eſſe duplicem Subſtantiam, nempe corporis Chriſti, & Panis naturalis, invicem unitam. Qua autem Ratione corpus Chriſti Subſtantiæ Panis uniatur? id explicant hoc modo. Cum corpus Chriſti, & humana Natura a Verbo divino aſſumpta fuerit, per communicationem Idiomatum id fuit aſſecuta; ut, ubicunque eſt verbum, ibi etiam ſit humana CHRISTI natura: atqui Verbum eſt ubique per Immenſitatem: ergo etiam humana Chriſti natura, ſeu Corpus & Sanguis eſt ubique: ſi autem eſt ubique; certe etiam eſt in Euchariſtia cum Pane. Hic Error communis eſt hodiernis Lutheranis, quamvis de iſta Ubiquitate, ſeu, omni-Præſentia carnis Chriſti plurimæ fuerint inter ipſos Lutheranos concertationes.

69 Eccleſia Catholica econtra docet in TRIDENTINO Concilio Seſſ. XIII. cap. IV. „Per Con-

„ Conſecrationem Panis & Vini converſio-
„ nem fieri totius Subſtantiæ Panis in Sub-
„ ſtantiam corporis Chriſti, & totius Sub-
„ ſtantiæ Vini in Subſtantiam Sanguinis ejus,
„ quæ converſio convenienter & proprie a
„ S. Catholica Eccleſia *Tranſubſtantiatio* eſt
„ appellata, „ quam etiam can. 2. *mira-
bilem ac ſingularem converſionem* dicit; eo-
quod in aliis, ſive naturalibus, ſive mira-
culoſis converſionibus, aut Materia prima
remaneat, & nova tantum Forma ſucce-
dat, aut mutata Subſtantia, convertantur
ſimul Accidentia, ſive exterior corporis ſpe-
cies: hic autem in Transſubſtantiatione
fiat converſio totius Subſtantiæ Panis, &
Vini in Subſtantiam Corporis & Sanguinis
Chriſti, manentibus duntaxat ſpeciebus Pa-
nis & Vini.

Hac Fidei explicatione non contenti 70
Scholaſtici, ulterius litigare ſolent, qualis-
nam actio ſit Transſubſtantiatio? an crea-
tiva, an productiva, an adductiva, vel
effective unitiva? de quo tamen diſputare
ſuperſedeo, eoquod iſtam Controverſiam
inutilem, ac pæne nocivam, Vasquesius
quoque judicet, his verbis: „ Cum hoc
„ Myſterium converſionis ita poſſet expli-
„ cari, ut rudibus etiam, & ignaris ad in-
„ telligendum facile redderetur, ſicut an-
„ tiqui Scholaſtici illud explicarunt; audi-
„ to Nomine *Transſubſtantiationis* tanta in-
„ ter recentiores aliquos Scholaſticos de

„ natura illius exorta fuit controversia, ut,
„ quo magis se ab ea extricare conati fue-
„ rint, eo majoribus se difficultatibus im-
„ plicaverint. Ex quo etiam effectum est,
„ ut Mysterium Fidei nostræ, non modo
„ difficile ad explicandum & intelligendum
„ ab eis redditum fuerit, sed etiam Adver-
„ sariorum nostrorum argutiis & cavilla-
„ tionibus illud magis exposuerint; cum
„ alias, si sincere & plane explicaretur,
„ sagittæ Parvulorum, Plagæ hæreticorum
„ effectæ fuissent: „ His observatis

71 RESOLUTIO I. Corpus Christi non est præsens in Eucharistia per *Inpanationem.*

PROB. ex verbis institutionis: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Si CHRISTUS in ultima Cœna hypostatice assumpsisset Panem; tunc corpus panaceum fuisset pro nobis crucifixum, & traditum. At hoc nequit dici, refutaturque a TERTULLIANO Lib. IV. contra Marcionem.

72 II. Patres passim testantur, dari nobis in Eucharistia carnem Christi, quæ *nata* est ex Virgine: sed hæc non erat Pani hypostatice unita. Ergo nec Pani Eucharistico.

73 III. Nulla fuisset Ratio, ut Christus Panem hypostatice assumeret. Carnem enim assumere voluit humanam, ut homines redimeret; ideo non naturam Angelicam, aut alterius Creaturæ assumpsit, quæ re-

dem-

demptionis aut non erant indigæ, aut incapaces: at vero non potuit velle redimere Panem. Ergo &c.

IV. Fatentur omnes, Unionem hypostaticam esse Donum quoddam *singulare*, in sola Incarnatione humanæ naturæ communicatum: sed si Inpanatio locum habet; tunc hæc unio hypostatica quotidie, innumeris in locis, fit, & iterum destruitur. Ergo &c. 74

V. Hæc Sententia Fidem Ecclesiæ Infidelibus reddit absurdam & odiosam. Objiciunt enim illi, supposita reali Præsentia CHRISTI, sequi, Christum in Eucharistia cadere in terram, rodi a Muribus, corrumpi, comburi, vadere in secessum &c. quæ omnia verissima sunt, si Inpanatio locum habet; nam quæcunque afficiunt Panem, afficiunt etiam carnem & Personam, cui Panis hypostatice junctus est. 75

RESOLUTIO II. Corpus CHRISTI in Eucharistia non est præsens per *Consubstantiationem*, seu, *Omnipræsentiam*, vel Ubiquitatem. *Contra Communem Lutheranorum.* 76

PROB. I. Juxta LUTHERANOS Verba Institutionis non debent accipi *tropice*, sed in Sensu *literali* & *proprio*: atqui si in Eucharistia una cum corpore Christi adest Substantia Panis, tunc debent verba accipi in

Sensu tropico: *ergo* &c. *Min. prob.* Juxta LUTHERANOS Forma haberet hunc Sensum: *in, cum, sub Pane est Corpus meum*: atqui hic est Tropus: sicut dum ostendens Dolium Vino plenum dico: *hoc est Vinum*, ubi Tropum latere, nemo non videt; sumitur enim contentum pro continente.

77 PROB. II. Si corpus CHRISTI esset praesens una cum Substantia Panis; tunc Ratione ubiquitatis, seu, omnipraesentiae, quae humano Christi Naturae fuit communicata per conjunctionem cum verbo, ita ut Idiomata Naturae divinae propria, fuerint communicata Naturae humanae: atqui hac ratione Corpus Christi non est praesens Pani. *Ergo* &c. *Min. prob.* 1. Haec omnipraesentia soli Naturae divinae & Personae, non etiam Naturae humanae competit, ut pluribus ostendi Tom. V. Num. 416.

78 *Min. prob.* 2. Si CHRISTUS Pani est praesens per Ubiquitatem; tunc Eucharistia non est Sacramentum. Ut enim aliquid possit dici Sacramentum, debet pendere ab *Institutione* Christi: at Eucharistia in hypothesi Adversar. non penderet ab Institutione; Jam enim ante illam Christus Pani fuisset praesens.

79 *Min. prob.* 3. In hoc Systemate CHRISTUS non esset potius Pani, quam rebus omni-

omnibus aliis præſens, ſicque omnis Creatura eſſet Euchariſtia.

4. Chriſtus nihil ſpeciale inſtituiſſet in 80
Euchariſtia; ſi eadem Ratione omnibus aliis Creaturis eſſet conjunctus per omnipræſentiam: atqui Euchariſtia eſt quiddam ſpecialiſſimum, & ſingularis Effectus exceſſivæ Dei Charitatis: *cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*

5. Sequeretur, Chriſtum non poſſe man- 81
ducari ore corporali: ſi enim eſt omnipræſens; jam ante erit in ore, & ſtomacho, quam Panis & Chriſtus, ei junctus, eo veniat.

6. Negant Lutherani, Christum eſſe 82
præſentem extra uſum Sacramenti: quomodo ergo eſt ubique præſens? an hæc duo Dogmata non ſe mutuo deſtruunt?

Resolutio III. Christus in Euchari- 83
ſtia vere eſt præſens per *Tranſubſtantiationem.* Eſt Dogma Cathol.

Prob. I. ex verbis Chriſti: *Hoc eſt Corpus meum*, quæ aliquam Mutationem inſinuant; cum ſecus ſtatuenda eſſet Inpanatio, dicendo: *Hic Panis eſt Corpus meum.* Ergo illa Mutatio vel eſt *realis* & *vera*, vel tantum metaphorica. Non hoc; debent enim juxta Lutheranos Verba ſumi proprie, contra Sacramentarios: ergo eſt mu-

mutatio vera & realis, nempe ipsius Panis in Corpus Christi conversio. Nam ante pronuntiata illa verba Christi, corpus nondum erat in Manibus CHRISTI: at dum illa pronuntiat, *se ipsum ferebat in manibus*, ut ait AUGUSTINUS. Ergo intercessit quædam Mutatio, eaque non mere metaphorica: secus enim Panis substantialiter præsens, esset solum Figura Corporis Christi, quod negant Lutherani contra Sacramentarios. Ergo *vera* mutatio Panis in Christi corpus.

84 PROB. II. Verba Christi, sunt *operatoria*, ut affirmant Patres. Ergo id efficiunt, quod pronuntiant. Igitur quando CHRISTUS de Pane edixit, hoc esse suum Corpus; intelligi voluit, id, quod prius fuerat Panis, nunc per totalem Conversionem esse suum Corpus, sola remanente exteriore apparentia Panis.

85 PROB. III. ex constanti & perpetua Ecclesiæ tam Græcæ, quam Latinæ Traditione, cujus Concordiam in hoc Dogmate ostendi singulari dissertatione Anno 1756. edita, cui Titulum scripsi: *Ecclesiæ orientalis & occidentalis Concordia in Transsubstantiatione, Historiæ Concertationis a D. Rudolpho Kieslingio, Professore Lipsiensi, fictæ, opposita*, ad quam Lector se remitti patiatur, ubi & plerasque Difficultates a DD. Prote-

teſtantibus moveri ſolitas, ſolide ſolutas inveniet.

Præter varios PP. Textus, in allegata Diſſertatione explanatos, opponitur Authoritas GELASII I. R. P. adverſus Eutychianos ita ſcribentis: „ Sacramenta quæ ſumimus Corporis & Sanguinis Domini, „ divina res eſt: propter quod & per eadem divinæ efficimur conſortes naturæ; „ & tamen *eſſe non deſinit Subſtantia, vel* „ *natura Panis & Vini.* Ergo &c. 86

RESP. eodem modo, quo ad CHRYSOSTOMUM & THEODORETUM reſpondi, per *Naturam*, & *Subſtantiam*, intelligi externam ſolum Panis Apparentiam. Vult enim ex paritate Euchariſtiæ contra Eutychianos probare, Naturas Chriſti in Incarnatione non fuiſſe confuſas. Hinc ita ratiocinatur: ſicut CHRISTUS in Euchariſtia ita cum Pane conjungitur, ut hæc Unio non tollat, vel abſorbeat, exteriorem Panis apparentiam; ita Verbum in Incarnatione unitur cum Natura humana, ut iſta copula non abſumat illius Proprietates.

OBJIC. II. ex Ratione. Transſubſtantiatio eſt impoſſibilis, quia contra Eſſentiam Rei: ergo. *Ant. prob.* Repugnat Accidentia exiſtere ſine Subjecto: atqui ſi Transſubſtantiatio defenditur, Accidentia exiſterent ſine Subjecto: ergo &c. *Maj. prob.* Si Accidentia exiſterent ſine Subjecto; 87

cto; immutaretur eorum Essentia: sed repugnat Deo, immutare Essentias rerum: ergo repugnat, Accidentia existere sine Subjecto. *Maj. prob.* Essentia Accidentis est, esse in alio: ergo si existerent sine Subjecto; non essent in alio, sicque mutaretur eorum Essentia.

Resp. Hoc Argumento utuntur tam Protestantes contra Possibilitatem Transsubstantiationis, quam quidam Philosophi contra Distinctionem Accidentium absolutorum a Substantia. Resp. ergo Protestantibus: *non esse apud Deum impossibile omne verbum*, qui, cum potuerit Naturam humanam Christi privare sua propria Subsistentia, ut subsistat Subsistentia Verbi; cur non possit efficere, ut Accidens, quod quidem *ordinarie* exigit esse in alio, tanquam Subjecto, sine illo in hoc Sacramento existat, aut sola Quantitas sit Subjectum immediatum ceterorum Accidentium, hæcque sine Subjecto existat? Nec tamen inde sequitur, Accidens fieri Substantiam: Substantia enim exigit, per se existere; Accidens autem non exigit, per se existere: poterit autem *extraordinarie* sine Subjecto existere. In Forma *resp.* ad ultimam *prob.* Maj. *dist.* Essentia Accidentis est, ut *exigat* esse, & *ordinarie* sit in alio, tanquam Subjecto. *Conc.* ut *actu*, & etiam *extraordinarie*, & *semper* sit in alio, ita, ut ne quidem per Dei Potentiam sine Subjecto existere valeat. *Nego.* Non est, inquiunt

Ca-

Catholici peripatetici, non eſt de abſoluta Eſſentia Accidentis, ut *actu*, *ſemper*, ſit in alio, ſed ut *ordinarie* in alio, tanquam Subjecto, ſuſtentari petat. Definitiones enim non important Actum, ſed Poteſtatem, Aptitudinem, Exigentiam: quemadmodum de Eſſentia Hominis non eſt, ut Actu, & ſemper, Ratione utatur, quamvis Facultas rationalis unicuique Animæ inſit, per corpus non bene diſpoſitum aliquoties impedita.

Catholicis autem Philoſophis, quos 88
Neotericos appellant, RESP. minime omnium me ignorare, quod *Transſubſtantiationis* Myſterium ſine omnibus Accidentibus *abſolutis*, a Subſtantia realiter ſeparatis, per varia excogitata Syſtemata ſatis probabiliter explicare ſciant. Cum igitur illis una ſit mecum in Catholico Dogmate *Transſubſtantiationis* Fides, philoſophicas autem meas Hypotheſes prodere nec vacet, nec oporteat; abunde ſibi ſatisfactum arbitrabuntur, ſi profitear, perſuaſum mihi eſſe, quod Eccleſia de Accidentibus Euchariſticis, quæ nudo Nomine *Specierum* conſulto exprimere conſuevit, nihil hactenus definierit: quod ipſum contra nonnullos, nimium forte præſidentes, luculentius oſtendere propoſueram. Sed aliis laboribus præventus, atque, ut hunc Tomulum, tempore impreſſionis poſtremum, maturarem, vehementer ſollicitatus, ſymbolam,

quam

quam huc conferre volebam, prope invitus prætermittere debui.

CAPUT III.

De Materia, e qua fit Euchariſtia.

§. I.

De Pane conſecrando.

89 Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiam in Pane ac Vino, Evangeliſtæ uno ore teſtantur. Cujus quidem ratio quædam dari poteſt; 1. ut ſub ſpecie Cibi ac Potus oſtenderet, hoc Sacramentum eſſe plenam Animæ Refectionem; *Panis* enim *confirmat*; *Vinum lætificat cor hominis.* 2. Ut nos per Euchariſtiam, ad Unionem hortaretur. Sicut enim ex multis granis unus conficitur Panis; ita multi Chriſtiani per hoc Sacramentum ita adunari debent, ut ſint *Cor unum & Anima una.* 3. Non voluit Carnem ſuam tradere in Cibum, modo viſibili Carnis, ne, ut Patres animadvertunt, facile inde conciperemus Nauſeam, & ut Chriſtianorum probaret Fidem.

90 Porro Panem, eſſe materiam *neceſſariam*; facile deducitur ex Præcepto Chriſti, qui Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus præcepit, ut eadem facerent, quod Chriſtum facere in ultima Cœna viderant. De antiquis, maxime Gnoſticorum turpiſſimis Erro-

roribus Pudor vetat dicere, calamus horret ſcribere, æterno involvenda ſilentio. Controverſia agitatur cum Græcis, an ſolus Panis *fermentatus*, non autem *azymus*, ſit Materia valida Euchariſtiæ, quod negant illi.

Ceterum Panis conſecrandi ea debet eſ- 91
ſe *Magnitudo*, quæ ſit ſenſibilis: de Præcepto autem ſervanda Forma, in Eccleſia uſitata. Ubi in Tranſitu obſervandum, a Rom. Pontif. prohibitum eſſe, Laicis Hoſtias dare majoris Formæ, quibus utuntur Sacerdotes in Sacrificio. *Quantitas* non major conſecranda eſt, quam quæ a Fidelibus intra modicum Tempus abſumi credatur, ne Sacramentum exponatur Irreverentiæ, dum ſpecies corrumpuntur. *Præſentia* requiritur moralis, ut juxta Prudentum æſtimationem verificetur particula demonſtrativa: *hoc*: ne forte verius dicendum foret: *illud*: quod longiorem diſtantiam denotat. His præſuppoſitis

Resolutio I. Materia Euchariſtiæ *re*- 92
mota, eſt Panis triticeus, vel æquivalens.

Prob. I. ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. ad Armenos, ubi pro Materia Euchariſtiæ aſſignatur Panis triticeus. 2. Miſſale Romanum, juſſu Pii V. ac Clementis VIII. Rom. Pontif. recognitum, de Defectibus in Miſſa occurrentibus Tit. III. ita loquitur. „ Si Panis non ſit triti-

„ ceus: vel si triticeus admixtus sit gra-
„ nis alterius generis in tanta quantitate,
„ ut non maneat Panis triticeus, vel sit
„ alioquin corruptus; non conficitur Sacra-
„ mentum. „ 3. In Materia Sacramentorum, quando agitur de Valore, semper amplectenda est Sententia probabilior & tutior. Atqui solum Panem triticeum esse Materiam Eucharistiæ, probabilius est, ob consensum Theologorum, & tutius. Ergo &c.

93 Prob. II. Pars. Cum Triticum non in omnibus Provinciis crescat, sed alia species, ejusdem tamen Bonitatis; hinc communis est Theologorum assertio, speciem illam frumenti, Tritico æquivalentem, validam constituere Eucharistiæ consecrandæ Materiam. Sic Spelta, seu Triticum Suevicum, quod vocant Dünckel, Spelten, Kern, Fesen, item Siligo, Roggen, quæ ex Tritico in malis terris sato oritur. Panis quoque ex farre, Korn, valida agnoscitur materia, non item panis ex Hordeo, Oriza, Avena, milio, frumento Turcico; eoquod non sit Panis communis & usualis. Nec denique Panis crudus, nondum coctus: aut, cui aliquid præter Farinam, & Aquam est admixtum: E. g. Hostia rubra ex Cinnabere, aut Panis ex Amylo seu Amydo, Störck; eoquod non sit farina, sed succus albus, e granis Tritici Aqua macerati expressis. Nec denique Panis e Pomis

mis terrestribus confectus; quia certe non est usualis.

OBJIC. I. Quod solus Panis triticeus, & non alterius Frumenti, v. g. ex Farre, Korn, Hordeo &c. confectus, sit Materia necessaria Sacramenti, non potest sufficienter probari neque ex Institutione CHRISTI, neque ex Traditione. Ergo &c. *Ant. prob.* quoad 1. quod CHRISTUS fuerit usus Pane triticeo, nullus Evangelista testatur. *Ant. prob.* quoad 2. Nec Patres solum triticeum Panem pro Materia assignant. 94

RESP. *Dist.* Non constat clare: *conc.* neque obscure, ex usu Ecclesiæ, & Sensu communi Theologorum, qui in Materia Sacramentorum maxime attendendus est, cum debeamus sequi tutiorem *neg.* Etiamsi autem Evangelistæ non testentur diserte, CHRISTUM consecrasse Panem triticeum; probavi tamen ex iisdem, illum celebrasse in Azymo, cui magis servit Panis triticeus. Patres quoque, etsi non semper tritici faciant Mentionem, intelligi tamen sic debent; quia Panis, sine addito, denotat triticeum: cum alii dicantur Panis, cum addito: *hordeaceus* &c.

OBJIC. II. Eucharistiæ Consecratio in Ecclesia veteri fiebat ex Pane, a Fidelibus oblato: atqui iste erat communis; maxime quoad oblationes Pauperum (nec enim verosimile est, fuisse Panem exquisitum) 95

adeoque offerebantur indiſcriminatim, ab hoc triticeus, ab altero farinaceus, ab alio hordeaceus, prout colligitur ex S. Cypriano, Fæminam divitem increpante, quod nullum Panem adferret Lib. de opere & Eleemoſynis. „ Dives es, & Dominicum „ celebrare te credis, quæ in Dominicum „ ſine Sacrificio venis; quæ Partem ex Sa„ crificio, quod Pauper obtulis, ſumis. „

Resp. Fiebant equidem oblationes Fidelium; ſed non *quilibet* Panis aſſumebatur ad *Conſecrationem*: ſed vel ad *Eulogia*, vel ad *Convivium* (*Agapen*) & ſuſtentationem Pauperum. Neque incredibile eſt, etiam a Pauperibus Panes triticeos in modica quantitate fuiſſe oblatos. Cyprianus ſolum redarguit Avaritiam Fæminæ divitis, quæ nihil ad Aram obtulit, & tamen non ſolum de Sacrificio, ſed etiam de *Agape* participare voluit.

96 Objic. III. Panis hordeaceus, & multo magis ex farre, Roggen, Korn, eſt communis & uſualis. Ergo eſt Materia Euchariſtiæ. *Ant. prob.* Hordeaceus inter Judæos tempore Christi frequens erat. Namque Christus in Deſerto Multitudinem ſe ſequentem miſeratus, & de Alimento ſolicitus, interrogat Philippum Joann. VI. *Unde ememus Panes, ut manducent hi? dicit ei Andreas: eſt Puer, qui habet quinque Panes hordeaceos.* Panis autem ex *Farre* hodie communis & uſualis eſt non tantum

in Plebe, ſed etiam apud ditiores: *ergo* &c.

Resp. Panem hordeaceum non fuiſſe communem, ex ipſo Textu colligitur; quia ſecus fuiſſet dictus *ſimpliciter* Panis, ſine addito: *hordeaceus*. Quod attinet Panem ex *Farre*, ille nunc quidem communis eſt: forte autem tempore Christi, ſaltem in diebus Azymorum, communior fuit triticeus. Ceterum in Rebus a libera Dei Voluntate pendentibus, ſpectanda eſt præcipue declaratio, & Uſus Eccleſiæ, qui ſtat pro Pane triticeo: etſi non deſint Theologi, qui in Defectu Tritici Panem quoque farinaceum, ſaltem pro materia dubia, conſiderant: quæ tamen adhiberi nequit, dum adeſt materia certa, qualis eſt Triticum, quam eſſe Materiam validam, nemo ambigit.

Resolutio II. Valori non obeſt, ſive 97
Panis ſit *Azymus*, ſive *fermentatus*: quamvis quælibet Eccleſia Ritum ſuum ſervare teneatur.

Prob. I. Pars. Uterque eſt ſimpliciter Panis, & alteruter in Eccleſia adhibitus. Ac de *Fermentato* quidem, dubium nullum eſt; cum Latini illum nunquam tanquam invalidum declaraverint. De *Azymo* autem probatur 1. ab Exemplo Christi, quem in Azymo celebraſſe, ex noſtro Syſtemate ſequitur. Conſecravit enim Luna XIV. *exeunte*. Atqui tunc jam debuerat omne fermentum e domibus Judæorum fuiſſe ſubla-

tum. 2. Habet & ſuas ſingulares Prærogativas Panis Azymus, quod aptiſſime ſignificet ſummam Chriſti Puritatem, & Animi Munditiem, quæ in ſuſcipiente hoc Sacramentum requiritur. Hinc ait PAULUS I. Cor. 5. *Epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in Azymis ſinceritatis & veritatis* &c.

98 PROB. II. Pars ex Concilio FLORENTINO, ubi poſt multas cum Græcis habitas concertationes ſancitum tandem fuit, ut Græci in Fermento, Latini autem in Azymò conſecrarent,

99 RESOLUTIO III. Eccleſia Latina a ſui Origine usque in præſens conſecravit in *Azymo*: quamvis forte Fermentum non fuerit ubique, & ſemper excluſum.

PROB. I. Conſuetudo, cujus non poteſt oſtendi Initium, præcipue cum divinæ eſt Inſtitutionis (per modum Exempli, non autem Præcepti) ad ipſa CHRISTI, & Apoſtolorum tempora referri debet: atqui conſuetudinis celebrandi in Azymo, nullum ſcitur Initium: nititur autem Exemplo CHRISTI: ergo a tempore Chriſti & Apoſtolorum illa invaluit.

100 Reſpondent quidem celeberrimi Critici, hanc Conſuetudinem introductam fuiſſe poſt Schiſma *Photianum*: PHOTIUS enim, qui omnia, quæ cum Eccleſiæ Græcæ Moribus non

non conveniebant, Latinis objecit, usum Azymorum illis non exprobravit: At vero MICHAEL CÆRULARIUS, Schismatis Instaurator, illum tanquam novitatem in Latinis redarguit.

CONTRA. LEO IX. respondens objectionibus Cærularii ita ait: „ Ecce jam post „ mille ac ferme viginti a Passione Salva„ toris nostri annos, incipit per vos di„ scere Romana Ecclesia, qualiter Memo„ ria Passionis sit recolenda. „ Non potuisset tam confidenter ad mille annorum ætatem provocare Rom. Præsul, si paullo ante Azymi Usus in Latina Ecclesia invaluisset. Sed & Cardinalis HUMBERTUS ait: „ Vestra Duplicitas suo Fermento „ contenta, Romanæ & Latinæ simplicita„ ti Azymum extorquere nequit. „ Denique INNOCENTIUS III. de Myster. Missæ Lib. IV. 2. scribit: „ Ab ipsis ergo bea„ tis Apostolis Petro & Paulo, quos & vi„ vos habuit, & defunctos custodit, hunc „ Sacrificii ritum accepit Ecclesia Romana, „ quem hactenus inviolabili cultu serva„ vit. 101

PROB. II. ex TERTULLIANO, qui Lib. II. ad Uxorem cap. II. eidem dissuadens, ne viro Infideli nuberet, hoc utitur argumento: „ Non sciet Maritus, quid se„ creto ante omnem cibum gustes; & si „ sciverit Panem, non illum credet esse, 102

„ qui dicitur. „ Ex quo oritur conjectura, de Eucharistia in Azymo confecta sermonem esse; si enim Maritus vidisset, uxorem manducare Panem *fermentatum*, nihil sinistri, aut Mysterii suspicari potuisset.

103 PROB. III. EPIPHANIUS hæres. XXX. de Ebionæis loquens ait: „ Mysteria vero perficiunt ex imitatione Sanctorum, „ qui sunt in Ecclesia, quotannis in Azy„ mis: alteram autem Mysterii Partem in „ Aqua solum. „ Ubi advertit MABILLONIUS, EPIPHANIUM EBIONÆOS in eo tantum reprobare, quod in *Aqua* consecrarent Eucharistiam: non autem, quod *Azymum* Panem adhiberent, ex Imitatione Sanctorum. Ergo EPIPHANII tempore fiebat consecratio in Azymo.

104 PROB. IV. SS. PP. dum explicant Ritus & Mysteria Eucharistiæ, nullibi faciunt mentionem *Fermenti*, sed solum Aquæ, & Farinæ, & Ignis, quo coquitur Panis Azymus: ergo eo tempore non erat Panis fermentatus assumptus ad Consecrationem, saltem communiter & ordinarie. *Ant. prob.* ex CYPRIANO Epist. LXIII. ad Cæcilium. „ Sic vero Calix Domini non est aqua so„ la, aut vinum solum, nisi utrumque si„ bi misceatur, quomodo nec Corpus Do„ mini potest esse farina sola, aut aqua so„ la, nisi utrumque adunatum fuerit & co„ pulatum, & Panis unius compage soli-

„ da-

„ datum. „ Et Augustinus ferm. LXXXIII. de diverſ. ubi Dominici Corporis Sacramentum baptizatis exponit, ſolius Farinæ & Aquæ, non autem Fermenti meminit: „ Apoſtolus dicit, *unus Panis*, *unum Cor-* „ *pus omnes ſumus.* Commendat vobis in „ iſto Pane, quodammodo unitatem ama- „ re. Neque enim Panis ille de uno gra- „ no factus eſt. Nonne multa erant tri- „ tici grana? ſed antequam ad Panem ve- „ nirent, ſeparata erant, per aquam con- „ juncta ſunt, & poſt quamdam contri- „ tionem. Niſi enim molatur triticum, „ & per Aquam conſpergatur, ad illam „ formam minime venit, quæ Panis voca- „ tur. Sic & vos ante Jejunii humiliatio- „ nem Exorciſmi Sacramento quaſi mole- „ bamini. Acceſſit Baptiſmus, & aqua „ quaſi conſperſi eſtis, ut ad Formam Pa- „ nis veniretis. Sed nondum eſt Panis ſi- „ ne Igne. Quid ergo ſignificat Ignis? hoc „ eſt Chriſma. Oleum etenim ignis noſtri „ Spiritus S. eſt Sacramentum. „ Hic Augustinus de Unione Chriſtianorum diſſerens, opportunam habuiſſet occaſionem, declarandi etiam *Fermentum*, quod totam maſſam coagulat: ergo illius omiſſio indicio eſt, Cypriani & Augustini ætate, Fermentum non fuiſſe adhibitum.

Prob. V. Panis Azymus in uſu fuit an- 105
te Schiſma Photii: ergo ruit magnum Adverſariorum Fundamentum. *Ant. prob.* Al-

Alcuinus Initio Sæc. IX. ad Eccl. Lugdun. scribit Epist. XCIX. „ Audivimus aliquos, „ in illis Partibus affirmare, salem esse in „ Sacrificium Corporis Christi mittendum, „ quam consuetudinem nec universalis ob- „ servat Ecclesia, nec Romana custodit Au- „ thoritas. Tria sunt, quæ in Sacrificio „ hujus Testimonii offerenda sunt, *Panis*, „ *Aqua* & *Vinum*. Panis, qui in Corpus „ Christi consecratur, *absque Fermento* ul- „ lius alterius infectionis debet esse mundissi- „ mus &c. „ Rhabanus *Maurus* Lib. I. de Instit. Clericor. cap. XXXI. „ Panem *in-* „ *fermentatum*, & Vinum aqua mixtum, in „ Sacramento Corporis & Sanguinis Chri- „ sti sanctificari oportet.... Credimus & „ Panem illum, quem primum Dominus in „ Cœna mystica in Mysterium sui Corpo- „ ris consecravit, *infermentatum* esse: ma- „ xime cum in tempore Paschæ nullum „ fermentum cuiquam vesci, sed nec in do- „ mo habere ulli licebat.

106 Prob. VI. Ratione. Nisi perpetuus in Ecclesia Latina fuisset usus Panis azymi; non potuissent bona fronte Leo IX. & Cardin. Humbertus Græcis opponere vetustam Traditionem, & Apostolorum morem, sed debuissent potius dare Rationem, cur rejecto nunc primum Fermento, Azymi Usus fuerit introductus.

Pars altera patebit e Solutione objectionum.

Ob-

Objic. I. Euchariſtia quondam conſecrabatur ex Panibus communibus, a fidelibus oblatis: atqui Panis azymus non eſt communiter in uſu, nec etiam eſt vero ſimile, quod Fideles ſpeciales coxerint Panes, Oblationi Sacrificii deſtinatos, & a quotidiano Uſu diſtinctos: maxime tempore Perſecutionum: ergo &c. 107

Resp. Duas olim intra Miſſarum Solennia fuiſſe Oblationes; unam perlecta Epiſtola, ubi offerebantur Panes communes, & alia ad ornatum Eccleſiæ, Suſtentationem Cleri & Pauperum neceſſaria: Alteram poſt Evangelium, ubi Panis & Vinum, Conſecrationi deſtinatum, offerri ſolebat. Qui utique facile poterat eſſe Azymus, cum poſſit facilius parari, quam fermentatus; ut adeo etiam Perſecutionis tempore haud difficulter haberi potuerit. Hanc duplicis Oblationis conſuetudinem Mediolani ex antiqua obſervantia retineri, teſtatur P. Berti, ubi Viri & Fœminæ ad hoc deputati, & *Vegliones* ſeu *Veglioniſſæ* dictæ, in Oblatione ſecunda Panem & Vinum offerunt. Dum vero PP. Panem Euchariſtiæ vocant *uſitatum;* id intelligi quoque poteſt de Pane ante Conſecrationem, & prout opponitur Pani conſecrato. Denique ſi Argumentum quidpiam probat, hoc tantum ſequitur, *quandoque*, & *alicubi* forte etiam fermentatum Panem fuiſſe adhibitum.

108 Objic. II. Si tempore Photii in Latina Ecclesia usus azymi Panis obtinuisset; id ille certe iis exprobrasset: sicut postea fecit Michael *Cerularius*: at vero Photius inter ceteras criminationes in Romanam Ecclesiam effusas Azymi Usum non reprehendit: ergo &c.

Resp. Photius plura dissimulavit in Latinis, quæ a Græcorum Moribus discrepabant, ut Tonsuram Capitis, unicam effusionem in Baptismo &c. scripsit enim Epist. LXIV. *Tolerandam esse differentiam ac dissimilitudinem in mysticis Sacrificiis.* Dein ideo Photius non improbavit Usum Azymi, quia sciebat illum niti Exemplo Christi. Nam in sua Bibliotheca Cod. 116. scribit, juxta Chrysostomum & universalem Ecclesiam, Christum peregisse Pascha legale juxta præscriptum Legis, & consequenter in Azymo.

109 Objic. III. Eucharistia, olim in Signum Communionis ad alias Ecclesias transmissa, cujus antiquissimæ consuetudinis mentionem faciunt S. Justinus M. Apolog. I. & S. Irenæus Epist. ad Victorem I. R. P. Apud Eusebium H. E. L. V. cap. XXIV. & Acta Tharasii M. erat fermentata: *ergo. Ant. prob.* in Pontificali Romano, seu, Vitis Pontificum de Melchiade legitur: „ Hic „ fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias in Consecratu Episcopi dirigerentur, „ quod *declaratur fermentum.* „ In Vita

Si-

SIRICII: „ Hic constituit, ut nullus Pres-
„ byter Missas celebraret per omnem heb-
„ domadem, nisi Consecratum Episcopi
„ loci designati susciperet declaratum, *quod*
„ *nominatur fermentum.* „ INNOCENTIUS I.
Epist. ad DECENTIUM *Eugubinum* scribit:
„ De *Fermento*, quod die dominico per ti-
„ tulos mittimus, superflue nos consulere
„ voluisti; cum omnes Ecclesiæ nostræ in-
„ tra civitatem sint constitutæ, quarum
„ Presbyteri, quia de ipsa, propter Ple-
„ bem sibi creditam nobiscum convenire
„ non possunt, idcirco *Fermentum* a nobis
„ confectum per Acolythos accipiunt, ut
„ se a nostra Communione maxime illa die
„ non judicent separatos, quod per Paro-
„ chias fieri debere non puto, quia non
„ longe portanda sunt *Sacramenta*, nec nos
„ per Cæmeteria diversa constitutis Pres-
„ byteris destinamus: & Presbyteri eorum
„ conficiendorum jus habent atque licen-
„ tiam. „ Ergo Romana Ecclesia conse-
crabat in *Fermento.*

Respondent BARONIUS, & CABASSUTIUS, aliique, *Fermentum* illud, non fuisse *Eucharistiam*, sed *Eulogias*, id est, Panem benedictum ex Fermento confectum, & ad absentes directum. Sed videntur hallucinari; quia Fermentum illud, expresse vocatur ab Innocentio *Sacramentum.* Igitur

RESP. II. Concesso, *Fermenti* Nomine intelligi *Eucharistiam* in Signum Communio-
nis

nis ad absentes transmissam, nego suppositum, quod illa ex Pane *fermentato* fuerit consecrata. Neque enim hoc probant textus citati; quippe qui non dicunt, ESSE *fermentum*, sed, *quod* DECLARATUR, *quod dicitur Fermentum*. Igitur ad observandam *Disciplinam Arcani* nolebant PP. transmissam Eucharistiam vocare *Sacramentum*, ne, si forte incideret in Paganorum Manus, panderetur Mysterium, sed vocabant *Fermentum*: & apte quidem; quia, sicut Fermentum Farinæ & Massæ aquam coagulat; ita Eucharistia Fideles, etiam absentes, in unam Communionem coadunat, in cujus Signum absentibus mittebatur,

111 OBJIC. IV. Si Romana Ecclesia ab origine celebrasset in Azymo, tunc propter Exemplum Christi: atqui hæc Ratio id non evincit; Christus enim solum celebravit in Azymo, quia Paschali tempore non alius Panis erat in Domibus Judæorum, adeoque solus Azymus erat usualis: econtra Apostoli, & alii Sacerdotes, celebrarunt Eucharistiam non tantum diebus Azymorum, sed omni tempore, ubi fermentatus erat communis: quem ideo illos etiam adhibuisse probabilius est. Ita argumentatur BINGHAMUS.

RESP. *Conc. maj.* Nego *min.* Cum enim Celebratio Eucharistiæ instituatur in Memoriam novi Paschatis Christiani; conveniens videbatur, ut *eodem modo* fieret, quo fuerat

fuerat illud primitus a CHRISTO celebratum. Quod conſtat a pari: nam quia Paſcha Judaicum erat ſolennis commemoratio annua Egreſſus Judæorum ex Ægypto, ubi mactaverant Agnum, & Panes habebant Azymos; ideo eodem Ritu quot Annis celebrabatur in Azymis: ergo quia Euchariſtia eſt quotidiana commemoratio Paſchatis Chriſti; hinc ut quotidie, & eodem modo celebretur, quo a Chriſto fuit celebratum, conveniens eſt.

§. II.

De Materia Conſecrationis Calicis.

Vinum, eſſe Materiam neceſſariam, ex qua 112
fit Sanguis Chriſti, ſemper fuit Eccleſiæ mens, quæ damnavit hæreticos, qui ſobrietatis prætextu ſolam aquam absque omni Vino offerebant: uti erant EBIONÆI apud EPIPHANIUM hæreſ. XXX. TATIANUS apud eundem hæreſ. XLVI. ENCRATITÆ & AQUARII, de quibus AUGUSTINUS hæreſ. LXIV. Concilium ANTISSIODORENSE can. VIII. in aliquos animadvertit, qui Mel & Aquam miſcentes offerebant: „ Non licet, „ inquiunt PP. illi, in Altari in Sacrificio „ divino mellitum, quod mulſum appella„ tur, nec ullum aliud poculum extra Vi„ num cum aqua mixtum offerre. „ In oppoſitum declinarunt ARMENI, qui ſolum vinum ſine aqua conſecrabant, ex ratione, ne

ne miſcentes Aquam Vino in Sacrificio, ſignificare videantur Unionem duarum naturarum in Chriſto, quam negabant.

113 Vinum autem debet eſſe expreſſum de vite, nec ſufficit, ſi adhuc educatur ex uva acerba, nondum matura: aut aqua ex uvis paſſis expreſſa, qualem adhibuiſſe feruntur Æthiopes & Indi. Nihil refert, album ſit an rubrum: probabilius valet Vinum congelatum; eoquod ſit ſimpliciter Vinum, & ante ſumptionem ſolvi poſſit. Facile autem patet Diſparitas inter aquam congelatam in Baptiſmo, quæ, cum non ſerviat ablutioni tanquam Materiæ proximæ, invalida eſt: econtra vinum, etiam congelatum, aptum eſt transſubſtantiari in Sanguinem Chriſti, quod fit per applicationem Formæ Conſecrationis.

114 Controverſia eſt cum hodiernis Proteſtantibus, an purum Vinum, an Aqua mixtum, ſit offerendum? Quæritur item in Schola, an Aquæ mixtio ſit de neceſſitate Sacramenti, aut ſaltem Præcepti divini, vel an ſolum Eccleſiaſtici? Sæculo XII. & XIII. diſceptabatur, an Aqua Vino mixta transſubſtantietur in Sanguinem Chriſti: affirmantibus non nullis, eam converti in Aquam illam, quæ fluxit a Latere Chriſti crucifixi. INNOCENTIUS III. in cap. *Marthæ*, de *Celebrat.* Miſſ. Sententiam illorum, quæ docet, Aquam converti in Sanguinem Chriſti,

ſti, declaravit ut *Probabiliorem*: an hoc ſit de Fide? ſub Judice lis eſt. Scholaſtici ulterius indagant, an Aqua immediate convertatur in Sanguinem? His obſervatis &c.

Resolutio I. Vino Conſecrationis miſcenda eſt Aqua. *Catholici omnes.* 115

Prob. I. Exemplo Chriſti, quem Vinum Aqua temperatum conſecraſſe, paſſim teſtantur Patres. Sic Irenæus Lib. IV. cap. LVII. *Temperamentum Calicis, ſuum Sanguinem confirmavit.* Cyprianus integra Epiſtola LXIII. ad *Cæcilium*, probat Vinum aqua miſcendum, eoquod tale Chriſtus conſecraverit: *mixtum Calicem obtulit Dominus.* Ita quoque Concilium Carthaginense III. cui interfuit, & haud dubie conſenſit Augustinus can. XXIV. „ Ut in Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, Panis & Vinum aqua mixtum. „ Dein obſervat *Hugo* Grotius ad Matth. Judæos Calicem Paſchalem aqua temperare conſueviſſe. Imo Morem hunc apud eos fuiſſe vulgarem, colligitur ex Prov. IX. 10. Apoc. XVIII. 6.

Prob. II. ex Uſu omnium Eccleſiarum, 116
qui conſtat ex Patribus variarum Regionum, & Liturgiis antiquiſſimis apud Bellarminum, aliosque.

117 Rationes hujus Mixtionis proferuntur variæ a Patribus. 1. eſt, Exemplum Chriſti. 2. quia de Latere Chriſti exivit Sanguis & Aqua. 3. quia in Myſterio Euchariſtiæ ſignificatur Unio Chriſti cum Eccleſia, quam aptiſſime exprimit Vini & Aquæ mixtio; Vinum enim Chriſtum, Aqua populos ſignificat. 4. ad deſignandam duarum Naturarum in Chriſto Unionem. 5. Quia Euchariſtia eſt ſpiritualis Cibus & Potus: Naturæ autem humanæ convenientiſſimus Potus eſt Vinum, Aqua temperatum, ut docent GREGORIUS Nyſſen. & CLEMENS Alexandr. apud BELLARMINUM.

118 Quod attinet Aquæ *quantitatem*, ea prioribus Eccleſiæ Sæculis non erat determinata, ſed cujusque Prudentiæ relicta, ne miſceret nimium, ſed ſemper Vini Subſtantia remaneat. Sæculo IX. in Concilio TRIBURIENSI ſancitum fuit, ut ſaltem duæ ſint Partes Vini, & tertia Aquæ. Sæculo XII. ab HONORIO III. cap. *perniciosus*, de *Celebrat. Miſſæ* ſtatutum eſt, ita Calicem temperandum Aqua, ut ſecundum rationabilem Eccleſiæ conſuetudinem plus in eo ſit Vini quam Aquæ. EUGENIUS IV. in Decreto ad Armenos præcepit, ut *Aqua modiciſſima* ante Conſecrationem miſceatur. Conformis eſt Conſtitutio PII V. Refert Anton. AUGUSTINUS in Conſtitut. Eccleſiæ Tarraconenſis.

RE-

Resolutio II. Admixtio Aquæ non est 119
de necessitate Sacramenti, nec Præcepti divini, sed Ecclesiastici. *Communis.*

Prob. I. Pars. Ea fuit semper Ecclesiæ Mens, Eucharistiæ Consecrationem valere, etsi Vino Aqua non fuisset admixta; Quamvis enim damnaverit Armenos, Aquam non adhibentes, nunquam tamen illorum Sacramentum invalidum declaravit. Imo Rubricæ Missalis præscribunt: ut si Sacerdos post Consecrationem advertat, non fuisse Aquam Vino affusam, ea non amplius S. Sanguini superaddatur: quod utique fieri, imo Consecratio repeti deberet, si Aquæ Mixtio de necessitate Sacramenti foret.

Prob. II. Pars. Nullum habetur Fun- 120
damentum in Scriptura & Traditione, quod Christus Aquam misceri præceperit: imo Concilium Tridentinum expresse declarat, de Præcepto solum Ecclesiastico Aquam Vino esse miscendam.

2. Si exstaret Christi Præceptum; tunc illud deberet desumi ex Christi Exemplo, qui Vinum mixtum consecravit: atqui Exemplum Christi non habet semper Rationem Præcepti; cum multa Christus fecerit, quæ nobis præcepta haud sunt. Est insuper Axioma commune inter Jurisperitos: *Exempla, non sunt mensura Legum.*

Objic. I. Cyprianus Epist. LXIII. ad 121
Cæcilium propugnat, Aquam ita necessa-

rio esse miscendam Vino, sicut est miscenda Farinae, ut fiat Panis: atqui haec mixtio est de necessitate Sacramenti. *Ergo* &c. *Prob. maj.* Verbis ejus: „ Sic autem in „ sanctificando Calice Domini offerri Aqua „ sola non potest, quomodo nec Vinum „ solum potest. Nam si Vinum tantum „ quis offerat; Sanguis Christi esse inci„ pit sine nobis: si vero Aqua sit sola; „ Plebs esse incipit sine Christo: quando „ autem utrumque miscetur; tunc Sacra„ mentum spirituale ac cœleste perficitur. „ Sic vero Calix Domini non est Aqua so„ la, aut Vinum solum, nisi utrumque sibi „ misceatur, quomodo nec Corpus Domi„ ni potest esse farina sola, aut Aqua so„ la, nisi utrumque adunatum fuerit & „ copulatum, & Panis unius compage so„ lidatum. „

RESP. CYPRIANUS hoc unum intendit probare, quod sine admixtione Aquae non perficiatur significatio mystica Eucharistiae: non autem, quod non perficiatur *Sacramentum*. Hinc ait, „ si Vinum solum offe„ ratur, Sanguis Christi incipit esse sine no„ bis, „ id est, convertitur quidem Vinum in Sanguinem; sed, quia per Aquam designatur Populus, hac omissa non habetur significatio conjunctionis Christi cum Plebe fideli, pro quo offertur Sacrificium. Dein, agit principaliter contra illos, qui putabant, Aquam *solam* esse offerendam, absque Vino. Hinc probat utrumque requi-

quiri; eoquod ſine Vino non perficiatur Sacramentum: ſine Aqua autem non habeatur myſtica Euchariſtiæ Significatio, quod eſt contra Eccleſiæ Inſtitutum.

Objic. II. Concilium Trullanum, ſeu, 122
Quiniſextum can. XXXII. contra Armenos ſtatuit: „ Epiſcopus, vel Presbyter, non „ ſecundum ordinem ab Apoſtolis traditum faciens, & Aquam Vino non miſcens, ſic immaculatum offert Sacrificium, deponatur, ut imperfecte myſterium enuntians, & quæ tradita ſunt, „ innovans. „ Ergo ſine Aquæ mixtione non perficitur Sacramentum.

Resp. *Diſting.* Imperfecte Myſterium enuntians, id eſt, deſtituens Myſterium ſua ſignificatione, ut mox dictum eſt, & agens imperfecte contra Eccleſiæ Præceptum: *Conc.* Ipſum Sacramentum non perfecte conficiens. *Nego.*

Objic. III. Idem Cyprianus cit. Epiſt. 123
fere ubique probare conatur, Christum præcepiſſe, ut Aqua miſceatur Vino. Idem ſtatuunt Patres Concilii IV. Aurelianensis. Ergo adeſt Præceptum divinum.

Resp. Hoc ſpectat præcipue ad Vinum, quod utique a Chriſto conſecrari præceptum eſt. Etiamſi hæc autem fuiſſet particularis S. Cypriani Sententia: ſtandum eſſet potius declaratione Eccleſiæ, quæ Mixtionem

Præcepti ſolum Eccleſiaſtici eſſe docet in TRIDENTINO Concilio.

124 OBJIC. IV. CHRISTUS Vinum Aqua mixtum conſecrans præcepit, ut idem facerent Apoſtoli: *hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.* Ergo adeſt Præceptum divinum.

RESP. Præcepit præciſe Conſecrationem: non autem Mixtionem Aquæ.

125 RESOLUTIO III. Aqua per Conſecrationem non convertitur in illam Aquam, *quæ* ex perfoſſo Latere Chriſti in Cruce profluxit.

PROB. I. Materia Euchariſtiæ in illud tantum convertitur, quod Forma Verborum exprimit: atqui Forma Conſecrationis Calicis non exprimit Aquam de Latere Chriſti manantem: *ergo* &c.

126 PROB. II. Etiamſi Patres aliqui aſſerant, Aquam Vino mixtam, eſſe Sacramentum Aquæ, nullus tamen illorum dixit, illam converti in Aquam, quæ fluxit de Latere Chriſti: ſed poteſt dici Sacramentum Aquæ; quoniam Aquæ & Vini Mixtura ſignificat Sanguinis & Aquæ ex Latere Chriſti profluvium.

127 RESOLUTIO IV. Eſt Sententia probabilior, Aquam converti in Sanguinem: non eſt tamen de fide.

PROB.

Prob. I. Pars. Qui Sæculo XIII. docuere contrarium, non proferebant firmum contra noſtram ſententiam Argumentum; ſic enim ſcribit Gaufredus ad Epiſcopum Albanenſem: „ Qui aliis ſuper hoc „ adverſantur, ex nullis antiquorum, ſive „ etiam modernorum ſcriptis tam eviden„ tia Teſtimonia protulere ſuæ opinionis. „ Igitur carebant Fundamento Traditionis.

Prob. II. ex PP. Irenæus Lib. IV. ad 128
verſ. hæreſ. cap. 57. „ Dominus tempe„ ramentum Calicis ſuum Sanguinem aſſe„ veravit. „ Justinus M. Apolog. I. „ Dant unicuique eorum, qui adſunt, Pa„ nem, Vinum & Aquam, quæ cum gra„ tiarum actione conſecrata eſt. Atqui Ali„ mentum hoc apud nos Euchariſtia voca„ tur. „ Ambrosius Lib. IV. de Sacram. cap. III. „ Ex Pane fit Corpus Chriſti, „ & Vinum Aqua in Calice mixtum fit „ Sanguis Conſecratione Verbi cœleſtis. „ Cap. V. „ Ante Verba Chriſti Calix eſt „ Vini & Aquæ plenus: ubi autem Verba „ Chriſti operata fuerint, Sanguis effici„ tur. „ Gaufredus ex Auguſtino citat hunc locum: „ Unde & Aqua mittitur „ in Calicem & fit Sanguis Conſecratione „ Verbi cœleſtis. „ Paria ſcribunt Pascasius, Radbertus Lib. de Corp. & Sang. Domini. Hildebertus Cenomanenſis, & Algerus.

129 PROB. III. ex Verbis Inſtitutionis Chriſti. Chriſtus enim conſecravit Vinum Aqua temperatum: & de toto contento dixit, *hic eſt Sanguis meus*: ergo & Aqua fuerat in Sanguinem converſa.

130 PROB. II. Pars, hanc Sententiam non eſſe de Fide. Nam INNOCENTIUS III. in cap. *Mathæi* de *Celebrat. Miſſarum*, de tribus Sententiis loquens nullam damnat, ſed noſtram dicit ſolam probabiliorem. Igitur tunc non erat de Fide: ſed neque poſt INNOCENTII Tempora ab ullo Concilio, vel Pontifice, altera Sententia fuit proſcripta, aut noſtra ut Dogma Fidei declarata.

131 Utrum Aqua convertatur *immediate* in Sanguinem, aut *mediate* ſolum, nempe prius in Vinum, & ſic verſa in Vinum transſubſtantietur in Sanguinem, ut volunt Thomiſtæ? Quæſtio videtur eſſe mere philoſophica, atque eo redire, an ſit poſſibilis, & actu contingat phyſica Aquæ in Vini Subſtantiam alteratio, ſaltem intra tam breve Temporis ſpatium? Poteſt facile utraque Sententia duobus vere verbis propugnari: diſtinguendo, vel *mediate*, vel *immediate*. Contra Converſionem Aquæ in Vinum obſtare videtur hæc: ſi Aqua convertitur in Vinum; tunc remanet ſaltem Materia prima Aquæ, ſicque poſt Conſecrationem aliquid Subſtantiæ præter Sangui-

guinem Christi remanet, quod damnatum est in Concilio CONSTANTIENSI adversus WICLEFUM. Sequela autem probatur, si fieret totalis Aquæ in Vinum Conversio, tunc Transsubstantiatio non esset Conversio *singularis*. In hoc enim est *singularis*, quod fiat Conversio totius Substantiæ Vini in Sanguinem, ut loquitur Concilium TRIDENTINUM, essetque illa Transsubstantiatio, actio *naturalis*, & per hoc tantum differret a Conversione naturali Aquæ in Vinum, quod non remaneant Aquæ species, seu, Accidentia, sed una cum Forma substantiali Aquæ, in Formam Vini convertantur: sicut, dum alimentum transit in substantiam aliti, remanente Materia prima, quæ naturaliter est ingenerabilis & incorruptibilis, juxta Peripateticos, sola Forma Alimenti convertitur in Formam Carnis & Sanguinis comedentis.

OBJIC. I. Aqua non est Materia Eucharistiæ: ergo non convertitur in Sanguinem. *Ant. prob.* Ecclesia non potest instituere materias Sacramentorum: atqui ex Instituto Ecclesiæ oritur, ut Aqua misceatur Vino: ergo Aqua nequit esse Materia Consecrationis. 132

RESP. *Dist. ant.* Non est Materia, seorsim spectata. *Conc.* Vino mixta. *Nego.* Ad *Prob. dist. maj.* Ecclesia non potest instituere Materiam Sacramenti, nisi fuerit a CHRISTO elevata. *Conc.* secus. *Neg.* Atqui

qui cum ipſe CHRISTUS Vinum aqua mixtum conſecraverit, utique Aquam cum Vino ad Eſſe Sacramenti elevavit. Eccleſia ſuo Præcepto nihil novi introduxit, ſed tantum ſtatuit, ut eo modo fieret Conſecratio, qua facta fuit a Chriſto, nempe in Vino & Aqua.

133 OBJIC. II. Si Aqua converteretur in Sanguinem; tunc non remanerent ſolum Vini, ſed etiam Aquæ ſpecies poſt Conſecrationem: atqui hoc eſt contra TRIDENTINUM, quod declaravit, remanere *duntaxat* Species Panis & Vini. Ergo &c.

RESP. Tranſeat *maj.* Nego *min.* Nam dum TRIDENTINUM declarat, remanere ſpecies Vini, To *duntaxat*, debet connecti cum To *ſpeciebus*, ad denotandum, nihil ſubſtantiale Vini remanere: non autem cum To *Vini*, quaſi non etiam *ſpecies Aquæ* remanerent. Illius Vini ſpecies ait remanere, quod erat conſecratum; atqui Vinum illud, erat Aqua modica temperatum: ergo Vini Aqua temperati ſpecies remanere vult. Inſuper, cum modica Aqua ſpeciem moralem Vini non immutet; hinc Vinum, cui modica Aqua eſt admixta, in communi loquela *ſimpliciter* dicitur Vinum, nulla facta mentione Aquæ.

134 OBJIC. III. De Fide eſt, totum contentum in Calice, eſſe Sanguinem poſt conſe-

ſecrationem: ergo de Fide eſt, Aquam fuiſſe converſam in Sanguinem.

Resp. *Diſt.* De Fide eſt, totum contentum, ſecundum ſuam Partem principalem, eſſe Sanguinem. *Conc.* etiam ſecundum Partem ſecundariam. *Nego.* Si enim miſceretur guttula olei, quæ in Sanguinem non tranſit, dici tamen cum Veritate poſſet, totum contentum, nempe principale, quod eſt Vinum, eſſe in Sanguinem verſum. De Fide eſt, totam Vini Subſtantiam eſſe converſam in Sanguinem; cum Subſtantia Vini ſit Pars præcipua, hinc dicitur, totam Subſtantiam, eſſe Sanguinem.

Objic. IV. Illud omne, quod eſt in 135
Calice, adorandum eſt: atqui eſt de Fide, non poſſe adorari Aquam, ſicut nullam creaturam: ergo de Fide eſt, non eſſe in Calice Aquam, conſequenter de Fide eſt, eam fuiſſe converſam in Sanguinem.

Resp. Adoratio dirigitur in id omne, quod eſt Sanguis Chriſti: conſequenter Populus non vult adorare, quod Sanguis non eſt. Dein conſtat ex Phyſica, in ipſo Sanguine contineri multum Aeris: & tamen non ſequitur, quod Chriſtiani, adorando Sanguinem, etiam Aerem adorare velint. Item Græci poſt Conſecrationem Calicis infundunt aquam calidam, & tamen Calix a Populo adoratur, quin Adoratio dirigatur ad aquam, vel aqua prohibeat adorationem ad Sanguinem directam.

CA-

CAPUT IV.

De Forma Euchariſtiæ.

136 Prætermiſſo hic, quippe jam Tom. præcedente confutato Proteſtantium Errore, quo Formam Verborum in Verbis *conſecratoriis* conſiſtere negant, tria præſertim inquirenda veniunt. 1. An Chriſtus conſecrando uſus ſit Verbis? 2. Quibus verbis a Sacerdote fiat Conſecratio, & quomodo illa verba a Sacerdote proferantur, an hiſtorice tantum, vel etiam enuntiative, & aſſertorie? 3. An ſolis Verbis Evangelicis, citra Invocationem Liturgicam Spiritus S. a Græcis uſurpatam, Vis transſubſtantiandi inſit?

§. I.

De Forma Conſecrationis a Chriſto adhibita.

137 Ex Hiſtoria Evangelica conſtat, Christum in ultima Cœna accepto Pane gratias egiſſe, benedixiſſe, fregiſſe, dixiſſeque: *accipite & manducate, Hoc eſt Corpus meum.* Similiter & Calicem &c. Sunt nonnulli, ut Innocentius III. Lib. IV. de Myſter. Miſſæ cap. VI. Durandus *Mimatenſis* Lib. V. de divin. Officiis cap. XLI. qui exiſtimarunt, Christum ſine ullis verbis, ſola

ſua

ſua Voluntate & Omnipotentia, Panem & Vinum in Corpus & Sanguinem ſuum convertiſſe, atque de Corpore ſic confecto dixiſſe, *hoc eſt Corpus meum.* Alii, ut Odo *Cameracenſis*, putant, Christum Benedictione conſecraſſe: ut jam ante prolationem horum verborum H. E. C. M. facta fuerit Converſio. Communis eſt Sententia, Christum his verbis, tanquam operatoriis, ſimul & enuntiaſſe, & effeciſſe, ſeu Panem transſubſtantiaſſe.

Resolutio. Christus his verbis Evan- 138
gelicis conſecravit: quamvis id de Fide non ſit.

Prob. I. ex PP. Tertullianus Lib. IV. contra Marcion. cap. XL. „ Acceptum „ Panem & diſtributum diſcipulis Corpus „ ſuum illud fecit, *Hoc eſt Corpus meum*, „ dicendo. „ Ambrosius de Sacram. Lib. IV. cap. IV. „ Conſecratio igitur quibus „ verbis eſt, & cujus Sermonibus? Domini JEſu. „ Joannes *Damaſcenus* Lib. IV. de Fide orthodoxa cap. XV. „ Sicut „ Deus dicendo: *fiat Lux*, fecit Lucem: „ ita dicendo: *Hoc eſt Corpus meum*, & „ *hic eſt Sanguis meus*, perfecit hoc Sacra- „ mentum. „

Prob. II. Idem fecit Christus, quod 139
faciunt nunc Sacerdotes; juſſit enim: ut hoc, quod viderant a Christo fieri, in ſui commemorationem facerent. Atqui Sacer-

cerdotes his verbis Evangelicis consecrant: ergo & Christus iisdem verbis consecravit, seu, transsubstantiavit.

140 Prob. II. Pars. Circa hanc quæstionem, tempore Concilii Tridentini in privatis Congregationibus agitatam, nihil Ecclesia definiit, contrariam nobis Sententiam Catharinus durante Concilio publicis Typis propugnavit, non damnatus propterea a Concilio: in utramque Partem disputat Salmeron, uterque Concilio præsens. Innocentius III. Durandus, aliique ante Concilium, diserte docuerant contrariam, nullius Erroris hoc in capite ab Ecclesia notati. Ergo de Fide non est, Christum verbis suis Panem convertisse.

141 Objic. contra I. Partem. Christus tunc consecravit Eucharistiam, dum *gratias agens benedixit*: atqui tunc non est usus verbis a nobis requisitis. Ergo absque verbis consecravit. *Maj. prob.* Post Benedictionem Christus jam testabatur, se Apostolis Corpus suum tradere: ergo per Benedictionem jam fuerat facta conversio.

Resp. Transeat *maj.* Nego *min.* Ajunt enim aliqui, in actuali Benedictione Christum usum fuisse verbis consecratoriis: *hoc est Corpus meum*, dicuntque, Evangelistas non servasse ordinem rei gestæ. Sed de hoc infra.

Resp. II. Nego *maj.* ad *Prob. dist. ant.* Post Benedictionem, tanquam præparationem quamdam ad futuram consecrationem, testatur, se Corpus suum præbere, tanquam jam prius per Benedictionem ex Pane conversum. *Nego ant.* Per ipsa verba: *Hoc est Corpus meum*, actu sub speciebus Panis præsens redditum. *Conc. ant.*

Objic. II. Idem videtur innuere Concilium Tridentinum Sess. XIII. cap. I. 142
„ Quotquot in Ecclesia Christi fuerunt,
„ apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima Cœna Redemptorem nostrum instituisse, cum post Panis Benedictionem se suum Corpus illis præbere, ac suum Sanguinem disertis verbis testatus est. „ Ergo ex mente Concilii Tridentini post Panis & Vini Benedictionem, jam fuit facta conversio, & verba, solum fuerunt testimonia factæ per Benedictionem conversionis.

Resp. Tridentinum Concilium non dicit, quod *statim* post Benedictionem, & *immediate* ante verba consecrationis fuerit Corpus Christi, quod tamen dicere debuisset, si cum Adversariis facere voluisset. Porro idem Concilium Sessione cit. cap. III. ait: „ Semper hæc Fides in Ecclesia Dei „ fuit, statim post consecrationem verum „ Domini nostri Corpus, verumque ejus „ Sanguinem existere. „ Jam autem verba Formæ: *Hoc est Corpus*, *hic est Sanguis*,

guis, vocantur communiter verba *Consecrationis*, non autem *Benedictionis*: igitur TRIDENTINUM Concilium per *Consecrationem*, intellexit verba Formæ, iisdemque Virtutem Transsubstantiationis adscripsit. Accedit, quod in Concilio FLORENTINO, in Disceptatione cum Græcis, sæpius fuerit repetitum, *Verbis Christi fieri Consecrationem*: ut adeo Verbis adjudicetur Consecratio.

143 OBJIC. III. Marcum cap. XIV. testari, Apostolos jam sumpsisse Eucharistiam, dum CHRISTUS pronuntiavit Verba: *Hoc est Corpus meum*, sic enim scribit: *& accepto Calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis. Hic est Sanguis meus &c.* Ergo Eucharistia erat consecrata ante Verba per solam Benedictionem, aut Christi Voluntatem.

RESP. cum D. THOMA III. Part. q. 78. art. 1. „ Videtur, quod Christus manifeste ea (Verba Formæ) proferens consecravit, & ideo alii dixerunt, quod Evangelistæ non semper eundem ordinem in recitando servarunt, quo res sunt gestæ, ut patet ex Augustino in Lib. de Conf. Evang. unde intelligendum est, ordinem rei gestæ sic exprimi posse: accipiens Panem benedixit dicens: *Hoc est Corpus meum*, & deinde fregit & dedit discipulis suis. Sed idem Sensus haberi potest, etiam verbis Evange-

licis

„ licis non mutatis: nam hoc Participium, „ *dicens*, concomitantiam quamdam importat verborum prolatorum ad ea quæ præcedunt. Non autem oportet, quod hæc „ concomitantia intelligatur ſolum reſpectu „ ultimi verbi prolati, quaſi Chriſtus tunc „ illa verba protulerit, quando dedit diſcipulis ſuis: ſed poteſt intelligi concomitantia reſpectu totius præcedentis; ut „ ſenſus ſit: dum benediceret, frangeret, „ & daret diſcipulis ſuis: hæc verba dixit: *accipite* &c. „ Hæc D. Thomas. Dein ſi Christus poſt ſumptionem pronuntiaſſet illa verba; tunc Apoſtoli ne quidem ſciviſſent, quid ſumerent, & ſic absque ulla Devotione, & Fide, Corpus Chriſti accepiſſent, quod non videtur vero ſimile.

Objic. IV. Christus cum Diſcipulis 144
cœnans in Emaus, conſecravit Euchariſtiam, ut judicat S. Augustinus Lib. III. de conſenſu Evang. cap. XXV. N. 72. & Serm. LXXXVII. de diverſ. Atqui ibi nullis uſus eſt Verbis; Lucas enim cap. XXIV. ita ſcribit: „ Et factum eſt dum recumberet cum eis, accepit Panem, & benedixit, ac fregit, ac porrigebat illis. Et „ cognoverunt eum in fractione Panis. „ Nulla hic mentio Formæ: ergo Christus verbis non fuit uſus.

Resp. Nego *min*. Silentium enim Scripturæ, quæ non ſemper omnia minutim

recenſet, id non evincit. Dici quoque poteſt, ipſam Benedictionem, quam narrat LUCAS, non fuiſſe ſine verbis, & fuiſſe eandem noſtram conſecrationem, ut multis placet.

145 OBJIC. V. contra II. Partem. EUGENIUS IV. in Decreto ad Armenos expreſſe definit: „ Forma hujus Sacramenti ſunt „ verba Salvatoris, quibus hoc *confecit* Sa„ cramentum. Sacerdos in Perſona Chri„ ſti loquens hoc conficit Sacramentum.„ Ergo hoc eſt de Fide.

RESP. De Fide eſt, quod verba CHRISTI ſint Forma: hoc enim unum volebat Pontifex decidere: non autem, quod CHRISTUS ipſis verbis confecerit Sacramentum in ultima Cœna. Porro in melioribus Editionibus non legitur: *confecit*, in præterito, ſed *conficit*, in præſenti, quod eſt veriſſimum; licet enim CHRISTUS non conſecraſſet verbis, Sacerdos tamen illa debet proferre, quia CHRISTUS juſſit ut facerent: & nunc CHRISTUS per Sacerdotem his verbis *conficit* Sacramentum.

§. II.

Quibus Verbis nunc facienda ſit Conſecratio.

146 Ex Proteſtantibus nonnulli, ut BUCERUS, neceſſe eſſe negant, ut ad Euchariſtiam conficiendam adhibeantur verba. CALVINUS re-

requirit quidem verba Inſtitutionis, non tamen ut conſecratoria, ſed concionalia, ad excitandam Fidem. LUTHERUS ait, nihil intereſſe, quænam adhibeantur verba; & hoc quidem conſequenter. Si enim Corpus CHRISTI eſt in Euchariſtia propter *Ubiquitatem*, nulla prorſus requiruntur Verba, quibus Pani jungatur, utpote eidem jam antea, uti rebus omnibus, præſens. De WALDENSIBUS ſcribitur, illos omiſſis CHRISTI verbis Orationem dominicam centies repetiiſſe.

Inter Catholicos certum eſt, Chriſti 147
Verba neceſſaria eſſe ad valorem: ſed quæ ſint illa præciſe, & quæ ſufficiant? non omnino conveniunt. Theologi COLONIENSES ſub HERMANNO Electore, deinceps Apoſtata, totum requirunt Miſſæ Canonem in ſuo Antididogmate. SCOTUS contendit, ſola quidem Verba Chriſti eſſe Formam conſecrationis, non tamen ſola ſufficere, quia, niſi addantur præcedentia, non ſatis determinatur, an Sacerdos de ſuo, vel Chriſti Corpore loquatur? Alii ſola, & omnia CHRISTI verba, ab Evangeliſtis commemorata, neceſſaria arbitrantur, ita, ut hæc addi neceſſario debeant: *accipite & manducate.*

De Forma conſecrationis Calicis præ- 148
cipua eſt in Scholis concertatio, an ad Subſtantiam & Valorem non ſufficiant hæc

ſola: *Hic eſt Sanguis meus*, ſed ſemper addi debeant etiam reliqua, ad deſignandam proprietatem, ſeu Effuſionem Sanguinis Chriſti, quam Sententiam a D. THOMA doceri, non nulli contendunt. Sed & cum Græcis in Concilio FLORENTINO agitabatur controverſia, an per Verba CHRISTI fiat conſecratio, vel potius, per Invocationem Spiritus S. liturgicam, quam poſt verba Inſtitutionis proferunt, precando, ut Spiritus S. deſcendat, & Dona propoſita transmutet in verum Chriſti Corpus. Faſſi ſunt autem Græci, ſolo forte MARCO *Epheſio* excepto, Verbis Chriſti fieri Transmutationem. De qua controverſia pluribus dixi in Diſſertatione *de orientalis & occidentalis Eccleſiæ Concordia in dogmate Transſubſtantiationis* Num. 110. ſeq. 115. 118. quorſum Lectorem remitto.

149 RESOLUTIO I. Euchariſtia conſecratur verbis Evangelicis, non autem aliis Precibus antecedentibus, vel ſubſequentibus. Comm. contra Græcos, paucosque Latinos. V. g. *Auguſtinum* TOUTTEUM Benedictinum, Editorem Operum S. CYRILLI Hieroſolymitani, cui videtur adſtipulari Cl. D. AMORT.

PROB. I. ex Concilio TRIDENTINO, quod Seſſ. XII. cap. III. docet, Chriſti Corpus exiſtere ſub ſpecie Panis, & Sanguinem ſub Vini ſpecie, *ex vi Verborum*: ergo non *ex vi Benedictionis*, vel Precum.

PROB.

Prob. II. ex Patribus, Tertulliano, & Damasceno ſupra N. 138. citatis, & ex D. Ambrosio de Myſteriis cap. IX. Num. 52. „ Quodſi tantum valuit huma- „ na Benedictio, ut naturam converteret; „ quid dicemus de ipſa conſecratione divina, „ ubi verba ipſa D. Salvatoris operantur? „ Idem Lib. IV. de Sacram. cap. IV. Num. 14. „ Sermo Chriſti hoc conficit Sacramen- „ tum. „ Ibidem Num. 19. „ Fit Sanguis „ conſecratione Verbi cœleſtis. „ Cap. V. Num. 23. „ Antequam conſecretur, Pa- „ nis eſt: ubi autem verba Chriſti acceſ- „ ſerint, Corpus eſt Chriſti. „ Idem Pater expreſſe diſtinguit Verba Chriſti a Verbis Evangeliſtarum, & Precibus Sacerdotis, atque ſolis Chriſti verbis vim conſecrationis attribuit. Nam Lib. de Myſteriis cap. IX. Num. 54. „ Ipſe clamat Do- „ minus Deus: *Hoc eſt Corpus meum:* an- „ te Benedictionem Verborum cœleſtium „ alia ſpecies nominatur; poſt conſecra- „ tionem corpus ſignificatur. „ Et Lib. IV. de Sacramentis cap. V. Num. 22. ait: „ Illa Verba Evangeliſtæ ſunt usque ad *ac-* „ *cipite*: inde Verba ſunt Chriſti. „ Cap. IV. Num. 14. „ Conſecratio autem qui- „ bus Verbis eſt, & cujus Sermonibus? „ Domini JEſu. Nam reliqua omnia, quæ „ dicuntur in Superioribus, a Sacerdote „ dicuntur, Laudes Deo conferuntur, ora- „ tio petitur pro populo, pro Regibus, „ pro ceteris. Ubi venitur, ut conficia- 150

„ tur venerabile Sacramentum, jam non ſuis „ verbis utitur Sacerdos, ſed utitur ſermo„ nibus Chriſti. „ Ita quoque AUGUSTINUS Serm. CCXXVII. olim LXXXIII. de diverſis. „ Panis ille, quem videtis in Al„ tari, ſanctificatus per verba Dei, cor„ pus eſt Chriſti; Calix ille, imo quod „ habet Calix ſanctificatum per Verbum „ Dei, Sanguis eſt Chriſti. „

151 PROB. III. præcipue contra Græcos ex PP. Græcis. JUSTINUS M. in Apologia I. olim II. Euchariſtiam conſecrari docet per Orationem Verbi: dein nominat Verbum Evangelicum: *Hoc eſt Corpus meum.* Ibidem dicit Euchariſtiam ea virtute perfici, qua per Verbum Dei caro factus eſt JEſus Chriſtus Salvator noſter. Ergo conſecratio non fit Verbis humanis, cujusmodi eſt Oratio invocatoria Spiritus Sancti. IRENÆUS Lib. IV. adverſus hæreſes cap. XXXII. ait, Chriſtum creaturam Panis in Corpus ſuum vertiſſe: dum dixit: *hoc eſt Corpus meum.* Et Lib. V. cap. 2. de Pane & Vino ait: Et percipientia Dei Verbum, „ Euchariſtia fiunt. „ CHRYSOSTOMUS homil. 2. in cap. 1. Epiſt. 2. ad Timoth. docet, eandem nunc in Euchariſtia fieri Oblationem, quæ fuit facta a Chriſto: „ Quem„ admodum enim Verba, quæ locutus eſt „ Chriſtus, eadem ſunt, quæ Sacerdotes „ nunc quoque pronuntiant; ita & obla„ tio eadem eſt. „ Atqui CHRISTUS verbis

bis conſecravit his: *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sanguis meus.* Ergo iisdem conſecrat quoque Sacerdos. GREGORIUS *Nyſſenus* Orat. 37. Catechet. de divinis Sacrament. „ Recte ergo nunc quoque Dei „ Verbo ſanctificatum Panem in Dei Ver„ bi Corpus credo transmutari. „

OBJIC. I. In Græcorum Liturgiis, quæ 152
videri poſſunt apud D. AMORT, poſt Verba Evangelica, quibus Transſubſtantiatio juxta Latinos fit, Sacerdos deprecatur, & invocat Spiritum S. ut Panem iſtum faciat Corpus Chriſti, & quod eſt in calice, pretioſum Sanguinem. Si autem Panis per Verba conſecrationis jam fuiſſet transſubſtantiatus; non poſſet Sacerdos orare, ut poſtea primum Panem faciat Corpus &c. Ergo non Verbis Evangelicis, ſaltem *ſolis*, ſed inſuper Oratione deprecatoria fit conſecratio.

RESP. *Diſt.* Invocat Spiritum S., ut fiat Corpus Chriſti *abſolute. Nego.* Hoc enim jam fit per Verba Evangelica. Ut fiat Corpus *in Salutem* ſumentibus, & non in Judicium. *Conc.* Sic enim habet Liturgia BASILII, cui fere conſonant reliquæ: „ Et Panem quidem hunc faciat Corpus „ ſanctum ipſius Domini Dei & Salvatoris „ noſtri JEſu Chriſti in Remiſſionem Pec„ catorum & Vitam æternam ei, qui illud „ percipit. „ Senſus eſt: rogat Sacerdos Spiritum S. ut quod jam vere eſt Chriſti

Corpus, *in Salutem* fiat, five, conducat ſumenti. Etiam Latini ante Verba Conſecrationis rogant, *ut nobis Corpus, & Sanguis fiat dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri JEſu Chriſti, qui pridie* &c. item ante ſumptionem rogant, ut *Corpus Chriſti non fiat nobis in Judicium & Condemnationem, ſed ad Salutem* &c. Ita fere reſpondebant Græci in Concilio FLORENTINO Seſſ. XXV. faſſi, ſolis Evangelicis Verbis fieri conſecrationem. Vid. dicta de Concordia Eccleſiæ &c. locis paullo ante citatis.

353 OBJIC. II. S. CYRILLUS Hieroſolymitanus Catech. XIX. Num. 7. ſoli invocationi Vim tuansmutandi tribuit. Sic enim ait: „ Panis & Vinum Euchariſtiæ, ante „ ſanctam adorandæ Trinitatis invocatio„ nem, nudus Panis & Vinum erat; in„ vocatione autem peracta, Panis fit Cor„ pus Chriſti, & Vinum Sanguis Chriſti. „ Item Catecheſ. XXI. Num. 3. „ Panis Eu„ chariſtiæ poſt invocationem Sancti Spi„ ritus non eſt communis Panis, ſed Cor„ pus Chriſti. „ Denique Catech. Myſt. V. N. 7. Ordinem Liturgiæ recenſens, ne quidem meminit verborum Evangelicorum, ſed poſt Hymnum, *Sanctus*, ſeu, Triſagion, ait: Poſtquam nosmet ipſos per „ has ſpirituales laudes ſanctificavimus, „ Deum benignum exoramus, ut emittat „ Sanctum Spiritum ſuper Dona propoſi„ ta, ut faciat Panem quidem Corpus Chri-

ſti,

„ sti, Vinum vero Sanguinem Christi. Omnino enim quodcunque attigerit Spiritus „ Sanctus, id sanctificatum & transmutatum est. Postquam autem perfectum est „ spirituale Sacrificium obsecramus „ Deum pro communi Ecclesiarum Pace „ &c. „ Alii quoque Patres ajunt, Eucharistiam consecrari per Preces & Orationem, uti JUSTINUS M. GREGORIUS *Nyssenus*, HIERONYMUS. Ergo &c.

RESP. Cum CYRILLUS Hierosolymit. Verba Evangelica omnino non referat, quæ tamen in omnibus Liturgiis Græcis inveniuntur, & certe saltem de Præcepto Christi sunt; sequitur, eum non plene describere totum Ritum, & Ordinem Liturgiæ. Imo videtur inde inferri posse, quod Invocatio Spiritus Sancti præcesserit Verba Evangelica. Græcis Florentiæ incognitus haud erat S. CYRILLUS Hierosolym. & tamen fassi sunt, Verbis dominicis adscribi ab ipsis Vim consecrationis.

RESP. II. Etiam Verba Evangelica: 154
Hoc est Corpus meum, implicite involvunt Invocationem Spiritus S. vel Trinitatis; adest enim tacita Invocatio, ut juxta CHRISTI promissionem ad prolationem Verborum dominicorum per Spiritus S. Virtutem Panis efficiatur Corpus Christi. Nam etiam de Forma Baptismi, quæ non est deprecatoria, dixit AUGUSTINUS Lib. V. de Baptis. „ Quomodo audit homicidam

 „ de-

„ deprecantem vel ſuper Aquam Baptiſmi,
„ vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam,
„ vel ſuper capitâ eorum, quibus manus
„ imponitur? „

155 Resp. III. Patres, dum dicunt Euchariſtiam Precibus conſecrari, loquuntur de toto Ritu Liturgiæ, quæ utique multis Precibus conſtat, quin tamen omnes ad Subſtantiam conſecrationis pertineant.

156 Objic. III. Patres Invocationem Spiritus S. diſtinguunt a Verbis Evangelicis, & utrisque ſimul vim conſecrationis adſcribunt. Ergo &c. *Ant. prob.* Basilius Lib. de Spiritu S. cap. XXVII. „ Invoca-
„ tionis verba in oſtenſione Panis Eucha-
„ riſtiæ & Poculi Benedictionis, quis San-
„ ctorum nobis ſcripto reliquit? non enim
„ his contenti ſumus, quorum Apoſtolus,
„ aut Evangelium mentionem facit, ſed &
„ ante, & poſt, alia dicimus, veluti ma-
„ gnum robur ad Myſterium habentia,
„ quæ ex doctrina ſcripto non prodita ac-
„ cepimus. „

Resp. Baſilium agere de toto Ritu Liturgiæ, & modo conſecrationis *licitæ*, ubi tam antecedentia, quam ſubſequentia de Præcepto graviſſimo Eccleſiæ requiruntur. Non autem loquitur de *eſſentialibus*: ſecus ſequeretur, etiam Orationes conſecrationem præcedentes, eſſe ſubſtantialiter neceſſarias, quod ne ipſis quidem Græcis pla-

placet. Dum vero ait, Preces illas magnum habere Robur ad Myſterium; intelligi debet, quod habeant virtutem impetrandi *ex opere operantis* per Preces & Merita Eccleſiæ: vel quod habeant vim ſignificandi. Denique BASILIUS agit contra EUNOMIUM, qui negabat Divinitatem Spiritus S. quia non clare continetur in S. Scriptura; ideo probat, multa in Eccleſia credi, & fieri, quæ ſcripta non ſunt, ſed ſola Traditione ad nos pervenerunt.

RESOLUTIO II. Ad valorem conſecra- 157
tionis Panis, ſufficiunt, & requiruntur iſta: *Hoc eſt Corpus meum.* Ad conſecrationem Vini: *Hic eſt Sanguis meus.*

Prima pars, conceſſa fere ab omnibus, conſtat ex eo; quia verba præcedentia, non ſunt CHRISTI, ſed Evangeliſtæ, vel Eccleſiæ. Atqui conſecratio fit Verbis Chriſti. Ergo illa ad Subſtantiam non pertinent.

PROB. II. Pars. Illa verba ſufficiunt ad 158
conſecrationem, quibus ſolis concors PP. ſententia vim tranſſubſtantiandi attribuit: atqui his verbis: *Hoc eſt Corpus meum*, Patres attribuunt vim Tranſſubſtantiationis. Ergo. *Min. prob.* JUSTINUS M. Apolog. II. „ Apoſtoli in commentariis ſuis, quæ „ Evangelia dicuntur, ita ſibi JEſum præ„ cepiſſe tradiderunt, cum accepto pane „ gratias egiſſet, dixiſſe: *hoc facite in mei*

me-

„ *memoriam*: *Hoc eſt Corpus meum*: dixiſ„ ſe etiam accepto poculo: *hic eſt Sanguis* „ *meus*, ipſisque ſolis dediſſe. „ Author Serm. de Cœna Domini inter Opera Cypriani: „ Ex quo a Domino dictum eſt: „ *hæc eſt Caro mea*, *hic eſt Sanguis meus*, „ quotiescunque his verbis, & hac fide „ actum eſt; Panis iſte ſuperſubſtantialis, „ & Calix Benedictione ſacratus, ad to„ tius hominis vitam ſalutemque proficit. „ Gaudentius *Brixienſis* Tract. II. de Exodo: „ Cum Panem conſecratum & vinum „ diſcipulis ſuis porrigeret, ſic ait: *Hoc* „ *eſt Corpus meum*: *hic eſt Sanguis meus*. „ credamus cui credimus. „

159 Prob. III. Hæc Verba: *Novi & æterni Teſtamenti*, *Myſterium Fidei*. 1. Non reperiuntur in omnibus Liturgiis, præcipue Eccleſiæ Græcæ; & tamen ibidem conſecratio valet. 2. Illa Verba: *qui pro vobis effundetur*, non ſunt de Eſſentia: nam etſi Corpus *tradendum* Christus conſecraverit: hæc tamen Verba, *quod pro vobis tradetur*, non ſunt de Eſſentia Formæ conſecrationis Panis. Ergo etiamſi Chriſtus conſecraverit Sanguinem *effundendum*; Effuſio non pertinet ad Eſſentiam. 3. D. Thomas III. Parte quæſt. 78. art. I. ad 4. expreſſe docet: ſi Sacerdos ſola verba prædicta: *hic eſt Calix Sanguinis mei*, proferret, cum intentione conficiendi hoc Sacramentum; perficeretur hoc Sacramentum. 4.

Illa ſola verba ſunt de Eſſentia conſecrationis, quibus habetur practica ſignificatio realis Præſentiæ CHRISTI ſub ſpeciebus Vini, a pari de conſecratione Panis; atqui per hæc ſola, habetur practica ſignificatio realis præſentiæ Sanguinis, eoquod *vi horum verborum* ſub ſpeciebus Vini Sanguis CHRISTI ſiſtatur præſens. Ergo &c.

OBJIC. I. Niſi in conſecratione Panis 160
addantur verba præcedentia: *qui pridie quam pateretur* &c. tunc forma non eſt determinata; quia neſcitur, an Sacerdos de ſuo potius, quam Chriſti corpore loquatur. *Ergo* &c.

RESP. Nego, Formam non eſſe determinatam ſine illis verbis; determinatur enim per Intentionem Sacerdotis, qui vult, & debet agere in Perſona Chriſti. Determinatur etiam per circumſtantias; non enim ſuper ſuum Corpus, ſed ſuper Panem dicit: *Hoc eſt Corpus meum.* Neque etiam habet Poteſtatem, Panem in Corpus ſuum proprium transſubſtantiandi.

OBJIC. II. Chriſtus conſecrando Cor- 161
pus etiam addidit: *quod pro vobis tradetur*: ergo adhuc addi debet.

RESP. Diſt. Chriſtus addidit illa verba ad deſignandum Effectum ſacramentalem, qui eſt Traditio ad ſumptionem: vel ad denotandum Sacrificium cruentum in Cruce paullo poſt immolandum. *Conc.* ad de-

designandam realem Præsentiam. Nego. Hoc, non illud, est de Essentia Formæ.

162 Objic. III. Juxta Decretum ad Armenos, *Forma consecrationis sunt verba Salvatoris, quibus confecit Sacramentum.* Atqui apud Matth. XXVI. his verbis Christus consecravit Calicem: *Hic est Calix Sanguinis mei novi & æterni Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ergo etiam hæc pertinent ad Essentiam Formæ.

Resp. *Retorq.* In consecratione Panis Christus etiam dixit: *quod pro vobis tradetur*, quin Adversarii hæc verba ad Substantiam Formæ pertinere arbitrentur. 2. Decretum non ait, quibus *confecit*, sed *conficit.* 3. *Dist.* Christus usus fuit illis verbis, ad designandam realem Præsentiam sui Sanguinis, quod unice necessarium est ad Substantiam Formæ. *Nego.* ad designandam *Efficaciam* sui Sanguinis, & forte etiam ad rationem Sacrificii. *Conc.*

163 Objic. IV. Forma consecrationis debet significare Sanguinem Christi, non simpliciter tantum, sed prout est *effusus* in Passione; quia Sanguinem suum non dedit simpliciter, sed cum Passione, & separatum a corpore: sicut ergo Prædicatum, *Sanguis*, est de Essentia, ita etiam determinatio Prædicati, seu, To *effusus.*

Resp.

Resp. Retorq. Etiam Corpus debet ſignificari, ut *traditum*, nec tamen ejus expreſſio ad Subſtantiam requiritur. Igitur Sanguinis effuſio non pertinet ad Rationem eſſentialem & Præſentiam realem: ergo neque ad Eſſentiam Formæ. Eſt igitur Prædicatum reſpectu Præſentiæ realis tantum accidentale: de Eſſentia autem Sacramenti eſt ſola realis Præſentia.

Objic. V. Christus Euchariſtiam inſtituit non ſolum in ratione *Sacramenti*, ſed etiam *Sacrificii*: ergo Forma debet etiam ſignificare Subſtantiam Sacrificii: niſi autem exprimatur *Effuſio Sanguinis*, non deſignatur Subſtantia Sacrificii: ergo niſi addantur illa verba: *qui pro multis effundetur*, non habetur Ratio Sacrificii. 164

Resp. I. Dicunt nonnulli, Euchariſtiam poſſe conſecrari in ratione Sacramenti, quin ſit Sacrificium, quamvis id haud liceat; ſi enim aliquis ſolum Vinum conſecraret, totus Christus, & Sanguis, eſſet per concomitantiam præſens: non eſſet autem Sacrificium; quia ad hoc requiritur, ut *Vi verborum* habeatur ſeparatio Sanguinis a Corpore.

Resp. II. *Tranſ.* quod exprimenda ſit 165
Ratio Sacrificii; dico, Sanguinis Effuſionem per hoc exprimi, quod *Vi verborum* Sanguis ſeparatim ponatur a Corpore, ſicque myſtica Sanguinis ſeparatio & Effuſio habeatur.

Ob-

166 Objic. VI. D. Thomas III. Part. quæst. 78. art. III. ait, etiam verba, quæ sequuntur, „ esse substantialia Sanguini, prout „ in hoc Sacramento consecratur; & ideo „ oportet, quod sint de Substantia Formæ. „ Hinc cum Card. Cajetanus in Commentar. ad Summam D. Thomæ contrariam Divo Thomæ amplexus fuisset sententiam; Pius V. in editione Romana operum Cajetani istam sententiam jussit expungi.

Resp. *Dist.* Sunt de Substantia, ad designandam, expressione verborum, Christi Passionem & Sanguinis Effusionem. *Conc.* Ad designandam realem Præsentiam, quæ sola est essentialis. Nego. Vel est essentiale in Ratione Sacrificii, non autem Sacramenti. Probabilius videtur, D. Thomam loqui de *Substantia Integritatis*, non autem *Essentiæ*. Sic Manus & Pes pertinet ad Substantiam Integritatis Corporis humani, non autem ad Essentiam hominis. Pius V. dum jussit expungi Commentarium Cajetani, non fecit hoc ad definiendam hanc Scholæ controversiam, sed, quia ipsi parum decere visum fuerat, Cajetanum, qui D. Thomæ susceperat mentem explicandam, de tanto Doctore non ea, qua par est Reverentia loqui. Ita Benedictus XIV. de Sacrif. Missæ pag. m. 173.

§. III.

§. III.

Quomodo Verba Conſecrationis a Sacerdote proferantur?

Poteſt aliqua propoſitio tripliciter proferri. 1. *Narrative*, *hiſtorice*, ſeu, ut ajunt, *materialiter*, quando non ex propria, ſed alterius loquentis mente id præciſe refert, quod alius enuntiavit, ut: *antiqui Patres quidam dixerunt*, *Angeli ſunt corporei*. ARISTOTELES *dixit*: *mundus eſt ab æterno*. Quod non ego affirmo, ſed illos affirmaſſe narro. 2. *Aſſertive*, ſeu, *formaliter* & *ſignificative*, dum affirmo, rem eo modo ſe habere, ut verba ſonant: E. g. dum enuntio: ARISTOTELES *erravit docendo, mundum eſſe ab æterno*. 3. *Authoritative*: dum verba quidem proferuntur aſſertive, non tamen Nomine proprio, ſed alieno, ut, dum Procurator Nomine Principalis cum Sponſa contrahens Matrimonium, conſentit, ſed tantum nomine ſui Principalis: dicendo: *accipio te in meam*: Quonam ex his tribus Modis proferantur verba Eucharistiæ, controvertitur. Quidam, ut INNOCENTIUS III. Lib. IV. de Myſterio Miſſæ, DURANDUS, PICUS Mirandulanus, MAJOR, CATHARINUS, SALMERON, AMORT, volunt, ea ſolum proferri narrative, hiſtorice, referendo, quod CHRISTUS in ultima Cœna geſſit, dixitque. Alii Scholaſtici docent, ea proferri ſolum aſſertive, ſeu, formali- 167

ter, & significative. Communis cum D. Thoma sentit, utroque modo verba Formæ proferri.

168 Resolutio. Verba Formæ proferuntur non tantum *historice*, sed *assertive*, & *authoritative*.

Prob. I. Ex iis omnibus, quibus in tractatu de Sacramentis in genere Formas Sacramentorum consecratorias esse ostendi.

169 Prob. II. Authoritate & Ratione D. Thomæ III. Part. quæst. 78. art. V. „ Quidam dixerunt, quod ista locutio: *Hoc est Corpus meum*, sumatur materialiter, „ cum recitative proferantur. Sed hoc „ stare non potest, quia secundum hoc „ verba hæc non applicarentur ad materiam corporalem præsentem (sed solum „ ad Panem, qui in ultima Cœna Christo „ præsens erat) & ita non perficeretur „ Sacramentum, manifestum est, quod non „ materialiter, sed significative (a Christo) „ sumebantur: & ideo dicendum est, quod „ etiam quando proferuntur a Sacerdote, „ significative, & non tantum materialiter „ sumuntur. „ Hæc D. Thomas.

Prob. III. Jam supra ex PP. probatum fuit, Christi Verba esse *operatoria*, & vim habere transsubstantiandi: quod de verbis historice prolatis dici non potest.

Prob.

PROB. IV. Si Verba Formæ profer- 171
rentur *historice*, & tamen fieret Consecratio; manifeste sequeretur, etiam illum Sacerdotem consecrare, qui vel Neomystam instruens canonem recitat, vel ad mensam claustralem Evangelicam Historiam ultimæ Cœnæ legit: quod falsissimum est.

PROB. V. Certum est ex SS. PP. & De- 172
creto EUGENII IV. ad Armenos, Sacerdotem ea verba non proferre in Persona propria, sed Christi: si autem tantum proferret *historice*; tunc nomine suo, vel ad summum nomine Evangelistæ illa recitaret: sicut fit, dum quis extra Sacrificium de Forma consecrationis loquitur. Sic autem ait EUGENIUS: „ Forma Sacramenti Eu„ charistiæ sunt verba Salvatoris, quibus „ conficit hoc Sacramentum, nam ipsorum „ verborum Virtute Substantia Panis in „ Corpus Christi convertitur. „

PROB. VI. Quamvis Verba Baptismi, 173
dum dixit CHRISTUS Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris & Filii & Spiritus S.* possint proferri historice, sic tamen prolata, non forent Forma Sacramenti, nec producerent Effectum, sed debent proferri *assertive* & authoritative, dicendo: *ego te baptizo* &c. Ergo etiam verba Formæ Eucharistiæ quamvis possint historice recitari, sic tamen recitata, non habent vim, nec Effectum

Transſubſtantiationis, ſed tunc, quando a Sacerdote in Perſona Chriſti dicuntur *authoritative.*

174 Prob. VII. Formæ Sacramentorum id ſignificant, quod efficiunt, & ſimul id efficiunt, quod ſignificant: ergo & iſta verba, tanquam Forma Sacramenti Euchariſtiæ, id ſignificant, quod efficiunt: atqui non ſignificarent, quod efficiunt, nempe Transſubſtantiationem, niſi ſumantur aſſertive. Ergo &c.

175 Prob. VIII. Si Verba Euchariſtiæ ſolum proferrentur *hiſtorice*; ſequeretur, Formam hanc vere eſſe concionatoriam, quod eſt contra Catholicos.

176 Objic. I. Innocentius III. loc. ſupra cit. ſcribit: „ Quæritur, quid demonſtra„ verit Chriſtus, cum dixit: *Hoc eſt Cor„ pus meum.* Ab hujus quæſtionis laqueo „ facile ſe abſolvit, qui dicit, quod Chri„ ſtus tunc confecit, cum benedixit. Si „ opponatur, quis tunc conſecrat, cum „ Sacerdos illa verba pronuntiat? reſpon„ detur, quod Sacerdos nihil demonſtrat, „ cum illis verbis non utatur enuntiative, „ ſed recitative. „

Resp. Innocentius dum hæc ſcripſit, nondum erat Pontifex, ſed tantum Author privatus, qui non conſtituit locum theologicum. Poteſt etiam dici, quod potius alio-

aliorum Opinionem referat, quam ſuam adſtruat.

Objicit II. Durandus: ſi verba conſecrationis Calicis ſumerentur aſſertive; tunc eſſent falſa: hoc dici nequit. *Ergo.* Prob. *ſequel. maj.* In ſecunda Conſecratione dicitur: *Hic eſt Calix Sanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur.* Atqui falſum eſt, Sanguinem Chriſti adhuc eſſe effundendum. *Chriſtus enim reſurgens a mortuis, jam non moritur.* Ergo &c. 177

II. Vel Sacerdos profert Formam nomine ſuo, in Perſona propria, vel in Perſona Chriſti? Neutrum bene dicitur: ſi enim ſuo nomine; tunc falſum eſt To *mei*, non eſt enim Sanguis Sacerdotis: ſi in Perſona Chriſti; tunc falſum eſt To *effundetur.* Quippe qui non amplius effundetur. Chriſtus enim non patietur amplius. 178

Resp. ad I. In Græco habetur: *qui effunditur*, ἐκχυνόμενον. Ita quoque Verſio Syriaca, & Erasmi Roterodami permiſſa. Arias *Montanus* vertit: *qui pro vobis effuſus.* Et ſic quoque legit S. Ambrosius Lib. V. de Sacram. cap. VI. „Si quotiescunque *effunditur* Sanguis, in Remiſſionem peccatorum funditur, debeo illum ſemper accipere.„ Et ibidem ait ſe in Forma conſecrationis legiſſe, qui *effunditur*: & ſic objectio corruit. Nam & de 179

Corpore Christi dicit Lucas cap. XXII. quod pro vobis *datur*, *traditur*. Legunt, *frangitur*, διδόμενον.

180 Resp. II. Cum Forma Eucharistiæ essentialis hoc unum intendat, ut significet, & efficiat, realem Præsentiam Sanguinis Christi, dici potest, quod illa verba: *Hic est Sanguis meus*, eam sufficienter demonstrent, quæ proinde a Sacerdote in Persona Christi *assertive* & *authoritative* proferuntur: verba vero consequentia, cum ad Essentiam Formæ non pertineant, forte proferuntur *recitative*.

181 Resp. III. Sensus Formæ est: *Hic est Sanguis meus confirmans novum Testamentum, effusus*, vel *qui effunditur pro vobis & pro multis*, id est, *pro omnibus*, vel pro multis *utiliter*; quia non omnibus, uti indigne sumentibus, prodest ad salutem, sed potius ad Judicium & condemnationem &c. *in Remissionem peccatorum*. Hoc sensu nihil falsi est in Forma; quam Sacerdos non tantum *historice*, sed *assertive*, Nomine, & in Persona Christi profert. Nam adhuc hodie Sanguis Christi effunditur *mystice*, dum *Vi Verborum* separatim ponitur a Corpore, & sic mystice a Corpore separatur.

182 Resp. ad II. Sacerdos utroque modo, nempe in Persona propria, & sic recitative & historice; & in Persona Christi,

&

& ſic Aſſertione authoritativa Formam profert; nam in commemorationem Chriſti hoc facit, quotieſcunque facit.

OBJIC. III. PICUS *Mirandulanus* in Apolog. X. Si Forma Calicis proferretur *aſſertive*; tunc Sacerdos ſignificaret, Sanguinem Chriſti non effundi pro ſe, quia dicit in Forma, *qui pro vobis & pro multis.* Atqui hoc nequit admitti. &c. 183

RESP. *Diſt.* Si Sacerdos aſſertive in Perſona propria hoc diceret, *Conc.* ſi hoc dicat in Perſona Chriſti. *Nego.* Sic enim inter *multos*, ſive, *omnes*, etiam ipſe ut Perſona propria comprehenditur.

OBJIC. IV. CATHARINUS in ſpeciali opuſculo de verbis conſecrationis. 1. Chriſtus non conſecravit per hæc verba: *Hoc eſt Corpus meum*, ſed per Benedictionem præviam, vel Invocationem. Ergo nec modo fit conſecratio per verba aſſertive prolata. 2. Quando Deus vult ſignificare converſionem unius in aliud, non utitur verbis demonſtrativis, ſed præceptivis. E. g. *fiat Lux: producat terra herbam virentem* &c. Ergo etiam in converſione Panis non uſus eſt verbis aſſertive prolatis, ſed imperativis: *Panis hic fiat Corpus meum.* 3. CHRISTUS dum convertit Aquam in Vinum, & multiplicavit Panes, non fuit uſus verbis, ſed ſimplici Benedictione & voluntate Omnipotentiæ. Ergo a pari. 4. Si 184

verba pronuntiarentur *assertive*, tunc Ecclesia Græca erraret, cum post verba Evangelica invocat Spiritum S. ut Panem efficiat Corpus Christi: sed hoc nequit dici. Ergo &c.

Resp. ad I. Nego ant. ex Num. 138.

Resp. ad 2. Deus non eodem semper modo patrat Miracula, quandoque cum, quandoque sine verbis: nec potest Catharinus Legem Deo ponere, ut sine verbis demonstrativis, quæ tamen *practica* sunt, Panem in Corpus suum convertat. Itaque tota Ratio ex liberrima Dei voluntate repeti debet: Nobis sufficit, quod Evangelium & PP. pro nostra Sententia perorent.

Resp. ad 3. eodem modo, & retorqueo: ergo nullum Miraculum patravit Verbis? Quid est enim illud: *Lazare veni foras. Mulier remittuntur tibi peccata: tolle grabatum tuum, & ambula.* &c. P. Salmeron Tom. IX. Tract. XII. cum bene multis defendit, Christum in Benedictione semper usum fuisse verbis. Meretur ibidem legi.

Resp. ad 4. Errarent Græci, si putarent, illa Invocatione fieri conversionem Panis in Corpus, tanquam Panis non fuisset conversus per Verba Evangelica. *Conc.* Si intelligant tantum, ut Corpus Christi fiat *in Salutem* sumentibus. *Nego.* Vid. Num. 152.

185 Objic. V. P. Salmeron in utramque Partem disputans, præter Argumenta priora

ra etiam hæc addit. 1. Forma Sacramentorum debet ſignificare, quod in Sacramento efficitur. Sed hæc verba: *Hoc eſt Corpus meum*, non ſignificant converſionem Panis in Corpus, ſi ſumantur aſſertive, ſed jam converſum teſtantur. Ergo. 2. To eſt, vel ſumitur proprie pro exiſtere, vel improprie pro fieri, vel contineri? Si primum; tunc Forma nihil efficit, ſed effectum ſupponit. Si alterum; tunc aliquid falſi denotat, quia dicerem: *Hoc eſt Corpus meum*, quod nondum eſſet, ſed *fit* per prolationem integræ Formæ. 3. Christus in aliis Sacramentis non eſt uſus verbis, quæ ſuis præſcripſit Miniſtris: nam dicit: *Confide Fili, remittuntur tibi peccata tua*: Apoſtolos ordinavit Sacerdotes, juxta omnium Doctorum Sententiam, dum dixit in ultima Cœna: *hoc facite in meam commemorationem*. His vero verbis non ordinant Epiſcopi. Ergo &c. 4. Illa Sententia potius eſt amplectenda, quæ minoribus eſt involuta Difficultatibus, atqui hæc &c. Ergo &c.

Resp. Ipſe Salmeron ait, hanc Sententiam non eſſe tutam poſt Concilium Florentinum. Ad 1. Senſus Formæ eſt hic: *Hoc totum*, ſeu, *Subſtantia*, *quæ ante Prolationem eſt Panis*, *per Formæ Conſummationem fit*, ſeu, *practice eſt Corpus meum*. Legatur D. Thomas III. Part. quæſt. 78. art. V. ubi de Senſu Verborum Formæ agit. Itaque ſi verba hæc ſolum forent *ſpecula-*

tiva; tunc procederet Argumentum: sunt autem *practica*, quæ non solum *demonstrant*, sed etiam efficiunt Corpus Christi, in quod Panem convertunt. Hinc si Deus in actuali Creatione ADAMI dixisset: *Hoc est corpus hominis*; utique verum fuisset, etiamsi tunc primum *fieret*. Factum est autem in instanti, sicut conversio Panis in Corpus instantanea est.

RESP. ad 2. Τὸ *est*, sumitur *practice*, modo nunc explicato.

RESP. ad 3. *Trans. ant.* nego *cons.* Cujus improbabilitas constat ex dictis, & sufficit, quod habeamus Præceptum Christi, utendi verbis consecratoriis; *hoc facite* &c. Insuper nego *ant*. Nam verba: *Remittuntur tibi peccata*, habent eundem sensum: *ego te absolvo*. Item, CHRISTUS sæpius Effectum Sacramenti contulit extra Sacramentum, uti ibidem contigit.

RESP. ad 4. *Dist.* Si simul etiam majorem habeat verisimilitudinem, & tuta sit. *Trans.* Secus. *Neg.* Possunt etiam in nostro Systemate Difficultates congrue solvi, ut ostendi.

CAPUT V.

De Proprietatibus Eucharistiæ.

§. I.

De Adoratione Eucharistiæ debita.

186 *Eucharistia* spectari potest vel quoad *Corpus* CHRISTI, præsumendo a *speciebus*: vel quoad

quoad *species* solas, vel quoad *utrumque*, nempe corpus sub speciebus existens. Quoad *primum* adorari posse, & debere, quoad *alterum* non posse, indubitatum est: de *tertio* contra CALVINIANOS agendum.

Est autem *Adoratio* propria, & *latreuti-* 187
ca, Actus Religionis, isque vel *internus*, vel *externus*. *Internus*, est Actus *Intellectus* Fide edocti, quo Deum agnoscit, supremum Rerum omnium Dominum; & *Voluntatis*, quo se ei, ut Domino supremo, submittit: *Exterior* consistit in signis quibusdam, quibus hanc internam Animi sui subjectionem profitetur, quae varia esse possunt, & ab Intentione interna determinari debent. Praecipua sunt genuflexio, vel pronus in terram procubitus, cujus passim in Scriptura Sacra extant Exempla. Quandoque fit stando, ut Angeli stantes ante Deum, & Reges illi, de quibus Isaias XLIX. 7. & Christiani jam olim TERTULLIANI tempore a Paschate usque ad Pentecosten, stabant, item diebus Dominicis: quod nunc quoque in usu est. LUTHERANI hoc in Puncto haud satis inter se conveniunt, an Eucharistiae in actuali Usu (nam extra sumptionem negant CHRISTI Praesentiam) Adoratio competat? affirmantibus quibusdam, negantibus aliis: CALVINIANI autem eam tanquam Idololatriam in nobis damnant.

Resolutio. Christus ſub ſpeciebus exiſtens, adorari poteſt, & debet. *Catholici omnes.*

Prob. I. Chriſtus adorari poteſt, & debet, cum ſit verus Deus, uti ſuppono e Prælect. *de Incarnatione*: atqui in Sacramento Altaris Christus ſub ſpeciebus Panis præſens eſt: ergo poteſt, & debet adorari.

188 Prob. II. Christus in terris ambulans, in aſſumpta natura humana, adorari poterat, neque ille hunc cultum, ſibi ſæpius delatum, unquam inhibuit: atqui idem Christus eſt ſub ſpeciebus. Ergo &c.

189 Prob. III. Caro Chriſti adoranda eſt, quod probant PP. Augustinus & Ambrosius ex hoc loco Pſalm. XCVIII. *Adorate Scabellum Pedum ejus.* Per ſcabellum, intelligitur Terra. Pſalm. LXVI. 10. non poteſt autem adorari Terra, niſi in Corpore Chriſti; quod cum ſit vere humanum; e Terra eſt. Vid. Augustinus in Pſalm. XCVIII. & Ambrosius Lib. III. de Spiritu S. cap. XI. Id ipſum ex Patribus, & Scriptoribus Græcis, eorumque Liturgiis oſtendi in *Eccleſiæ orientalis & occidentalis Concordia* Num. 128. ſeq. quæ hic exſcribere non vacat.

190 Objic. Calviniani cum Dallæo. I. Apoſtoli in ultima Cœna non *adorarunt* Eu-

Euchariſtiam, ſed tantum *ſumpſerunt*: nec etiam, ut adorarent, juſſi ſunt. Ergo &c.

Resp. Nego *ant*. Cum enim Apoſtoli crediderint, Christum in Euchariſtia præſentem; illum haud dubie interno latriæ Actu adorarunt. *Veri* anim *adoratores*, ut Chriſtus inquiebat, *adorant in ſpiritu & veritate*.

Objic. II. Iconolatræ Exemplo Eucha- 191
riſtiæ utuntur ad probandum cultum Imaginum. Atqui Imaginibus negabant Cultum *Latriæ*. Ergo etiam Euchariſtiæ.

Resp. Ne Iconomachi quidem cultum latreuticum Euchariſtiæ negabant, æquiores hodiernis Calvinianis. Vocabant quidem eam *Imaginem*, ſed Divinitati conjunctam. Catholici econtra negabant, Euchariſtiam poſt conſecrationem congrue poſſe dici *Imaginem*, utpote quæ ſit ipſa Res. De mente Iconomachorum pluribus dixi in allegata Diſſertatione *de Eccleſiæ orientalis & occidentalis Concordia* Num. 58. ſeqq. Tria tunc in diſceptationem venerant. 1. An Materia ita vilis eſſet, ut ſit omni cultu indigna? 2. An detur cultus aliquis *relativus*? 3. An latreutico minor? Atqui hæc tria probabant Catholici Exemplo Euchariſtiæ, 1. quia in Euchariſtia adoratur Corpus Chriſti, quæ eſt Materia. 2. quia non adoratur, niſi propter unionem cum Verbo. 3. quia etiam ipſum Sacramentum, ſeu, ſpecies, ſeparatim a Corpore

pore Christi spectatæ, cultu quodam minore dignæ sunt, uti revera faciunt Græci, venerando Dona ante consecrationem, utpote ad Sanctificationem proxime destinata.

192 OBJIC. III. CYRILLUS Alexandrinus arguit NESTORIUM Idololatriæ, quod Christi Humanitatem adoraret. Ergo &c.

RESP. NESTORIUS cum Catholicis Eucharistiam adorabat; at quia *accidentalem* solum unionem, & non *substantialem* in CHRISTO propugnabat. Hinc illum Idololatriæ arguit CYRILLUS, quippe qui cultum suum ad Personam Christi *humanam* dirigebat. Nos autem adoramus CHRISTUM, quem Personam divinam esse credimus, divinam & humanam Naturam habentem. Cumque per unionem hypostaticam fiat communicatio Idiomatum in *concreto*, sitque homo Deus, & Deus homo; hinc Adoratio latreutica CHRISTO summo jure debetur.

§. II.

De Necessitate Eucharistiæ.

193 RESOLUTIO I. Eucharistia non est necessaria necessitate *Medii*.

PROB. I. Ecclesia quovis tempore credidit, Parvulos, si immediate post Baptismum decedant, fore salvos, etiamsi Eucharistiam non recepissent; quia Baptismo sim-

ſimpliciter promittitur vita æterna. Marc. XVI. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*.

PROB. II. Si CHRISTUS voluiſſet Eucha- 194
riſtiam eodem modo neceſſariam, ut Baptiſmum; debuiſſet omnibus ejus conficiendæ dare Poteſtatem, quemadmodum adminiſtrare Baptiſmum in caſu neceſſitatis omnes poſſunt: ſecus plurimi, etiam Fidelium Liberi, Remedio illo neceſſario carere contingeret. Atqui non omnibus dedit Poteſtatem Euchariſtiam conficiendi, ſed ſolis Sacerdotibus, ut inferius oſtendam. Ergo &c.

PROB. III. Si Parvulis neceſſaria foret 195
Euchariſtia; tunc vel ad conſequendam primam Gratiam, vel ad eam conſervandam? Non 1. quia eam conſequuntur per Baptiſmum, quo perfecte regenerantur. Non 2. quia Gratia non amittitur ſine Peccato, cujus Parvuli ſunt incapaces, Defectu Libertatis & Judicii. Patres, qui hanc ſententiam uno ore docent, paſſim apud Dogmaticos legi poſſunt.

OBJIC. I. Eccleſia primæva per plura 196
Sæcula ipſis etiam Parvulis, Euchariſtiam miniſtravit. Ergo judicavit illam neceſſariam.

RESP. Fuiſſe rem *Diſciplinæ*, non Neceſſitatis. Quando enim aliqui fuerunt bapti-

ptizati a Laicis in casu necessitatis, non poterant tunc communicari Eucharistia. Hinc ait TRIDENTINUM: „ Ut enim san„ ctissimi illi Patres sui facti probabilem „ causam pro illius temporis Ratione ha„ buerunt, ita certe eos nulla salutis ne„ cessitate id fecisse, sine controversia cre„ dendum est. Ratio autem illa, fuit „ Augmentum gratiæ.

197 OBJIC. II. Ex hoc Textu: *nisi quis fuerit renatus* &c. *non potest introire in Regnum Dei*, probatur Necessitas Medii pro Baptismo: ergo etiam ex hoc: *nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*, probatur Necessitas Medii pro Eucharistia.

RESP. Nego *cons.* *Disp.* est; quia textus prior, est generalior, dum dicit, *nisi quis* &c. ubi *omnes* comprehenduntur. Posterior, est restrictus ad solos Auditores: *nisi manducaveritis* &c. atque adeo ad Adultos; Parvuli enim non erant Auditores illius Sermonis. Ratio ulterior Discriminis est; quod sine Baptismo, saltem in Voto, non possit remitti Peccatum originale, & acquiri Gratia prima, sine qua ad Salutem & vitam æternam non datur Aditus: econtra sine Eucharistia, illa potest obtineri & acquiritur per Baptismum. Denique potest dici, CHRISTUM loqui de manducatione vel *in re*, vel saltem *in voto* implicito necessaria, quod habet baptizatus quisque,

que, adimplendi Præcepta omnia, & adhibendi Media ordinaria a CHRISTO præſcripta.

OBJIC. III. Patres, dum diſputant con- 198
tra Pelagianos, qui fictitium quoddam Diſcrimen inter Regnum Cœlorum, & Vitam æternam, invenerant, ex hoc textu probarunt, nec Vitam æternam haberi poſſe in Parvulis, *niſi manducaſſent carnem filii hominis*: ergo putabant, neceſſitate Medii etiam Parvulis neceſſariam. Vid. INNOCENTIUS I. Epiſt. XCIII. Concilio MILEVITANO reſpondens. AUGUSTINUS Lib. I. de Peccat. merit. apud JUENIN, & WITASSE.

RESP. Patres illi textum Chriſti explicarunt de manducatione *ſpirituali*, ſive, *in voto.* Ut enim fictitium Pelagianorum Diſcrimen inter *Regnum*, & *Vitam æternam* exploderent, docuere, Parvulos absque Baptiſmo nec Regnum, nec Vitam æternam habere poſſe. Namque ut aliquis Vitam æternam habere poſſit, debet Corpori Chriſti conjungi, per manducationem Carnis: atqui Parvuli non baptizati, nullo modo Corpori Chriſti conjunguntur; cum nec *in re*, nec *in voto* Carnem Chriſti manducaverint. Votum enim *implicitum*, fit in Baptiſmo. Hinc ait TRIDENTINUM Seſſ. XXI. cap. 4. „ Sancta Sy-
„ nodus docet, Parvulos uſu rationis ca-
„ rentes, nulla obligari neceſſitate ad ſa-

„ cramentalem Euchariſtiæ communionem; „ ſiquidem per Baptiſmi lavacrum regene- „ rati, & Chriſto incorporati, adeptam „ jam filiorum Dei gratiam in illa ætate „ amittere non poſſunt. „ Quomodo autem Parvuli illi concipiant Votum *implicitum* recipiendi Euchariſtiam, explicat D. Thomas III. Part. quæſt. 73. art. III. „ Per „ Baptiſmum ordinatur homo ad Euchari- „ ſtiam: & ideo ex hoc ipſo, quod Pue- „ ri baptizantur, ad Euchariſtiam ordinan- „ tur per Eccleſiam, & ſic, ſicut ex fide „ Eccleſiæ credunt, ſic ex fide Eccleſiæ „ deſiderant Euchariſtiam. „

199 Resolutio II. Euchariſtiæ Sumptio Adultis neceſſaria eſt vi Præcepti divini. *Communis.*

Prob. I. Christus Joann. VI. de Euchariſtia loquens ait: *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo ſub comminatione Gehennæ præcipitur Euchariſtia.

200 Prob. II. Patres uno ore docent, Neminem poſſe Salutem conſequi, niſi ſaltem in voto implicito Carnem Chriſti manducet: ergo tenetur ex Præcepto divino eam ſumere, quamprimum eſt occaſio. Hinc D. Thomas III. Part. Q. LXXX. art. XI. „ Dicendum, quod, ſicut ſupra dictum „ eſt, duplex eſt modus percipiendi hoc

„ Sa-

„ Sacramentum, scilicet spiritualis & sacramentalis: manifestum est autem, quod omnes tenentur saltem spiritualiter manducare, quia hoc est Christo incorporari, ut supra dictum est. Spiritualis autem manducatio includit votum, seu, desiderium percipiendi hoc Sacramentum, ut supra dictum est. Et ideo sine voto percipiendi hoc Sacramentum non potest homini esse salus. Frustra autem esset votum, nisi impleretur, quando opportunitas adesset, & ideo manifestum est, quod homo tenetur hoc Sacramentum sumere non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini. „

Ceterum, quo tempore obliget Præ- 201
ceptum divinum, non explicite determinavit CHRISTUS: semper tamen fuit Theologorum mens, illud obligare imminente Periculo Vitæ, idque vel ex eo colligitur, quod CYPRIANUS, aliique, maximopere fuerint soliciti, ne quis, etiam Martyr, sine hoc Sacramento, sicubi fieri potuit, decederet. Ecclesia in Concilio LATERANENSI IV. can. *Omnis utriusque sexus*, determinavit, ut Adulti fideles singuli saltem semel in anno, in Paschate, Eucharistiam sumerent, & quidem a proprio Sacerdote, seu, Parocho. Notanda hic est damnata ab INNOCENTIO XI. illa Propositio Probabilistarum, qua docebant, Præcepto Communionis annuæ satisfieri per sacrilegam

Domini manducationem. Cetera quæ huc pertinent, apud Theologos morales, & Canoniſtas pertractantur.

§. III.

De Communione ſub utraque Specie.

202 Cum Christus Euchariſtiam ſub duplici ſpecie inſtituerit, & utramque ut Apoſtoli ſumerent, præceperit: Ipſique primi Chriſtiani ita acceperint per plura Sæcula: licet XIV. Sæculo Fideles plerique ab altera Specie ob Periculum Effuſionis ſponte abſtinuerint; hinc Sæculo XV. Petrus Dresdenſis, & Joannes Huss, Populo ſuis concionibus perſuadere conati ſunt, divinum extare Præceptum, ut utraque ſpecies ſumatur, nec poſſe ſine Sacrilegio ab alterutra abſtineri. Hunc Errorem in Concilio Constantiensi damnatum, continuarunt nihilominus Bohemi Thaboritæ, vel *Calixtini*: & Sæculi XVI. Initio Lutherus cum Calvino, qui ſub unica ſpecie haud integrum putant præberi Sacramentum, Populumque ab Eccleſia per Furtum ſacrilegum Calicis Uſu fuiſſe privatum docent. Equidem prohibitio iſta ad Diſciplinam ſpectat, poſſetque Eccleſia Uſum Calicis reſtituere, modo non credatur, illum eſſe de Neceſſitate Sacramenti, aut Præcepti divini.

Re-

Resolutio I. Utriusque ſpeciei ſum- 203
ptio nec de Neceſſitate Sacramenti, nec Præcepti divini ad Salutem neceſſaria eſt. *Eſt de Fide ex Concilio Conſtantienſi, Baſileenſi, & Tridentino.* Intelligenda tamen eſt Reſolutio de non ſacrificantibus; illi enim divino Præcepto utramque ſpeciem ſumere tenentur.

Prob. I. Si neceſſaria eſſet utriusque ſpeciei ſumptio; tunc 1. quia alias non haberetur totus Christus: vel 2. non integrum Sacramentum: vel 3. deeſſet gratia ad Salutem neceſſaria: aut 4. extaret peculiare Chriſti Præceptum: atqui nihil horum. Ergo. *Min. prob.* quoad 1. Sub unica ſpecie eſt totus & integer Christus, cum Corpore, & Sanguine; cum enim Corpus Chriſti ſumatur *vivum*, illud ſine Sanguine eſſe non poteſt, item nec Sanguis vivus ſine Corpore eſſe poteſt: Chriſtus enim nunc impaſſibilis Sanguine privari realiter nequit.

Prob. quoad 2. Quælibet Species, cum 204
ſit ſignum ſenſibile, & integrum Chriſtum contineat, totum Sacramentum conſtituit, & integrum convivium efficit. Chriſtus enim ſub alterutra ſpecie & cibat, & potat.

Prob. quoad 3. Qui totum Chriſtum 205
percipit, ceu omnis gratiæ fontem, nulla gratia ad Salutem neceſſaria defraudatur:

an utili? dicetur infra, maxime cum eandem gratiam CHRISTUS promiserit manducanti solam Carnem, quam promisit simul bibenti Sanguinem. Dixit enim Joann. VI. *Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum.*

206 PROB. quoad 4. Non extare Præceptum divinum, utpote quod neque e S. Scriptura, neque ex Traditione sufficienter ab Adversariis probari potest. Ut patebit ex Objectionibus. Insuper Paulus I. Corinth. XI. ait: *Quicunque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Ubi particula, *vel*, disjunctiva, denotat, sub alterutra specie Sacramentum suscipi posse. Hinc S. HIERONYMUS exponens illud Isaiæ LV. *Ite ad aquam, emite, & comedite*, ait, Sanguinem in Eucharistia comedi posse: „ Mirum in modum emunt „ aquas, inquit, absque pecunia, & non „ bibunt eas, sed comedunt; ipse enim & „ Aqua, & Panis est, qui de cœlo de„ scendit. Pergamus igitur ad eum, qui „ tenens Calicem Sacramenti discipulis lo„ quitur: *accipite & bibite: hic est Sanguis* „ *meus.* „ Si S. HIERONYMUS loqueretur de Potu Sanguinis distincto ab Esu Corporis, non posset dicere, Sanguinem *comedi*, sed *bibi.*

PROB.

PROB. III. Actor. II. refert LUCAS de 207
primis Fidelibus: *Erant autem perſeveran-
tes in Doctrina Apoſtolorum & communica-
tione fractionis Panis & orationibus.* Ubi
agi de Euchariſtia, patet ex Verſione Sy-
riaca, quæ legit: *in fractione Euchariſtiæ.*
Igitur Fideles illi ſolam Panis ſpeciem ac-
cipiebant. Cum enim ex illis Fidelibus
aliqui etiam fuerint *Nazaræi*, qui ex Voto
ab omni Vino abſtinebant; horum Religio-
ni Apoſtoli conſulere voluerunt. Idem
nonnulli dicunt de CHRISTO in *Emaus*,
quod Euchariſtiam confecerit, frangens Pa-
nem: non quidem, quod ſolum Panem
conſecraverit; ſed quod illum ſolum di-
ſcipulis porrexerit, utpote qui tunc non
ſacrificabant.

PROB. IV. ex Uſu Eccleſiæ veteris, 208
quæ pluribus in caſibus ſolam Speciem Pa-
nis, aut Vini præbebat. *Primo* quidem In-
firmis, quibus ob Periculum Effuſionis,
Sanguis non ſemper transmitti poterat:
& ad uſum ægrotantium Viaticum ſub ſo-
la ſpecie Panis aſſervabatur. 2. Dum Eu-
chariſtia in ſignum communionis aliquibus
mittebatur. 3. Dum Fideles Die Solis in
Eccleſia convenientes, quasdam Panis con-
ſecrati Reliquias pro reliquis Hebdomadæ
Diebus ſecum Domum aſportabant. 4.
Dum reſiduas Panis Particulas, ubi nimiæ
erant, innocuis Pueris abſumendas Eccleſia
tradidit, ut teſtatur EVAGRIUS Hiſt. Lib.

 IV.

an utili? dicetur infra, maxime cum eandem gratiam CHRISTUS promiserit manducanti solam Carnem, quam promisit simul bibenti Sanguinem. Dixit enim Joann. VI. *Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum.*

206 PROB. quoad 4. Non extare Præceptum divinum, utpote quod neque e S. Scriptura, neque ex Traditione sufficienter ab Adversariis probari potest. Ut patebit ex Objectionibus. Insuper Paulus I. Corinth. XI. ait: *Quicunque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Ubi particula, *vel*, disjunctiva, denotat, sub alterutra specie Sacramentum suscipi posse. Hinc S. HIERONYMUS exponens illud Isaiæ LV. *Ite ad aquam, emite, & comedite*, ait, Sanguinem in Eucharistia comedi posse: „ Mirum in modum emunt „ aquas, inquit, absque pecunia, & non „ bibunt eas, sed comedunt; ipse enim & „ Aqua, & Panis est, qui de cœlo de„ scendit. Pergamus igitur ad eum, qui „ tenens Calicem Sacramenti discipulis lo„ quitur: *accipite & bibite: hic est Sanguis* „ *meus.* „ Si S. HIERONYMUS loqueretur de Potu Sanguinis distincto ab Esu Corporis, non posset dicere, Sanguinem *comedi*, sed *bibi.*

PROB.

Prob. III. Actor. II. refert Lucas de primis Fidelibus: *Erant autem perſeverantes in Doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis Panis & orationibus.* Ubi agi de Euchariſtia, patet ex Verſione Syriaca, quæ legit: *in fractione Euchariſtiæ.* Igitur Fideles illi ſolam Panis ſpeciem accipiebant. Cum enim ex illis Fidelibus aliqui etiam fuerint *Nazaræi*, qui ex Voto ab omni Vino abſtinebant; horum Religioni Apoſtoli conſulere voluerunt. Idem nonnulli dicunt de Christo in *Emaus*, quod Euchariſtiam confecerit, frangens Panem: non quidem, quod ſolum Panem conſecraverit; ſed quod illum ſolum diſcipulis porrexerit, utpote qui tunc non ſacrificabant. 207

Prob. IV. ex Uſu Eccleſiæ veteris, 208
quæ pluribus in caſibus ſolam Speciem Panis, aut Vini præbebat. *Primo* quidem Infirmis, quibus ob Periculum Effuſionis, Sanguis non ſemper transmitti poterat: & ad uſum ægrotantium Viaticum ſub ſola ſpecie Panis aſſervabatur. 2. Dum Euchariſtia in ſignum communionis aliquibus mittebatur. 3. Dum Fideles Die Solis in Eccleſia convenientes, quasdam Panis conſecrati Reliquias pro reliquis Hebdomadæ Diebus ſecum Domum aſportabant. 4. Dum reſiduas Panis Particulas, ubi nimiæ erant, innocuis Pueris abſumendas Eccleſia tradidit, ut teſtatur Evagrius Hiſt. Lib.

IV. cap. XXXV. 5. Dum ipsis Parvulis lactentibus, qui Panem deglutire non poterant, Eucharistiam sub sola specie Vini præbuit. Ut constat ex CYPRIANO Lib. de Lapsis, & JOBIO Monacho de Incarnat. Verbi Lib. III. cap. XVIII. & Exemplo Græcorum, qui nunc quoque Infantibus post Baptismum solum Sanguinem porrigunt. 6. In publico quoque conventu Fideles quandoque unam solum speciem sumsisse, constat ex SOZOMENO Hist. Eccl. L. VIII. cap. V. qui narrat, Fœminam quamdam de Hæresi Macedoniana, ut in gratiam Mariti Catholicam se simularet, Eucharistiam in Ecclesia manu accepisse, & submisso capite alium Panem Domo secum assumptum manducare voluisse, qui tamen subito in lapidem induruerit. Jam si Fœmina illa etiam Sanguinem de manu Diaconi sumere debuisset; non potuisset illa hunc Dolum excogitare. Denique etiam Manichæi, qui tamen Vino tanquam a Deo malo creato abstinent, ut Catholicos se simularent, in Ecclesia solam Panis Speciem acceperunt. Ergo & Praxis Ecclesiæ docet, nullum adesse CHRISTI Præceptum.

209 OBJIC. I. CHRISTUS Matth. XXVI. præcepit: *bibite ex hoc omnes*. Ergo constat de claro Christi Præcepto.

RESP. Ipsi Adversarii sub To, *omnes*, non comprehendunt Abstemios, Infantes, aut nauseantes post alios ex eodem Calice bi-

bibere. 2. Per To, *omnes*, intelliguntur ſoli Apoſtoli & eorum Succeſſores Sacerdotes, dum Sacrificium offerunt: non autem Fideles ſinguli; nam eo modo præcepit CHRISTUS, ut omnes biberent, quomodo teſtatur MARCUS, omnes bibiſſe: *biberunt ex eo omnes* cap. XIV. Atqui *ſoli Apoſtoli* biberunt; ergo *ſolis*, & his quos repræſentabant, præceptum erat.

OBJIC. II. Præcepit etiam: *hoc facite* 210
in meam commemorationem. Atqui Chriſtus utramque ſpeciem porrexit: ergo etiam nunc utraque debet porrigi, ſecus non fit in commemorationem.

RESP. 1. Retorqueo in Abſtemios. 2. CHRISTUS hoc tantum dixit: *Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem*; ut adeo ſumptio Panis ſit Præceptum *univerſale*: Calicis vero, ad ſacrificantes reſtrictum. Dein loquebatur Apoſtolis, tanquam *Sacerdotibus*.

OBJIC. III. PAULUS ait I. Corinth. XI. 211
Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de Pane illo edat, NB. *& de Calice bibat.* Ergo utrumque præceptum eſt.

RESP. Paulus etiam ibidem loquitur disjunctive: *qui manducaverit*, VEL *biberit* &c. Neque præcipitur ibidem, ut quilibet bibat; ſed, ut qui bibit, non bibat indigne, & prius ſe probet.

212 Objic. IV. Gelasius relatus a Gratiano de Consecrat. Dist. II. can. XXII. statuit: „ Comperimus, quod quidam sumpta tantummodo Corporis S. portione a „ Calice sacri cruoris abstineant. Qui pro„ cul dubio, quoniam nescio qua super„ stitione doceantur obstringi, aut integra „ Sacramenta percipiant, aut ab *integris* „ arceantur; quia divisio unius ejusdem„ que Mysterii sine grandi sacrilegio non „ potest provenire. „ Ergo sine altera specie non est integrum Sacramentum, committiturque Sacrilegium.

Resp. Dicunt nonnulli, Gelasium loqui de Presbyteris *sacrificantibus*. 2. aut præcipere utriusque Speciei sumptionem ad aliquod tempus; cum sit res Disciplinæ. 3. communior tamen est Assertio, *illum* loqui de Manichæis occultis, qui ex Superstitione & Errore hæretico a Vino abstinebant, ideoque non credebant, sub specie Vini contineri S. Sanguinem. Imo ex hoc ipso Facto colligitur, jam tunc fuisse consuetudinem, ut libera esset sumptio Calicis. Si enim Fideles existimassent, *hoc* esse Præcepti divini; quomodo Manichæi occulti poterant sperare, se non fore detegendos, si soli ab altera specie abstinerent, quam omnes sumerent? Aliter respondet D. Amort, nempe illo tempore Fideles non nisi sub ipso Sacrificio communicasse, fuisseque illam communionem Partem accidentalem Missæ; ita, ut com-

mu-

munio debuerit confirmari Sacrificio quoad explicitam repræſentationem Paſſionis Chriſti, idque ex conſuetudine, & tacita Lege Eccleſiæ, cujus transgreſſio & indigna Myſterii tractatio, jure *ſacrilega* vocatur. Tandem de illis loquitur Pontifex, qui *Superſtitione in ipſo Sacramento utuntur*: quod utique ſacrilegum eſt. Econtra Catholici non ex aliqua Superſtitione, ſed ex Reverentia, ab altera ſpecie abſtinent, ne S. Sanguis facile effundatur, Barbæ, aut Veſtimentis adhæreat.

Resolutio II. Eccleſia optimo jure 213
Laicis, aliisque non ſacrificantibus, Uſum Calicis interdixit. *Catholici omnes.*

Prob. I. Eccleſia *potuit* Laicis Uſum Calicis interdicere, & ut hoc faceret, *juſtas* habuit Rationes. Ergo optimo jure interdixit.

Prob. I. Pars. Uſus Calicis eſt Res ad ſolam Diſciplinam ſpectans; cum nec ſit neceſſarius Neceſſitate Medii, nec Jure divino extra Sacrificium præceptus, ut probatum eſt Reſolut. I. In iis vero, quæ ſunt ſolius Diſciplinæ, Eccleſia diſponere, & immutare valet, pro circumſtantiis Locorum, Perſonarum, & Temporis. Ergo &c.

Prob. II. Pars, enumerando Cauſas. 214
Prima erat, quod ante finem Sæculi XIV. ubique fere apud occidentales Conſuetudo invaluerit, ut Euchariſtiam ſub ſola Panis

Spe-

Specie ſumeret Populus, a Calice autem ſponte abſtineret: quam conſuetudinem, a Fidelibus libere introductam, probavit Eccleſia Latina, nec improbavit Orientalis, paulo poſt Concilium CONSTANTIENSE FLORENTIÆ unita. *Secunda.* Quia erat frequens Periculum Effuſionis S. Sanguinis, cum ob frigeſcentem Chriſtianorum Charitatem, minutumque Fervorem Devotionis, tum ob frequentiorem Concurſum Populi ruſticani ſatis incauti. *Tertia.* Jam illo tempore deficiebat Diaconorum Numerus, quorum officium erat diſpenſandi Calicem. Cum enim minores Eccleſiæ Parochiales quandoque vix uni Sacerdoti ſuſtentando ſufficiant; non poterant inſuper Diaconum alere. *Quarta.* Erant quidam *Abſtemii*, qui Vinum bibere non poterant, vel ex eodem Calice poſt alios bibere nauſeabant. Ut ergo ubique in Occidente idem ſervaretur Mos; Uſus Calicis omnibus non ſacrificantibus juſte fuit interdictus. *Quinta.* Quia ſi Calicis Uſus reſtitueretur, timendum fuerat, ne Populus arbitretur, eum eſſe neceſſarium, aut divino Jure præceptum: glorienturque Hæretici, Eccleſiam, antea in Errore verſatam, ab ipſis eſſe reformatam, & ſaniora edoctam. *Sextam* Rationem dabit ſequens

215 RESOLUTIO III. Euchariſtia ſub duplici ſpecie ſumpta, non confert plus Gratiæ, ſaltem *ex opere operato.*

Po-

Populum per denegationem Calicis non privari gratia ad Salutem neceſſaria, definiit Concilium TRIDENTINUM: ſed neque gratia utili, quod negant nonnulli Theologi.

PROB. I. Manna, quod erat Figura Euchariſtiæ, non illi plus conferebat, qui plus collegerat, ut ſcribitur Exodi XVI. *Non amplius habuit, qui plus collegerat, nec qui minus paraverat, reperit minus.* Ergo idem dicendum de Figurato, ſeu, Veritate.

PROB. II. Si quis etiam ſucceſſive cen- 216
tum Hoſtias ſumeret; non plus perciperet Gratiæ *ex opere operato*, quam alter, qui unicam ſumit. Ergo nec ille plus Gratiæ acquirit, qui ſumit duplicem Speciem; quia non plus latet ſub altera ſpecie, quam ſub altera Hoſtia.

PROB. III. Sumptio alterius ſpeciei ex 217
Intentione CHRISTI non habet alium finem, niſi ut in Sacerdotibus ſit conſummatio Sacrificii, in Laicis vero, ut ſit realis Proteſtatio participandi de Fructu Sacrificii: ſed ſic *ex opere operato* non confert plus Gratiæ. Ergo &c. *Maj. prob.* quia de alia Intentione non conſtat, & quia Communio ſub utraque ſpecie primis X. Sæculis non erat in uſu, niſi ſub ipſo Sacrificio Miſſæ, excepto ſaltem caſu neceſſitatis. Econtra hodie plerumque extra Sacrificium fit Communio.

PROB.

218 Prob. IV. Si ſub unica Specie ſumitur *totus* & *integer* Christus, conſequenter & ipſe Sanguis; tunc totus & adæquatus Fructus Sacramenti percipitur. Atqui ita fit, ex *Reſolut. I.* Cum & Chriſtus eandem gratiam promiſerit uni ſpeciei, quam promiſit utrique, nempe Unionem, & Vitam æternam: *Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum.* Ergo &c.

219 Prob. V. Expreſſior Significatio Gratiæ, vel Cauſæ, non auget Effectum: ſed Communio ſub utraque Specie, eſt tantum expreſſior Significatio Sacrificii cruenti in Cruce. Ergo non auget Effectum. *Maj. prob.* Contractus verbis, aut ſcripturis, aliisque ſolennitatibus initus, non auget obligationem, ſed eſt eadem, quæ oritur ex conſenſu, quamvis obligationem illæ ſolennitates expreſſius ſignificent. Ergo a pari.

220 Objic. I. Tridentinum Seſſ. XXI. cap. III. docet, *fideles per ſubtractionem Calicis nulla gratia ad ſalutem* NECESSARIA *defraudari*, ergo agnoſcit, defraudari ſaltem gratia *utili*: ſecus debuiſſet dicere *abſolute*, quod *nulla* gratia fraudentur.

Resp. Concilium ideo addidit To *neceſſariam*, quia erant quidam Theologi, qui in privatis Diſputationibus propugnabant opinionem nobis adverſam, quam noluit Concilium proſcribere, ſed intactam relinquere,

quere, ut alias ſæpe fecit in controverſiis Scholæ. Ex quo non ſequitur, illud agnoviſſe utilitatem aliquam majorem. Volebat enim unice damnare Hæreticos, qui aſſerebant, Fideles per ſubtractionem Calicis defraudari gratia ad ſalutem *neceſſaria.*

OBJIC. II. CLEMENS IV. alii ſcribunt VI. dum per Bullam Regi Galliæ conceſſit uſum Calicis, dixit, ſe hoc Privilegium concedere *ad majus gratiæ Augmentum.* Ergo per alteram ſpeciem confertur plus Gratiæ. 221

RESP. *Diſting.* Ad majus Augmentum Gratiæ, *ex opere operantis*, & Fervore Devotionis in ſecunda Specie repetito & duplicato conſequendum. *Conc.* ex opere operato. *Nego.* Hunc autem Fructum omnes Fideles compenſare & ſupplere poſſunt, juxta Menſuram Devotionis ſuæ poſt Communionem. Nec tamen inde ſequitur, nihil ſpecialis Favoris fuiſſe Regi conceſſum; hic enim in eo conſiſtit, quod ille ex alterius Speciei porrectione *explicite* admoneatur ad renovandam Devotionem, & Actus Virtutum; qua admonitione carent ceteri Fideles.

OBJIC. III. Euchariſtia habet Effectum Convivii, & perfectæ Refectionis. Sed unica ſpecies non reficit *perfecte.* Ergo. *Min. prob.* In Convivio corporali ſolus Cibus non perfecte reficit ſine Potu, ut patet ex 222

Da-

Davide, qui Pani & Vino diſtinctum tribuit Effectum. *Panis confirmat cor hominis: Vinum lætificat cor hominis.* Ergo &c.

Resp. Argumentum probat nimium, ne quidem haberi integrum convivium, & gratiam *neceſſariam* ex unica ſpecie. Hinc nego *min.* quia unica ſpecie ſumitur totus & integer Christus, etiam cum Sanguine, qui & cibat & potat Animam, conſequenter integre & perfecte reficit. Ad paritatem de Convivio corporali Diſparitas eſt; quia non quilibet cibus corporalis, maxime ſiccus, habet rationem Potus, ut Euchariſtia, quæ nunquam eſt ſine Sanguine, ut eſt de Fide. Et inſuper ait Augustinus. *In ſpiritualibus non eſt aliud fames & ſitis.* Et ipſe Christus Matth. V. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt Juſtitiam.*

223 Objic. IV. Si ſpecies Panis & Vini non cauſarent diverſas Gratias; tunc Sacerdos acquireret totam Gratiam vel in ſumptione primæ Speciei, vel ſecundæ, vel utrinque dimidiam. Neutrum poteſt dici. *Ergo. Min. prob.* Non in prima ſpecie; ſequeretur enim, uſum Calicis non eſſe cauſativum gratiæ, & ſic non eſſe Sacramentum. Non in ſecunda; quia idem ſequeretur, ſumptionem Hoſtiæ non eſſe Sacramentum collativum Gratiæ. Non in tertia; quia non poteſt dari Ratio, cur ex ſumptione Hoſtiæ integer Fructus conferatur Laico, & non etiam Sacerdoti, maxime,

xime, cum Gratia, tanquam ſpiritualis, ſit indiviſibilis.

Resp. Nego *min.* Dico, totum Fructum *Sacramenti* conferri in prima ſpecie: Fructum autem *Sacrificii* in ſecunda ſpecie; quia ſicut Sacrificium completur in conſecratione ſecundæ Speciei, ita & participatio Sacrificii in ſumptione alterius Speciei. *Reſp.* 2. Retorq. in caſum, quo plures Hoſtiæ ſumuntur. *Reſp.* 3. conferri gratiam abſoluta tota ſumptione etiam Calicis; quia cum ſumitur utraque ſpecies, non cenſetur ſumptio abſoluta, niſi poſt ſumptam ſpeciem vini, ideoque Effectus adſcribitur utrique ſumptioni; ita, ut utraque ſumptio ſimul eandem gratiam conferat, quam confert unica ſpecies ſumpta a Laico. Probari id poteſt ex Ritu Baptiſmi trina merſione collati, ubi gratia producebatur in ultima Immerſione, etiamſi, ubi unica merſio, vel Affuſio in uſu erat, ſtatim totus Effectus fuerit collatus. Ita Bellarminus: cui tamen reſponderi poteſt, Diſparitatem eſſe; quod ideo in tertia merſione primum fuerit collata gratia, quia tunc primum fuit terminata Forma Baptiſmi, & completum Sacramentum: in unica vero merſione ſimul etiam terminabatur Forma. Contrarium eſt in Euchariſtia, quæ in unica ſpecie totum eſt Sacramentum.

Davide, qui Pani & Vino diſtinctum tribuit Effectum. *Panis confirmat cor hominis: Vinum lætificat cor hominis.* Ergo &c.

Resp. Argumentum probat nimium, ne quidem haberi integrum convivium, & gratiam *neceſſariam* ex unica ſpecie. Hinc nego *min.* quia unica ſpecie ſumitur totus & integer Christus, etiam cum Sanguine, qui & cibat & potat Animam, conſequenter integre & perfecte reficit. Ad paritatem de Convivio corporali Diſparitas eſt; quia non quilibet cibus corporalis, maxime ſiccus, habet rationem Potus, ut Euchariſtia, quæ nunquam eſt ſine Sanguine, ut eſt de Fide. Et inſuper ait Augustinus. *In ſpiritualibus non eſt aliud fames & ſitis.* Et ipſe Christus Matth. V. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt Juſtitiam.*

223 Objic. IV. Si ſpecies Panis & Vini non cauſarent diverſas Gratias; tunc Sacerdos acquireret totam Gratiam vel in ſumptione primæ Speciei, vel ſecundæ, vel utrinque dimidiam. Neutrum poteſt dici. Ergo. *Min. prob.* Non in prima ſpecie; ſequeretur enim, uſum Calicis non eſſe cauſativum gratiæ, & ſic non eſſe Sacramentum. Non in ſecunda; quia idem ſequeretur, ſumptionem Hoſtiæ non eſſe Sacramentum collativum Gratiæ. Non in tertia; quia non poteſt dari Ratio, cur ex ſumptione Hoſtiæ integer Fructus confeγratur Laico, & non etiam Sacerdoti, maxime,

xime, cum Gratia, tanquam ſpiritualis, ſit indiviſibilis.

Resp. Nego *min.* Dico, totum Fructum *Sacramenti* conferri in prima ſpecie: Fructum autem *Sacrificii* in ſecunda ſpecie; quia ſicut Sacrificium completur in conſecratione ſecundæ Speciei, ita & participatio Sacrificii in ſumptione alterius Speciei. *Reſp.* 2. Retorq. in caſum, quo plures Hoſtiæ ſumuntur. *Reſp.* 3. conferri gratiam abſoluta tota ſumptione etiam Calicis; quia cum ſumitur utraque ſpecies, non cenſetur ſumptio abſoluta, niſi poſt ſumptam ſpeciem vini, ideoque Effectus adſcribitur utrique ſumptioni; ita, ut utraque ſumptio ſimul eandem gratiam conferat, quam confert unica ſpecies ſumpta a Laico. Probari id poteſt ex Ritu Baptiſmi trina merſione collati, ubi gratia producebatur in ultima Immerſione, etiamſi, ubi unica merſio, vel Affuſio in uſu erat, ſtatim totus Effectus fuerit collatus. Ita Bellarminus: cui tamen reſponderi poteſt, Diſparitatem eſſe; quod ideo in tertia merſione primum fuerit collata gratia, quia tunc primum fuit terminata Forma Baptiſmi, & completum Sacramentum: in unica vero merſione ſimul etiam terminabatur Forma. Contrarium eſt in Euchariſtia, quæ in unica ſpecie totum eſt Sacramentum.

CAPUT VI.

De Miniſtro, & Subjecto Euchariſtiæ.

Alius eſt Miniſter Euchariſtiæ confi ien-dæ, alius diſpenſandæ. Subjectum quoque conſiderari poteſt ſive quoad validam, ſive quoad licitam & fructuoſam Receptionem, de quibus hoc Capite pertractandum.

§. I.

De Miniſtro Euchariſtiæ conficiendæ.

224 Errarunt I. GNOSTICI & MARCITÆ, item MONTANISTÆ, qui Mulieribus quoque Poteſtatem conſecrandæ Euchariſtiæ fecerunt, ut teſtantur IRENÆUS Lib. I. cap. IX. & Lib. III. cap. III. Item AUGUSTINUS hæreſ. XXVII. Idem teſtatur de COLLYRIDIANIS, EPIPHANIUS hæreſ. LXXIX. apud quos Mulieres nonnullæ currum quemdam, ſive ſellulam quadratam ornantes, expanſo ſuper ipſum linteo, in die quadam illuſtri anni per aliquot Dies Panem proponunt, & offerunt in Nomen Mariæ, omnes autem Pani participant. II. WALDENSES probo quidem Laico, non autem improbo Sacerdoti jus conſecrandæ Euchariſtiæ aſſe-

asseruerunt, ut testis est Regnerus Lib. contra Waldenses cap. V. Lutherus omnibus baptizatis Eucharistiam conficere fas esse docuit, quamvis id extra necessitatem non nisi ab Ecclesiæ Ministris ad hoc deputatis fieri debeat. Ita quoque Zwinglius. Calvinus solis Ecclesiæ Ministris tam Eucharistiæ, quam Baptismi valorem attribuit. Grotius cuivis e Plebe id licitum scribit, ubi non adsunt Pastores, a Petavio confutatus.

Resolutio. Soli Sacerdotes, legitime 225
ordinati, sunt Ministri Eucharistiæ consecrandæ. *De fide.* *Ex Trident. Sess. XXII. can. II.*

Prob. I. Christus solis Sacerdotibus dixit in ultima Cœna: *hoc facite in meam commemorationem.* Ergo soli sunt Ministri. *Ant. prob.* Si enim in Persona Apostolorum ad omnes Laicos hoc dirigere voluisset; tunc non solum *possent*, sed jure divino *tenerentur* Laici Eucharistiam conficere. Atqui hoc neque Adversarii admittunt. Ergo.

Prob. II. ex Traditione. Tertullia 226
nus damnat Hæreticos Lib. de Præscript. cap. XLI. quod Laicis sacerdotalia munia injungant. Concilium Nicænum I. can. XVIII. „ Pervenit ad sanctam Synodum, „ quod in quibusdam locis & civitatibus „ Presbyteris gratiam sacræ Communionis

„ Diaconi porrigant; quod nec Regula, „ nec consuetudo tradidit, ut ab his, qui „ potestatem non habent offerendi, illi qui „ offerunt, Corpus Christi accipiant. „ Ita quoque Concilia alia, Patresque: ut legi potest apud Dogmaticos.

227 PROB. III. Laici ne in casu quidem necessitatis fas sibi esse arbitrati sunt, Eucharistiam conficere. Ergo. *Ant. prob.* 1. Eo fine Eucharistiam a Sacerdote consecratam secum deferebant Domum, ut per reliquos Hebdomadæ Dies se eadem reficerent maxime tempore Persecutionis, aut instante Periculo Vitæ, quo non semper ad manum habere poterant Sacerdotem. 2. Anachoretæ, qui semel tantum in Anno Ecclesiam accedebant, aut Sacerdotem vocabant, Eucharistiam ab eo confectam, integro Anno asservarunt. 3. SS. Martyres solicite ad carceres, ubi detinebantur, Sacerdotes advocabant, ut Eucharistiam ab ipsis acciperent. 4. Laici, si quandoque alios ad Fidem converterant, magna etiam confecere itinera, ut Plebi conversæ de Sacerdote providerent. 5. Dum Tempore Persecutionis Ecclesiæ suis essent viduatæ Pastoribus, EUSEBIUS *Samosatenus*, referente THEODORETO H. E. L. IV. cap. XXIII. militarem Habitum sumens Provincias illas peragravit, & Presbyteros, ac Diaconos ordinavit. Cur autem hæc omnia? Si in necessitate saltem Laicus quisque Sacer-

dotis

dotis munere fungi, & Euchariſtiam conficere ſe poſſe exiſtimaſſet. 6. Ne ipſi quidem Lutherani, nihilo ſuis Paſtoribus inferiores, eam conficere in neceſſitate audent. Cui ergo Bono excogitatum fuit iſtud Figmentum? niſi quia Miniſtri Lutherani ſuam Miſſionem *ordinariam* ab Apoſtolis deducere non valentes, eam e Baptiſmo, Chriſtianis omnibus communi, derivare coacti fuerunt.

Objic. I. I. Petri II. 9. dicitur Chri- 228
ſtianis omnibus etiam Laicis: *vos autem genus electum, regale ſacerdotium.* Et Apoc. I. 6. *Fecit nos Regnum & Sacerdotes.* Ergo Chriſtiani omnes ſunt Sacerdotes.

Resp. *Diſt.* Omnes ſunt Sacerdotes, improprie, quatenus quisque Deo offert Sacrificium Laudis, Orationis, contriti Cordis. *Conc.* proprie. Nego. Etiam Populus Israel hoc titulo honorabatur: & tamen Regnum erat ſolum penes Tribum Juda; Sacerdotium autem hæreditarium in ſtirpe Aaron. Sunt ergo eo modo Sacerdotes, quo modo Reges; atqui Reges ſunt *improprie*, tum propter Regimen ſuarum Paſſionum, tum quia ſervire Deo, regnare eſt.

Objic. II. Tertullianus Lib. de Ex- 229
hort. Caſtitatis cap. VII. „Nonne & Laici Sacerdotes ſumus? Differentiam inter Ordinem & Plebem, conſtituit Ec-

„ clesiæ Auctoritas, & Honor per Ordi-
„ nis consessum sanctificatus. Adeo ubi
„ Ecclesiastici Ordinis non est consessus,
„ & offers, & tinguis, & Sacerdos es ti-
„ bi solus. „

RESP. Tertullianus hæc scripsit jam MONTANISTA: hinc nullius est Authoritatis, utpote de quo dixit HIERONYMUS, hæreticis TERTULLIANUM objicientibus: TERTULLIANUS *post Hæresin vester est.* Potest tamen adhuc explicari, quod loquatur de Sacerdotio improprie tali, nimirum de oblatione Panis & Vini, quam tempore Persecutionum Fideles, etiam Laici, privatim facere solebant, ut ea tanquam Eulogia ad Ministros Altaris, aliosque Fideles, in carceribus vel cryptis detentos, in Signum Communionis transmitterent, aut Alimentum. Nam de lata quadam offerendi Ratione ait ipse TERTULLIANUS Lib. de Monogamia cap. X. de Vidua pro Marito defuncto Panem & Vinum offerente: *& offers annuis diebus dormitionis ejus.* Et Lib. de Exhortat. Castit. de Marito pro defunctis Uxoribus offerente: *& offeres pro duabus, & commemorabis per Sacerdotem.* Plura ad hunc TERTULLIANI locum dixi Dissertatione I. de Hierarchia Ecclesiæ Num. 25. seq. & *Dissertat. II. de Fictitio Laicorum Jure sacerdotali.*

230 OBJIC. III. Concilium LAODICÆNUM can. XXV. definit, „ non oportere Mini-

„ nistros, seu, Subdiaconos Panem dare, „ neque Calicem benedicere. „ Ergo ante prohibitionem poterant.

Resp. Loquitur Concilium vel de pravo quorumdam Abusu, & Arrogantia, quam reprobat: vel de præbendo Pane ac Calice Sacerdotibus, quod non ad Subdiaconos, sed Diaconos pertinet.

Objic. IV. Concilium Ancyranum can. 231
II. Diaconis lapsis, & resipiscentibus permisit, „ ut reliquum quidem honorem „ habeant, cessent autem ab omni sacerdo„ tali, seu, sacro Ministerio, Panem & „ Calicem offerendi, & prædicandi. „ Ergo non lapsi, poterant offerre, seu, consecrare.

Resp. Ancyrani PP. eodem sensu intelligendi sunt; prohibet enim Diaconis lapsis, ne suum Ministerium, circa Panem & Calicem Sacerdoti in Missa offerendum, deinceps obire possint.

Objic. V. De S. Petronilla V. & Mart. 232
dicitur in Martyrologio Romano pridie Kalend. Junii, *celebratis Dominicæ Oblationis Mysteriis, mox ut* Christi *Sacramentum accepit, reclinans se in lectulo emisit spiritum.*

Resp. Non dicunt Acta illa, quod Petronilla celebraverit, sed quod fuerint celebrata Mysteria, haud dubie a Sacerdote, clam advocato. In Actis enim ab Henschenio editis ita legitur: *Tertio itaque die ve-*

veniens ad eam Nicomedes Presbyter, celebravit Mysteria Christi: Virgo autem sanctissima, mox ut Christi Sacramentum accepit &c.

233 Objic. VI. Laurentius M. apud Ambrosium Lib. de Officiis cap. XLV. Num. 214. dixit ad Xystum Rom. Pont. „ Cui „ commisisti Dominici *Corporis Consecrationem*, cui consummationem consortium „ Sacramentorum; huic Sanguinis tui consortium negas. „ Ergo &c.

Resp. *Dist.* Corporis jam *consecrati* Dispensationem. *Conc.* ipsam consecrandi Potestatem. *Nego.* Notant PP. Mauriani ad hunc locum *Ambrosii*, To *Consecrationem*, non sumi semper pro actuali sanctificatione, vel Transsubstantiatione. Sic in Canone Missæ, dum Particula Hostiæ consecratæ mittitur in Calicem: adhuc hodie dicit Sacerdos: *hæc commixtio & consecratio Corporis & Sanguinis Domini fiat accipientibus in Salutem*: & tamen tunc non fit consecratio.

234 Objic. VII. Frumentius Laicus, cum in Æthiopia Domus Regiæ Præfectus, Romanos Mercatores Christianos, qui eo commeabant, hortatus est, ut ex More, Institutoque Romano simul convenire, & Divina Mysteria celebrare vellent. Ut refert Theodoretus Lib. II. cap. 23.

Resp. Debet intelligi de Orationibus Liturgiæ, absque tamen consecratione Eucha-

chariſtiæ; SOCRATES enim hoc factum his verbis enarrat: „ Hortabatur, inquit, ut „ propria quædam occuparent loca, ut in „ illis chriſtianas Preces obirent. „ Ita quoque RUFINUS. Si enim FRUMENTIUS judicaſſet, Laicos poſſe Euchariſtiam conficere; cur ipſemet Alexandriam petiit, ut ab ATHANASIO Sacerdotem poſtularet? Deinde advertendum, Chriſtianos ſæpius ſuas celebraſſe Synaxes, etiam Sacerdote abſente, Ritusque omnes, Conſecratione excepta, peregiſſe, & quando forte ad manum habebant Euchariſtiæ Particulas, eas religioſe ſumpſiſſe. Celebrabantur quandoque Miſſæ ſiccæ, ubi Sacerdos, qui aderat, Euchariſtiam participare non poſſet: aut Miſſæ nauticæ, ubi in Navi ob Periculum Effuſionis non fiebat Conſecratio, eo fere modo, quo hodie in Paraſceve absque Conſecratione celebratur Ritus Liturgiæ. Igitur in ejusmodi conventu Laicorum legebantur S. Scripturæ, fundebantur Preces, offerebatur Panis, & diſtribuebatur in Supplementum Communionis: haud dubie, cum voto Euchariſtiam realiter participandi. De his privatis conventibus, maxime tempore Perſecutionis uſitatis ſcribit TERTULLIANUS Lib. de Fuga in perſecutione. „ Poſtremo ſi colligere interdiu non „ potes, habes noctem. . . Non potes „ diſcurrere per ſingulos: ſit tibi & in tri„ bus Eccleſia.

235 Objic. VIII. Joannes *Moschus* in Prato ſpirituali cap. XXV. narrat, cum Diaconus quidam Monachus, verba Conſecrationis, quæ edidicerat, ſuper Panes, quos portabat, forte pronuntiaſſet, quaſi Verſus aliquos caneret, Conſecrationis factæ ab Angelo fuiſſe monitum Joannem illius Abbatem.

Resp. Exigua eſt Moschi Authoritas, ſed etiam admiſſa illa, dicendum, Deum *extraordinarie* ſua Poteſtate immutaſſe Panem in Chriſti Corpus: quam a Deo fieri nemo negat. Nos loquimur de Poteſtate *ordinaria*, quam aliis, præter Sacerdotes, competere negamus.

§. II.

De Miniſtro Euchariſtiæ diſpenſandæ.

236 Resolutio I. Epiſcopi & Presbyteri Jure divino ſunt Miniſtri Euchariſtiæ diſpenſandæ.

Prob. I. Ad illos in Perſona Apoſtolorum directum fuit Præceptum: *hoc facite* &c. Hinc Paulus de ſe, ſuisque Collegis ait I. Corinth. IV. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores Myſteriorum Dei.* Denique & Tertullianus ſcribit de Corona milit. *Euchariſtiam non niſi de manu præſidentium ſumimus.*

Resolutio II. Diaconi ex ſua Inſtitu- 237
tione erant Miniſtri diſpenſandæ Euchariſtiæ.

Prob. I. Ignatius, & Polycarpus diſerte teſtantur, Diaconos ad divina Myſteria principaliter fuiſſe ordinatos. Justinus in Apologia I. ſcribit, Euchariſtiam ad abſentes per Diaconos perferri conſueviſſe. Idem conſtat ex Ambrosio N. 233. cit. de S. Laurentio. Concilium Nicænum Diaconis ſolum prohibet, ne Presbyteris Euchariſtiam miniſtrent, non autem ne ceteris diſpenſent: quamvis, ut ex S. Ignatio M. colligitur, Diaconi non niſi ex commiſſione Epiſcopi vel Presbyteri hoc munere fungi potuerint; ſic enim ſcribit ad Smyrnæos Num. 8. „ Non licet ſine „ Epiſcopo baptizare, neque agapen cele„ brare. „ Et Concilium Arelatense II. can. XV. „ In Secretario Diacono inter „ Presbyteros ſedere non licet, vel Cor„ pus Chriſti præſente Presbytero tradere „ non præſumat. „ Et Concilium Carthaginense IV. Can. XXXVIII. „ Ut „ Diaconus præſente Presbytero Euchari„ ſtiam Corporis Chriſti Populo, ſi neceſſi„ tas cogat, juſſus eroget. „ Exiſtimat Juenin, diverſam fuiſſe Græcæ & Latinæ circa Diaconos Diſciplinam; & in illa quidem fuiſſe Miniſtros *ordinarios* ex generali conceſſione Epiſcoporum: in hac autem tantum *extraordinarios*, ex ſpeciali conceſſione Epiſcopi vel Presbyteri. Forte au-

autem dici poteſt, eos in utraque Eccleſia fuiſſe ordinarios quoad Diſpenſationem S. *Sanguinis*, non autem *Corporis*. Ceterum quod adhuc hodie Diaconis iſta Poteſtas ab Epiſcopo fieri poſſit, extra dubium eſt; cum ſit res meræ Diſciplinæ, quod tamen raro erit neceſſarium, cum Eccleſiæ abundent copia Presbyterorum.

238 RESOLUTIO III. Clerici minores, aut Laici, nunquam in Eccleſia diſpenſarunt: privatim autem ex conceſſione Eccleſiæ tam ſibi, quam aliis miniſtrarunt Euchariſtiam.

PROB. I. Pars, quia nullum hujus rei extat veſtigium in hiſtoria. Altera vero Pars conſtat ex Martyrologiis BEDÆ, ADONIS, USUARDI, quæ referunt, THARSICIUM Acolythum cum Sacramenta Domini portaret, & illa Ethnicis ſupervenientibus manifeſtare nollet, fuſtibus & lapidibus ab iis fuiſſe mactatum, nec tamen aliquid Sacramentorum in ejus manibus aut veſtibus fuiſſe inventum. EUSEBIUS H. E. L. VI. cap. XLIV. refert ex DIONYSIO *Alexandrino*, Euchariſtiam Serapioni ſeni a Puero fuiſſe traditam, quem Presbyter ad eum miſerat.

239 Quod vero cum tempore Perſecutionum, tum etiam alias, Laici ſibi ipſis S. Communionem præbuerint, conſtat tum ex TERTULLIANO: qui Lib. II. ad Uxo-

rem

rem ait: „ Non sciet Maritus, quid ante omnem cibum gustes: & si sciverit „ Panem, non illum credet esse qui dici„ tur. „ Ex Basilio, qui Epist. ad Cæsariam Patriciam scribit, „ persecutionis „ temporibus necesse autem habere aliquem, „ si non adsit Sacerdos, Communionem „ propria manu sumere, minime esse gra„ ve, est supervacaneum ostendere, pro„ pterea, quod longa consuetudine etiam „ per res ipsas probetur. Omnes enim, „ qui sunt in Desertis Monachi, ubi non „ est Sacerdos, illic habentes communio„ nem, ex se ipsis eam sumunt. Alexan„ driæ autem & in Ægypto unusquisque „ ex Laicis, qui illic degunt, maxima ex „ Parte habent Communionem Domi suæ. „ Nam cum Sacerdos semel confecerit ho„ stiam, & dederit, eam, accipiens & com„ municans, tanquam a Sacerdote sumptam „ participare se debet credere; etenim in „ Ecclesia Sacerdos tradit particulam, & „ cum omni potestate ac libertate eam te„ net, qui accipit, & sic sua manu ad os „ eam adducit. „ Hæc Basilius, ubi observandum, olim Eucharistiam a Sacerdote non ori ingestam, ut hodie fit, sed ab ipsis communicantibus manu fuisse acceptam, ut clarum est ex Cyrillo Hierosolym. Cath. mystag. V. „ Accedens ad „ communionem, non expansis manuum „ volis accede, neque disjunctis digitis, „ sed sinistram veluti sedem quamdam sub-

„ jiciens

„ jiciens Dextræ, quæ tantum Regem su„ sceptura est, & concava manu suscipe „ Corpus Christi, dicens: Amen. „ Hæc autem erat Viros inter, ac Mulieres Differentia; quod illi nudis, lotis tamen manibus, istæ autem subjecto linteolo, quod *Dominicale* dicebatur, Eucharistiam acciperent. Sic Concilium ANTISSIODORENSE can. XXXVI. „ Non licet Mulieri nuda „ manu Eucharistiam accipere. „ Et AUGUSTINUS Serm. 252. de Temp. „ *Mulie*„ res quomodo nitidum exhibent linteo„ lum, ubi Corpus Christi accipiant, sic „ corpus castum & cor mundum exhibeant.

240 RESOLUTIO IV. Hodie Laici in Occidente, etiam in Casu Necessitatis, non permittuntur sibi Eucharistiam ministrare, nisi impetrata Dispensatione Pontificia.

PROB. I. ex can. *Presbyter*, de Consecr. Dist. 2. ubi id diserte prohibetur. 2. ex Ordine Romano, qui Subdiaconis prohibet Corpus Christi contingere. Ergo multo magis Laicis. „ Presbyteri & Diaco„ ni, ait, osculando Episcopum, Corpus „ Christi ab eo manibus accipiant in sini„ stra parte Altaris communicaturi. Subdia„ coni autem osculando manum Episcopi, „ & ore accipiant Corpus Christi ab eo. „

241 PROB. II. Pars. PIUS V. MARIÆ *Stuartæ*, Scotorum Reginæ, cum jussu Elisabeth Reginæ Angliæ in carcere detineretur, per-

misit,

misit, ut Euchariſtiam clam ſecum aſſervare, ſeque ipſam ea communicare poſſet.

Neque vero Reſolutioni obſtat divinum 242
Præceptum, quo omnes tenentur in Articulo mortis ſumere Euchariſtiam; hoc enim in defectu legitimi Miniſtri non urget, cum illo caſu non poſſit ſumi debita Reverentia. Quæ autem conditiones ad debitam Reverentiam requirantur, CHRISTUS Eccleſiæ determinandum reliquit. Sic etiam Sacerdos non jejunus, non poteſt conſecrare Euchariſtiam, etſi aliquis ſubito deceſſurus S. Viatico indigeret. Item Latinus etiam in neceſſitate non conſecrat licite Panem fermentatum in Defectu Azymi.

§. III.

De Subjecto Euchariſtiæ.

RESOLUTIO I. Infantibus olim in utra- 243
que Eccleſia Euchariſtia diſpenſabatur, quæ jam a Sæculo XII. in Occidente denegatur, in Oriente autem adhuc conceditur.

PROB. I. Pars ex CYPRIANO Lib. de Lapſis, ubi refert Miraculum, quod contigit cum Puella, quæ a Nutrice, Vino Idolis libato præventa, deinceps S. Sanguinem, reluctanti licet a Diaconis ori infuſum, retinere non potuit, ſed evomuit Sacramentum. 2. Ex GREGORIO M. qui ineunte

VII.

VII. Sæculo ſcripſit in Sacramentario : „ Qui etiam non prohibentur lactari ante S. „ Communionem, ſi neceſſe fuerit. „ Et ex HUGONE Victorino Sæcul. X. qui Lib. I. de Sacram. cap. II. ſcribit : „ Pueris „ recens natis idem Sacramentum in Spe„ cie Sanguinis eſt miniſtrandum Digito „ Sacerdotis.

Pars II. conſtat ex Authoribus, qui ab illo tempore de Ritibus Eccleſiæ ſcripſerunt: Tertia vero ex Arcudio, qui de illa Græcorum hodierna conſuetudine teſtatur, & a Schiſmaticis Latinæ Eccleſiæ exprobratum fuiſſe refert, quod Ritum illum antiquiſſimum immutaverit.

244 RESOLUTIO II. Energumenis olim *in* plerisque Eccleſiis Euchariſtia non dabatur, niſi in Articulo mortis : hodie iisdem conceditur, dum ſibi præſentes, & debite diſpoſiti ſunt.

PROB. I. Pars. Olim Energumeni cum Cathechumenis & Pœnitentibus a Miſſa fidelium excludebantur, ut ex Conſtit. Apoſt. evidens eſt legenti Lib. VIII. cap. VII. De Articulo mortis loquitur Concilium ELIBERITANUM can. XXXVII. „ Eos, qui a „ ſpiritibus immundis vexantur, ſi in fi„ ne mortis fuerint conſtituti, baptizari „ placet. Si vero fuerint fideles, dandam „ iis eſſe communionem.

PROB.

Prob. II. Pars. Concilium Arausicanum can. XIV. „ Energumeni jam baptizati, ſi de purgatione ſua curent, & ſe ſolicitudini Clericorum tradant, monitisque obtemperent, omnimodo communicent, Sacramenti ipſius virtute vel muniendi ab incurſu Dæmonum quo infeſtantur, vel purgandi, quorum jam oſtenditur vita purgatior. „ Hanc quoque eſſe Orientalium praxim probat Jueninus. 245

Resolutio III. Amentibus olim in Articulo mortis, ſi absque Irreverentiæ Periculo fieri poterat, Euchariſtia concedebatur: hodie non niſi iis conceditur, qui habent lucida Intervalla, & ſcintillas Rationis. 246

Prob. I. Concilium Arausicanum I. can. XIII. „ Amentibus quæcunque ſunt „ Pietatis, conferenda ſunt. „ Concilium Carthaginense IV. can. LXXVI. „ Is „ qui in infirmitate pœnitentiam petit . . . „ ſi in Phreneſin converſus fuerit, dent „ Teſtimonium qui eum audierunt. . . Et „ ſi continuo credatur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia. „

Pars II. conſtat ex hodierna Eccleſiæ Praxi & Teſtimonio D. Thomæ III. Part. Quæſt. 80. art. 9. Niſi forte jam prius Uſum Rationis, & Agnitionem hujus Sacramenti ac Devotionem habuerint, poſtea au- 247

autem per Infirmitatem eo fuerint deſtituti. Quibus Euchariſtiam dandam S. Thomas ibidem docet, niſi adſit Periculum Vomitus.

248 Resolutio IV. Circa damnatos ad ultimum Supplicium varia eſt Eccleſiæ Diſciplina.

Prob. I. Graviſſimorum criminum reis denegabatur Communio, quod maxime intelligendum de Euchariſtia, quæ conſuetudo quoad damnatos ad Supplicium adhuc perdurat in Gallia, & Hiſpania, ut teſtantur Theologi iſtarum Regionum.

249 Prob. II. Apud Germanos, & Italos econtra, ejusmodi Hominibus poſt Abſolutionem ſacramentalem, Euchariſtia diſpenſatur, ut notum eſt. Conſuetudo utraque ſuas probabiles habet Rationes, & Roma ſciente toleratur. Rationes pro Diſciplina Gallorum dat Jueninus.

250 Resolutio V. Mortuis Euchariſtiam dare, prohibitum eſt.

Prob. I. Euchariſtia debet poſſe comedi, & bibi; Chriſtus enim dixit: *Accipite, & manducate*, quod Mortui non poſſunt. Hinc Concilio Carthaginensi III. can. VI. *Placuit, ut corporibus defunctorum Euchariſtia non detur.* Ita quoque Concilium Trullanum can. LXXXIII. & Altissiodorense can. XII. Ratio in promptu eſt.

eſt. Euchariſtia eſt Cibus Animæ: atvero Cadaver jam non eſt amplius informatum Anima rationali: ergo.

Objic. contra Reſolut. I. Iis tantum poteſt dari Euchariſtia, qui ſe ipſos poſſunt probare, & Cibum ſacrum a profano diſcernere: neutrum poſſunt Infantes. Ergo. 251

Resp. Cum juxta Proteſtantes Parvuli poſſint baptizari & credere: ergo etiam diſcernere: aut ſi fides actualis non requiritur; neque diſcretio actualis. Paulus loquitur ſolum de Conſcientia Peccati, quorum conſcii, utique probare ſe debent. Parvuli ab originali mundati, & Peccati perſonalis incapaces, hac Probatione non egent.

Objic. II. Si Euchariſtia diſpenſatur Parvulis; tunc Ratione Fructus & Augmenti Gratiæ: ergo non debent nunc eodem per denegationem Euchariſtiæ defraudari. 252

Resp. Ut Veteres quondam præcipue attendebant ad Fructum Subjecti; ita Eccleſia nunc ſtudet conſulere Reverentiæ Sacramenti. Utraque conſuetudo ſuis rationibus nititur.

Objic. contra V. Reſolut. Amphilochius in vita S. Basilii teſtatur, S. Præſulem hunc, cum jam eſſet exhalaturus 253

 Ani-

Animam, Portione Eucharistiæ sumpta, reliquam servasse, ac secum sepeliri mandasse. Et GREGORIUS M. Lib. II. Dialog. cap. XXIV. refert, S. BENEDICTUM jussisse, ut supra corpus defuncti Pueri, quem Terra sæpius evomuit, Eucharistia cum magna Reverentia ponatur.

RESP. Dubitant nonnulli de veritate Historiæ: sed cum plura extent ejusmodi facta, ut, dum Author vitæ S. OTHMARI refert, quasdam Hostias adhuc incorruptas in sepulchro hujus Sancti fuisse inventas; hinc dicendum, viguisse in nonnullis locis hanc consuetudinem, ab Ecclesia tamen postea improbatam: Sanctos autem prædictos id extraordinarie fecisse, quæ tamen ad sequelam trahenda haud sunt.

CAPUT VII.

De Effectu, & Dispositionibus ad Eucharistiam digne recipiendam requisitis.

§. I.

De Effectibus hujus Sacramenti.

254 Cum Protestantes ex perverso suo Principio solam fidem justificare, doceant, ad Effectum Sacramenti consequendum solam requiri fidem; hinc inferunt, Euchari-

riſtiam *per ſe* mundare a gravi Peccato, nec aliam requiri Diſpoſitionem, niſi, ut Homo ſe ipſum probet, an fidem habeat divinis Promiſſionibus: & tunc, utut Peccatis graviſſimis inquinatus accedere debet; optima enim, ut inquiebat LUTHERUS, eſt Diſpoſitio, ſi quis minime eſt diſpoſitus. Imo voluit, non alios eſſe ad Communionem admittendos, quam qui Peccati Conſcientiam haberent. Sacramentum enim hoc tribuit Vitam ex Promiſſione Chriſti: Vita autem dari non poteſt, jam viventi, ſed mortuo.

Catholici, etſi in eo omnes conveniant, 255
primarium, & præcipuum Effectum Euchariſtiæ non eſſe Remiſſionem Peccatorum gravium, diſputant tamen, an non ſaltem *indirecte*, & *per accidens* in illo, qui bona Fide accedens, invincibiliter ignorat grave Peccatum, & eſt imperfecte contritus, Peccatum grave remittatur? Mihi utraque opinio videtur probabilis: hinc utriusque Motiva, cum ſuis Reſponſis proponam.

RESOLUTIO I. Nec *unicus*, nec *prima-* 256
rius, Euchariſtiæ Effectus eſt, Remiſſio Peccatorum gravium. *Eſt de Fide ex Concilio Tridentino Seſſ. XIII. can. 5. & 11.*

PROB. I. Paulus I. Corinth. XI. requirit Conſcientiam ab omni peccato gravi liberam: ergo Euchariſtia non remittit *per*

 ſe

ſe Peccatum grave. *Ant. prob.* PAULI Verbis: *Probet autem ſe ipſum homo, & SIC de Pane illo edat, & de Calice bibat; qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit* &c. Dein Parabola Convivii nuptialis adumbrat Euchariſtiam. Atqui graviter punitus fuit, qui præſumpſit ad illud accedere ſine Veſte nuptiali. Ergo &, qui ſine præparatione accedit.

257 PROB. II. Euchariſtia habet Rationem Cibi ſpiritualis: atqui Cibus non ordinatur ad vitam *conferendam*, ſed *conſervandam*, & augendas Vires. Ut enim Mortuo nil prodeſt cibus corporalis: ita nec Cibus ſpiritualis, Animæ ſpiritualiter mortuæ.

258 PROB. III. ex Traditione Eccleſiæ, *quæ* gravium criminum reos ab Euchariſtiæ *participatione* excluſit, nec prius admiſit, donec per Pœnitentiam conſcientiam emundaſſent. Patres quoque unanimiter in hoc Dogma conſpirant, ut paſſim legere eſt apud Dogmaticos.

259 Sententia affirmans, Euchariſtiam *per accidens*, & *indirecte*, Peccatum mortale remittere, nititur Motivis ſequentibus.

PROB. I. Authoritate Patrum, qui ſæpe dicunt, Euchariſtiam Peccata remittere. Atqui id non facit *per ſe*, & *directe*. Ergo ſaltem *per accidens*. Sic AMBROSIUS Lib. de Benedict. Patriarch. cap. IX. *Panis hic*

hic Remissio peccatorum est. CYRILLUS Alexandrin. Lib. IV. in Joann. cap. XVII. *Mihi crede, non mortem solum, sed etiam morbos omnes depellit.*

RESP. Textus hos, & similes, vel lo- 260
qui de Peccatis venialibus, vel Pœnalitatibus, e Peccato mortali relictis, ut sunt pravæ Affectiones, Inclinationes vitiosæ, ex Habitu præcedente relictæ, consequenter de Peccato mortali, solum quoad Reatum Pœnæ temporalis, vel de Remissione *ex Opere operantis*, quatenus Sacramentum Eucharistiæ disponit ad Contritionem perfectam: vel de Effectu Eucharistiæ in Ratione *Sacrificii*, qui est Remissio Peccati, non quidem *ex opere operato*, sed, quatenus per Sacrificium impetrantur Gratiæ actuales, quibus mediantibus Homo ad Pœnitentiam disponitur. Imo si hi textus loquerentur de Remissione Peccati mortalis *ex opere operato*; sequitur, id fieri *per se*, & *directe.* Denique faciunt ad summum aliquam *Probabilitatem*, non autem *Demonstrationem* theologicam.

PROB. II. Authoritate D. THOMÆ IV. 261
D. IX. Q. I. A. 3. Resol. 2. ☉. „ Si quis „ facta diligenti discussione suæ Conscientiæ, quamvis forte non sufficienti, ad „ Corpus Christi devote accedat, aliquo „ peccato mortali in ipso manente, quod „ ejus cognitionem præterfugiat, non pec-

Animam, Portione Euchariſtiæ ſumpta, reliquam ſervaſſe, ac ſecum ſepeliri mandaſſe. Et GREGORIUS M. Lib. II. Dialog. cap. XXIV. refert, S. BENEDICTUM juſſiſſe, ut ſupra corpus defuncti Pueri, quem Terra ſæpius evomuit, Euchariſtia cum magna Reverentia ponatur.

RESP. Dubitant nonnulli de veritate Hiſtoriæ: ſed cum plura extent ejusmodi facta, ut, dum Author vitæ S. OTHMARI refert, quasdam Hoſtias adhuc incorruptas in ſepulchro hujus Sancti fuiſſe inventas; hinc dicendum, viguiſſe in nonnullis locis hanc conſuetudinem, ab Eccleſia tamen poſtea improbatam: Sanctos autem prædictos id extraordinarie feciſſe, quæ tamen ad ſequelam trahenda haud ſunt.

CAPUT VII.

De Effectu, & Diſpoſitionibus ad Euchariſtiam digne recipiendam requiſitis.

§. I.

De Effectibus hujus Sacramenti.

254 Cum Proteſtantes ex perverſo ſuo Principio ſolam fidem juſtificare, doceant, ad Effectum Sacramenti conſequendum ſolam requiri fidem; hinc inferunt, Eucha-

ri-

riſtiam *per ſe* mundare a gravi Peccato, nec aliam requiri Diſpoſitionem, niſi, ut Homo ſe ipſum probet, an fidem habeat divinis Promiſſionibus: & tunc, utut Peccatis graviſſimis inquinatus accedere debet; optima enim, ut inquiebat LUTHERUS, eſt Diſpoſitio, ſi quis minime eſt diſpoſitus. Imo voluit, non alios eſſe ad Communionem admittendos, quam qui Peccati Conſcientiam haberent. Sacramentum enim hoc tribuit Vitam ex Promiſſione Chriſti: Vita autem dari non poteſt, jam viventi, ſed mortuo.

Catholici, etſi in eo omnes conveniant, 255
primarium, & præcipuum Effectum Eucharistiæ non eſſe Remiſſionem Peccatorum gravium, diſputant tamen, an non ſaltem *indirecte*, & *per accidens* in illo, qui bona Fide accedens, invincibiliter ignorat grave Peccatum, & eſt imperfecte contritus, Peccatum grave remittatur? Mihi utraque opinio videtur probabilis: hinc utriusque Motiva, cum ſuis Reſponſis proponam.

RESOLUTIO I. Nec *unicus*, nec *prima-* 256
rius, Euchariſtiæ Effectus eſt, Remiſſio Peccatorum gravium. *Eſt de Fide ex Concilio Tridentino Seſſ. XIII. can. 5. & 11.*

PROB. I. Paulus I. Corinth. XI. requirit Conſcientiam ab omni peccato gravi liberam: ergo Euchariſtia non remittit *per ſe*

ſe Peccatum grave. *Ant. prob.* PAULI Verbis: *Probet autem ſe ipſum homo, & SIC de Pane illo edat, & de Calice bibat; qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit* &c. Dein Parabola Convivii nuptialis adumbrat Euchariſtiam. Atqui graviter punitus fuit, qui præſumpſit ad illud accedere ſine Veſte nuptiali. Ergo &, qui ſine præparatione accedit.

257 PROB. II. Euchariſtia habet Rationem Cibi ſpiritualis: atqui Cibus non ordinatur ad vitam *conferendam*, ſed *conſervandam*, & augendas Vires. Ut enim Mortuo nil prodeſt cibus corporalis: ita nec Cibus ſpiritualis, Animæ ſpiritualiter mortuæ.

258 PROB. III. ex Traditione Eccleſiæ, quæ gravium criminum reos ab Euchariſtiæ participatione excluſit, nec prius admiſit, donec per Pœnitentiam conſcientiam emundaſſent. Patres quoque unanimiter in hoc Dogma conſpirant, ut paſſim legere eſt apud Dogmaticos.

259 Sententia affirmans, Euchariſtiam *per accidens*, & *indirecte*, Peccatum mortale remittere, nititur Motivis ſequentibus.

PROB. I. Authoritate Patrum, qui ſæpe dicunt, Euchariſtiam Peccata remittere. Atqui id non facit *per ſe*, & *directe*. Ergo ſaltem *per accidens*. Sic AMBROSIUS Lib. de Benedict. Patriarch. cap. IX. *Panis hic*

hic Remiſſio peccatorum eſt. Cyrillus Alexandrin. Lib. IV. in Joann. cap. XVII. *Mihi crede, non mortem ſolum, ſed etiam morbos omnes depellit.*

Resp. Textus hos, & ſimiles, vel lo- 260
qui de Peccatis venialibus, vel Pœnalitatibus, e Peccato mortali relictis, ut ſunt pravæ Affectiones, Inclinationes vitioſæ, ex Habitu præcedente relictæ, conſequenter de Peccato mortali, ſolum quoad Reatum Pœnæ temporalis, vel de Remiſſione *ex Opere operantis*, quatenus Sacramentum Euchariſtiæ diſponit ad Contritionem perfectam: vel de Effectu Euchariſtiæ in Ratione *Sacrificii*, qui eſt Remiſſio Peccati, non quidem *ex opere operato*, ſed, quatenus per Sacrificium impetrantur Gratiæ actuales, quibus mediantibus Homo ad Pœnitentiam diſponitur. Imo ſi hi textus loquerentur de Remiſſione Peccati mortalis *ex opere operato*; ſequitur, id fieri *per ſe*, & *directe*. Denique faciunt ad ſummum aliquam *Probabilitatem*, non autem *Demonſtrationem* theologicam.

Prob. II. Authoritate D. Thomæ IV. 261
D. IX. Q. I. A. 3. Reſol. 2. ⊙. „ Si quis „ facta diligenti diſcuſſione ſuæ Conſcien„ tiæ, quamvis forte non ſufficienti, ad „ Corpus Chriſti devote accedat, aliquo „ peccato mortali in ipſo manente, quod „ ejus cognitionem præterfugiat, non pec-

„ cat, imo magis *ex Vi* Sacramenti pec„ cati Remiſſionem conſequitur.„ Eadem habet in IV. Diſt. 9.

262 Resp. D. Thomas in Summa III. Part. Q. 79. Art. III. expreſſe docet, quod in hoc caſu communicans conſequitur gratiam charitatis, quæ Contritionem perficiet, & Remiſſionem Peccati, adeoque *ex opere operantis.*

263 Prob. III. Sacramentum Mortuorum, v. g. Baptiſmi, etiamſi *per ſe* inſtitutum ſit ad gratiam *primam*: attamen in homine, jam ante per Contritionem perfectam juſtificato, *per accidens* confert gratiam *ſecundam.* Ergo etiam Euchariſtia, etſi inſtituta ſit *per ſe* ad gratiam ſecundam; per accidens tamen confert *primam.*

264 Resp. Diſparitas eſt, quia juſtificatus ante Baptiſmum, eſt ſufficienter diſpoſitus ad Augmentum Gratiæ conſequendum; Sacramenta enim, tanquam cauſæ *per ſe* productivæ gratiæ, ſemper eam producunt in Subjecto apto: econtra communicans cum Peccato mortali, non eſt diſpoſitus ad Gratiam primam.

265 Prob. IV. Sanguis Chriſti eſt inſtitutus ad Remiſſionem Peccatorum; ait enim Christus: *Hic eſt Sanguis meus, qui pro mul-*

multis effundetur in Remissionem peccatorum : ergo operatur Remissionem Peccatorum.

Resp. Hoc probare nimium; sequeretur enim, Peccatum mortale *per se* remitti, si ad hoc instituta est Eucharistia. Itaque *dist.* Sanguis effunditur in Remissionem Peccatorum, in Ratione *Sacrificii. Conc.* In Ratione *Sacramenti.* Nego. 266

Prob. V. Primis Ecclesiæ Sæculis Fideles fere quotidie accedebant ad Communionem, & nisi in graviora, & publica crimina fuissent prolapsi, non accedebant prius ad solennem Pœnitentiam. Et tamen in tanta multitudine non est vero simile, quod non aliquis gravi Peccato fuerit affectus, quamvis non fuerit crimen *exceptum*, seu, *canonicum.* Nec etiam semper supponi potuit Contritio perfecta. Igitur Ecclesia censuit, per ipsam Communionem remitti Peccata mortalia non excepta; hæc enim debebant solenni Pœnitentia expiari. 267

Resp. Vel illos Fideles, Peccati gravis conscios, abstinuisse a Communione: vel expiasse Exhomologesi *privata* : vel juxta Præceptum Pauli probasse se ipsos per veram Contritionem. Constat aliunde, talem fuisse primorum Christianorum Vitam, ut in gravia Peccata raro fuerint prolapsi. 268

269 PROB. VI. Sacramentum Euchariſtiæ *directe* eſt inſtitutum ad exercendas, & augendas operationes Vitæ ſpiritualis. Ergo ubi reperit Subjectum ad Vitam diſpoſitum, remoto obice, cum alio modo ad finem ſuæ inſtitutionis pertingere nequeat, eo ipſo conferet Vitam.

RESP. Diſting. *conſ.* Remoto obice, per Pœnitentiam, vel *ex opere operantis. Conc.* per Euchariſtiam, & ex opere operato. *Neg.* & etiam *Suppoſitum*, quod talis, de quo ſermo eſt, ſit diſpoſitus ad Vitam, vel operationes Vitæ ſpiritualis. Non eſt quidem *poſitive* indiſpoſitus, ſed tamen *negative*; quia obicem prius poſuit. Hæ ſunt Rationes D. AMORT, plane non convincentes.

270 Sententia negans prob. I. Nullus Effectus tribuendus eſt Sacramento, de quo non conſtat ex S. Scriptura & PP. ſed de Remiſſione Peccati mortalis per Euchariſtiam non conſtat: ergo &c.

RESP. Diſting. Non debet Effectus adſtrui *certo*: *conc.* *probabiliter*, nego.

271 PROB. II. Concilium TRIDENTINUM Seſſ. XIII. can. V. „ Si quis dixerit, „ præcipuum fructum Euchariſtiæ eſſe Re„ miſſionem Peccatorum: Anathema ſit. „ Ergo &c.

RESP. Remiſſionem Peccati mortalis non eſſe Effectum *unicum*, & *præcipuum*, ut

ut volebant Proteſtantes, neque *directum*, ſed Effectum per *accidens*.

Prob. III. Idem Concilium cap. II. enu- 272
merat omnes Fructus & Effectus Euchariſtiæ, nec tamen memorat Remiſſionem Peccati mortalis: *ergo* &c.

Resp. Concilium tantum enumerat Effectus *certos*, *directos*, & *per ſe* tales, non autem Effectum per *accidens*.

Prob. IV. Idem loc. cit. „ Patres do- 273
„ cuerunt, quosdam ſacramentaliter duntaxat hoc Sacramentum ſumere, ut Peccatores: alios ſacramentaliter, ſimul & ſpiritualiter. Hi autem ſunt, qui ita ſe prius probant & inſtruunt, ut veſtem nuptialem induti ad divinam hanc menſam accedant. „ Atqui talis in caſu noſtro eſt Peccator, non habens veſtem nuptialem. Ergo ſacramentaliter ſolum ſumit, nec conſequitur Peccati Remiſſionem.

Resp. *Diſting.* Patres docuerunt, *ſa-* 274
cramentaliter ſolum comedi a Peccatoribus *poſitive* talibus, qui Peccati Conſcientiam habent. *Conc.* ab illis, qui non habent Conſcientiam Peccati, ſuntque ſolum indiſpoſiti *negative*. Nego. Non diffiteor tamen, hoc Argumentum ex omnibus, ſive pro, ſive contra propoſitis fortiſſimum eſſe, & quod alicui merito perſuadere poſſit Sententiam negativam. Probet enim ſe ipſum Homo,

Homo, etiam per Confessionem, si copiam habet; & *sic* de Pane illo edat. Ipsa enim Negligentia in discutiendo, quamvis excusetur a D. THOMA, videtur tamen esse peccaminosa, & Præcepto D. PAULI, imo divino, contraria. Et hæc forte est Ratio, cur TRIDENTINUM præceperit, ut sive Laicus, sive Sacerdos, ante Communionem Exhomologesi se expiet, saltem dum conscius est Peccati gravis.

275 PROB. V. Sacramentum non plus gratiæ *causat*, quam *significat*; sed Remissionem Peccatorum non *significat*: ergo nec *causat*. *Min. prob.* Tantum significat Refectionem spiritualem, quæ supponit Vitam: ergo hoc ipso Remissionem Peccatorum, quæ est Resuscitatio & vivificatio, non significat. Sicut enim cibus corporalis non vivificat temporaliter mortuum; ita nec Refectio Eucharistiæ spiritualiter mortuum.

276 RESP. *Disting.* Id solum causat *per se*, quod significat. *Conc.* Id neque causat *per accidens*, quod non significat. *Nego. Dist. min.* Significat Refectionem, sed *vivificantem*. Est enim Panis vivus, qui dat Vitam. *Conc.* solam Refectionem. *Subdisting.* Ordinarie, & per se. *Conc.* extraordinarie, indirecte & per accidens. *Nego.* Et hinc facilis est Disparitas inter cibum corporalem,

qui Vitam non continet: Euchariſtia autem ipſum Vitæ Authorem continet.

Prob. VI. Si Euchariſtia cauſaret Remiſſionem Peccatorum, eſſet Sacramentum mortuorum. Hoc dici nequit. Ergo. 277

Resp. Si cauſaret eam directe, & per ſe. *Conc.* Si tantum indirecte, & per accidens. *Nego.* Ex eo enim quod Baptiſmus quandoque conferat gratiam ſecundam; non fit Sacramentum vivorum. Ergo a pari.

Prob. VII. Si hoc Sacramentum cauſaret gratiam *primam*; cauſaret illam *per ſe.* At hoc eſt falſum. Ergo. *Maj. prob.* Illud cauſat Sacramentum per ſe, quod cauſat ex Intentione & Inſtitutione Chriſti: ſed, ſi Euchariſtia cauſaret gratiam *primam*, cauſaret illam ex Intentione & Inſtitutione Christi; quia non poteſt quidquam efficere præter Chriſti Inſtitutionem, a qua omnis Sacramenti Effectus eſt. Ergo ſi cauſaret gratiam primam, cauſaret illam *per ſe.* 278

Resp. *Diſt.* 2dam *Maj.* Illud cauſat per ſe, quod cauſat ex Inſtitutione & Intentione Christi, *primario & ordinarie* intenta. *Conc.* *ſecundario & extraordinarie* a Chriſto intenta. Nego. Chriſtus ſe dedit in Refectionem, quæ ordinarie ſupponit Vitam: ſed quia dedit Refectionem *vivam*, & *vivificantem*; hinc extraordinarie, ſecunda- 279

dario, & per accidens, etiam intendit vivificare bona Fide accedentem.

280 Prob. VIII. Qui non eſt diſpoſitus, licet invincibiliter ſe credat eſſe diſpoſitum; non eſt ſufficienter diſpoſitus ad Gratiam in Sacramento Pœnitentiæ conſequendam, cum ſit tamen Sacramentum mortuorum. Ergo multo minus ad Gratiam ſecundam, in Sacramento vivorum.

281 Resp. Diſparitatem eſſe. In Sacramento Pœnitentiæ Actus Pœnitentis ſe habent ut Materia eſſentialis: qui autem non eſt vere contritus, non affert eſſentialem Materiam, & ideo neque conficitur Sacramentum, neque Effectus Sacramenti ſequi poteſt: Contra, Diſpoſitio in Sacramento Vivorum, non eſt Materia Sacramenti; & ideo licet indiſpoſitus *negative*, poteſt per ipſum Sacramentum *per accidens* ſaltem reddi diſpoſitus *poſitive* ad obtinendam gratiam ſecundam. Hæc in utramque Partem. Jam datur Optio, eligendi alterutram.

282 Resolutio II. Proprii Effectus Euchariſtiæ ſunt ex Parte Animæ 1. Gratia ſecunda, ſeu, Habitus nutritivus. 2. Remiſſio Peccatorum venialium. 3. Perſeverantia in Bono, ſeu, Præſervatio a Peccatis futuris. 4. Delectatio interna. 5. Ex Parte Corporis: Reſurrectio. Ita colligitur

tur ex Concilio FLORENTINO, & TRIDENTINO.

PROB. I. Pars. Gratia clare promiſſa eſt Euchariſtiæ: *Qui manducat me, ipſe vivet propter me*: conſtatque ex eo, quod ſit verum Sacramentum; omni autem Sacramento proprium ſit conferre gratiam. Cum autem Euchariſtia ſumatur per modum Cibi ſpiritualis Animæ; hinc id operatur in Anima, quod cibus in corpore. Quare expreſſe ait Concilium FLORENTINUM in Decreto ad Armenos: „ Hujus Sacra„ menti Effectus, quem in Anima opera„ tur digne ſumentis, eſt Ordinatio homi„ nis ad Chriſtum, & quia per gratiam „ Chriſto incorporatur, & membris ejus „ unitur, conſequens eſt, quod per hoc „ Sacramentum in ſumentibus digne gra„ tia augeatur, omnemque effectum, quem „ materialis cibus & potus quoad vitam „ agunt corporalem, ſuſtentando, augen„ do, reparando, & delectando, Sacramen„ tum hoc quoad vitam operetur ſpiritua„ lem: „ quæ omnia poſt D. THOMAM fuſius explicat D. HABERTUS.

PROB. II. Pars I. ex TRIDENTINO Con- 283
cilio Seſſ. XIII. cap. II. „ Sumi autem vo„ luit Chriſtus Sacramentum hoc tanquam „ Antidotum, quo liberemur a culpis quo„ tidianis. „ Id quoque affirmant Patres. S. AMBROSIUS Lib. V. de Sacram. cap. IV. „ Iſte Panis quotidianus ſumitur in Reme-

dium

„ dium quotidianæ Infirmitatis. „ Ratio eſt. Euchariſtia auget Fervorem Charitatis; nam & Refectio corporalis vires deperditas reſtaurat, & naturalem calorem auget. Atqui Fervor Charitatis expellit Peccata venialia. Cum enim Peccata venialia conſiſtant in Diminutione Fervoris Charitatis; hoc aucto, illa cedere debent.

284 Prob. III. Pars ex Tridentino cit. *quo & a peccatis mortalibus præſervemur.* Et ex Christi promiſſione: *Si quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum*: quod cum nequeat intelligi de Vita corporali; intelligi poterit de Vita Animæ, ejusque præſervatione a Morte. Ratio eſt. Per Euchariſtiam Vita ſpiritualis roboratur: hinc ut corpus debite robuſtum facilius præſervatur ab Infirmitatibus; ita etiam Anima Corpore Chriſti ſaginata. Dein: Mors infligitur ab Hoſtibus, vel a Morbis: at Euchariſtia arma ſuppeditat contra Hoſtes Animæ, & medicinam adverſus Morbos; cum Chriſtus ſit Animæ omnia.

285 Prob. IV. Pars ex illo Eccleſiæ. *Pinguis eſt Panis Chriſti, & præbebit delicias Regibus.* Hinc Clemens V. in Concilio Viennensi: „ In hoc Sacramento habetur „ omne delectamentum, & omnis ſaporis „ ſuavitas, ipſaque Dulcedo Domini degu„ ſtatur: „ ad inſtar Mannæ veteris; adeoque dici accedentibus poteſt: *guſtate, & videte,*

dete, quia ſuavis eſt Dominus. Quod vero eam ſuavitatem non ſemper guſtent ſumentes; potiſſimum provenit ex Defectu Devotionis & Præparationis. Hinc S. BERNARDUS Serm. V. de Aſcenſ. Domini. „ Unde ſpiritualis gratiæ inopia tanta quibusdam, cum aliis copia tanta exuberet? Præoccupatam nempe ſæcularibus Deſideriis Animam Delectatio ſancta declinat: nec miſceri poterunt vera vanis, æterna caducis, ſpiritualia corporalibus, ſumma imis, ne pariter ſapias, quæ ſurſum ſunt, & quæ ſuper terram. „ Quandoque Deus tentationis gratia etiam ſuis Amicis ſenſibilem delectationem ſubtrahit.

PROB. V. Pars ex ſacra Scriptura Joann. 286
VI. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum noviſſimo die.* Tum ex Patribus, qui Corporum Reſurrectionem ad vitam beatam Euchariſtiæ paſſim adſcribunt. Sic CYRILLUS Alexandr. Lib. IV. in Joann. cap. II. „ Fieri prorſus nequit, ut qui ſecundum Naturam Vita eſt, corruptionem non ſuperet, ac vincat mortem. Proinde licet Mors, qui per Prævaricationem nos invaſit, humanum corpus corruptionis neceſſitati ſubjiciat: tamen quia Chriſtus per ſuam ipſius carnem in nobis eſt, omnino reſurgemus. Incredibile enim eſt „ imo vero impoſſibile, ut vita eos, in quibus fuerit, non vi-

„ vivificet. Quemadmodum enim ſcintil-
„ lam multis Paleis inſerimus, ut ſemen
„ ignis ſervemus; ſic etiam Dominus no-
„ ſter JEſus Chriſtus per Carnem ſuam in
„ nobis Vitam ingerit, ac velut quoddam
„ ſemen immortalitatis inſerit, quod to-
„ tam, quæ in nobis eſt, corruptionem
„ abolet. „ Dein obijcit ſibi: *Dicet forſan aliquis, qui fidem in Chriſtum non ſuſceperunt, nec facti ſunt ejus participes, Reſurrectionis tempore non reviviſcent?* Reſpondet:
„ Reſurgere ad Pœnam, & ad ſola ſupplicia
„ excitari, morte ipſa longe acerbius eſſe ju-
„ dico. „ Quomodo vero hanc Incorruptionem & immortalitatem corporis Euchariſtia efficiat, difficile explicatu eſt: debetque denique ad ſolam Voluntatem omnipotentis Dei recurri, ut enim Adamo non peccante Lignum Vitæ hanc habuiſſet Deo diſponente Efficaciam, ut ab Incorruptione præſervaret corpora hominum innocentum; ita homine per novum Adam reparato, Euchariſtia, quæ nos Chriſto concorporeos facit, id ipſum Deo volente efficere poterit.

§. II.

De Diſpoſitionibus, ad licitam & utilem Euchariſtiæ perceptionem requiſitis.

287 De Adultis, quibus ſolis jam apud Latinos diſpenſatur Euchariſtia, ſermo eſt.

Sunt

Sunt autem Diſpoſitiones aliæ ex parte *Animæ*, aliæ ex parte *Corporis*: item aliæ, quæ *licitam*, aliæ quæ etiam *utilem* reddant ſumptionem. Cum Euchariſtia ſe habeat per modum Cibi Animæ; hinc quemadmodum 3. requiruntur in Refectione corporali. 1. ut reficiendus, ſit vivens. 2. ſanus; nam febri laborantibus nocet. 3. ut quieſcat; labor enim diſſipat vitales ſpiritus ad concoctionem neceſſarios: ita & ſimilis fere Diſpoſitio requiritur in ſumente Euchariſtiam, ut & *licita* ſit, & *utilis*.

Resolutio I. Ad *licitam* Sumptionem Euchariſtiæ, neceſſarius eſt Status Gratiæ, tanquam Vita ſpiritualis Animæ. *Eſt de fide contra Lutherum ex* Tridentino *Seſſ. XIII. can. II.* 288

Prob. ex dictis Num. 256. Euchariſtia non remittit Peccatum mortale. Ergo ſupponit Statum Gratiæ, & ita quidem; ut, ſi quis cum conſcientia Peccati gravis accedat, novi Peccati, & Sacrilegii reus fiat, & Sanguinis Domini. Hinc Tridentinum Seſſ. cit. cap. VII. ſpeciale Præceptum tulit pro Sacerdotibus, ut ſi gravis Peccati conſcii, & neceſſitate celebrandi adacti, Confeſſionem præmittere non potuerint, defectu Confeſſarii, ſed Contritionem, quam primum confiteantur, ubi *copiam Confeſſarii* habuerint. Cum autem Probabiliſtæ aliqui To *quamprimum*, interpretarentur: *cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur*, Alexan-

 DER

DER VII. & Clerus Gallicanus anno 1700. eam explicationem damnarunt.

289 RESOLUTIO II. Ad *utilem* Eucharistiæ sumptionem requiritur Immunitas ab Affectu ad Peccata venialia.

RESP. I. Gratia sacramentalis consistit præcipue in Augmento Fervoris Charitatis. At, quando adest Affectus ad Peccata venialia, Fervor Charitatis augeri nequit: ergo requiritur Immunitas: secus impeditur Fructus hujus Sacramenti. Veluti enim non solum non conducunt, sed etiam nocent Alimenta febricitantibus; ita etiam Eucharistia, si Anima laboret Febri Avaritiæ, Iracundiæ, Ambitionis &c.

290 II. est contra Reverentiam, ad tremenda Mysteria cum Affectu ad Creaturas accedere, & sumere Creatorem. Ita AUGUSTINUS Serm. $\frac{244}{292}$ N. 6. „ Sed dicis: Peccatum quidem est, sed tamen parvum „ est. Nec nos dicimus, quia capitale est, „ sed tamen si frequentius exerceatur, nimis immundam Animam facit, & cum „ nullus homo velit cum tunica sordibus „ plena ad Ecclesiam convenire: nescio „ qua conscientia anima per luxuriam (scilicet venialem in usu immoderato conjugii) præsumit ad Altare accedere, non „ timens illud: *qui manducat indigne* &c. „ Si erubescimus Eucharistiam manibus for-

„ didis

„ didis tangere; plus debemus timere, ip-
„ ſam in Anima polluta ſuſcipere. „

Resolutio III. Requiritur etiam ad *utilem* ſumptionem *actualis*, vel ſaltem *virtualis* Devotio: qua abſente, & ſi in ipſa ſumptione aliquis cum voluntaria Diſtractione, absque ulla Devotione accedit, Fructus hujus Sacramenti impeditur. 291

Prob. I. Authoritate S. Basilii Regul. 21. cap. VII. „ Qui ad Communicationem
„ Corporis & Sanguinis Chriſti accedit,
„ neque Rationem illam conſiderat, cujus
„ cauſa inſtituta eſt, utilitatis ex ea fructum
„ nullum reportat.

II. S. Thomas in IV. D. XII. Q. II. A I. Res. 3. ☉. „ Dicendum, quod omnis 292
„ perfectio adquirenda impeditur per re-
„ motionem propriæ diſpoſitionis. Sicut
„ autem diſpoſitiones naturaliter ſe habent
„ ad perfectionem formæ, ita actus ſe ha-
„ bent ad perfectionem finis. Unde cum
„ hoc Sacramentum perficiat conjungendo
„ fini, ad hoc quod effectum ſuum plene
„ habeat in ſumente, oportet, quod adſit
„ actualis devotio. Et quia interdum abs-
„ que mortali peccato actualis devotio im-
„ pediri poteſt, cum diſtractiones variæ
„ ipſam impediant, & peccata venialia vir-
„ tutum actum tollant, absque peccato
„ mortali poteſt effectus hujus Sacramenti
„ impediri, ita quod aliquis augmentum

„ gratiæ non consequatur, nec tamen rea-
„ tum peccati mortalis incurrat, sed for-
„ te reatum venialis peccati, ex hoc quod
„ operatus accedit. „ Et ad I. Ubi ex AMBROSIO objiciebatur, eum spiritualiter manducare, & consequenter gratiam consequi, qui Innocentiam, id est, carentiam Peccati mortalis ad Altare portat, sic respondet. „ Dicendum, quod innocentiam
„ portans spiritualiter manducat *habitu*, sed
„ non semper *actu*, & ad hoc quod effe-
„ ctum Sacramenti percipiat, oportet, quod
„ *actu* spiritualiter manducet. „ Ibidem ad 2. „ Effectus Baptismi non impeditur,
„ nisi per propositum peccati mortalis com-
„ mittendi, quod directe vitæ spirituali
„ opponitur. Sed in hoc Sacramento fit
„ conjunctio ad finem, quæ debet esse per
„ debitam operationem. Et ideo defectus
„ talis operationis impedit effectum Sacra-
„ menti. Ad 3. Dicendum, quod non om-
„ ne peccatum veniale impedit effectum
„ hujus Sacramenti, sed solum illud, quod
„ tollit actualem devotionem, quæ exigi-
„ tur in hoc Sacramento. „

293 PROB. III. Ratione. Si Eucharistia, etiam absque Devotione sumpta, conferret Effectum *ex opere operato*; sequeretur, quotidianam Communionem omnibus fidelibus *utilem* esse, modo a Peccato gravi sint immunes: atqui hoc est contra Decretum INNOCENTII XI. de Communione quotidiana,

na, & contra mentem Sanctorum, qui plerumque docent, iis tantum ſuadendam, aut permittendam eſſe frequentem Communionem, quibus *utilis* eſt: ergo ſupponitur, non *omnibus* eſſe *utilem*: eſſet autem, ſi ſemper Effectum hunc produceret.

IV. Augmentum Gratiæ & Charitatis 294
habitualis nunquam fit in Adulto ſine Augmento Charitatis *actualis*: ſed Augmentum Charitatis *actualis*, non poteſt eſſe ſine *Actu interno* Devotionis, ergo ſine Devotione *actuali*, vel *virtuali* Charitas habitualis augeri nequit. *Maj. prob.* Adultis nunquam infunditur Habitus Charitatis ſine Actu Charitatis, qui ſe habet per Modum Diſpoſitionis. Ergo nec Augmentum infunditur ſine Actu Charitatis. *Anteced.* eſt D. THOMÆ, & patet ex eo, quod nullum Sacramentum in Adultis operetur, niſi per proprios Actus fuerint Actu diſpoſiti: Adulto enim non remittitur in Baptiſmo originale, vel actualia Peccata, ſine actuali mutatione Animi, quæ fit per Pœnitentiam. Inſuper D. THOMAS I. II. Q. 113. art. III. expreſſe docet, Gratiam nec dari, nec augeri, nec Peccatum remitti Adultis, ſine motu Cordis & præparatione. Vid. etiam III. Part. Q. 66. art. II. & Q. 87. art. I.

V. Hoc Sacramentum eſt inſtitutum per 295
modum cibi: ſed cibus non habet Effectum, niſi Actu a Vivente ſumatur, maſticetur,

 de-

deglutiatur. Ergo & Euchariſtia non reficit, niſi per actualem Devotionem, quæ eſt ſpiritualis maſticatio, ſumatur. Hunc in Finem audiendus etiam S. BONAVENTURA in IV. D. 12. a. I. q. I. ⊙. „ Ad hoc „ quod Sacramentum hoc habeat in aliquo „ Efficaciam, 1. Oportet cibum illum ab „ aliis diſcernere per Fidem. 2. Hoſpitium „ præparare per ſui ipſius præparationem. „ 3. In hoſpitium paratum recipere cum „ honore & Reverentia. „

296 VI. Subintrat hic etiam Ratio generalis. In Sacramentorum enim ſuſceptione intercedit aliquod quaſi Pactum inter Deum, & Hominem. Deus ex ſua parte offert Gratiam, Sacramenti Fini competentem. Ergo etiam ex parte Hominis debet adeſſe Propoſitum, Gratiam acceptandi, illaque ad Finem Sacramento proprium utendi: Jam vero illud Propoſitum, eſt ipſa actualis, vel Virtualis Devotio, ut dictum eſt de Sacramentis in genere.

297 OBJIC. I. Si communicans ſine actuali Devotione nullum conſequeretur Fructum ex opere operato; ſequeretur, eum peccare graviter; grave enim Peccatum eſt, Sacramentum ſuo privare Effectu. Atqui hoc videtur nimium. Ergo &c.

RESP. *Diſt. maj.* Si privat Sacramentum Effectu, per Indiſpoſitionem *poſitivam. Conc.* Si per *negativam.* Nego.

OBJIC.

OBJIC. II. JOANNES Damascen. Lib. IV. 298
de Fid. Orthod. cap. XIV. dicit, quod *Caro Christi in Eucharistia* sit *sicut Carbo*: ergo sicut carbo ignitus calefacit etiam id, quod nihil habet caloris, ita Corpus Christi Charitate inflammat etiam omni Devotionis calore destitutos.

RESP. Disparitas est; quia Subjectum calefactionis, respectu carbonis, se habet mere *passive*: Econtra vero CHRISTUS non operatur in nobis, *sine nobis*, id est, sine proprio Motu cordis, qui est actualis, vel virtualis Devotio.

OBJIC. III. D. THOMAS III. Part. Q. 80. 299
a. 8. ad 1. expresse retractavit suam Sententiam. Sic enim ait: „ Ille, qui cum actu peccati venialis ad hoc Sacramentum accedit, „ *habitualiter* quidem manducat spiritualiter, „ sed non *actualiter*; & ideo habitualem „ hujus Sacramenti Effectum percipit, non „ autem actualem. „

RESP. D. THOMAS per *habitualem* manducationem intelligit Devotionem *virtualem*. Sæpe enim To *habitualiter*. sumit pro To *virtualiter*. Per actualem autem Fructum, non intelligit Gratiam Sacramenti propriam, sed spiritualem & sensibilem Delectationem.

RESOLUTIO IV. Ex Parte Corporis re- 300
quiritur Jejunium naturale de Præcepto Ecclesiæ, & Puritas Corporis. *Communis*.

Prob. I. Pars ex Regula S. Auguſtini: „ Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conci- „ liis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt; „ non niſi Auctoritate Apoſtolica traditum, „ rectiſſime creditur. „ Atqui Jejunii naturalis Euchariſtiæ præmittendi Lex, ab univerſa ubique Eccleſia obſervatur, nec ejus Initium reperitur in Conciliis. Ergo. *Min. prob.* Tertullianus Lib. II. ad Uxorem: *Neſciat maritus, quid ſecreto ante omnem cibum guſtes.* Cyprianus Epiſt. LXVI. ad Cæcil. „ Nunquid Dominicum poſt Cœnam cele- „ brare debemus, ut ſic mixtum Calicem fre- „ quentandis Dominicis offeramus? Chri- „ ſtum offerre oportebat circa Veſperum „ Diei, ut hora ipſa Sacrificii oſtenderet oc- „ caſum & Veſperum mundi: nos autem Re- „ ſurrectionem Domini mane celebramus. „ Equidem ab hac univerſali conſuetudine non nullæ Eccleſiæ in Africa receſſerant, quod tamen Concilium Carthaginense III. can. XXIX. ſuſtulit: „ Ut Sacramenta Altaris „ nonniſi a jejunis hominibus celebrentur, „ excepto uno die anniverſario, quo Cœ- „ na Domini celebratur. „

301 Jejunio naturali excluditur, quidquid ab extrinſeco per modum Cibi in Stomachum poſt mediam noctem trajicitur, & in Stomacho immutatur. Quæſtiones practicas huc pertinentes reſolvit D. Amort Diſp. V. §. IV.

Graviter quidem hoc Ecclesiæ Præceptum 302
obligat: sunt tamen casus, quibus etiam a non jejuno Eucharistia sumi licite potest & debet. 1. Si Sacerdos post Consecrationem inopinato casu non posset sumere Corpus, vel Sanguinem, debet alius, etiam non jejunus Sacrificium complere. 2. Si Sacerdos in sumptione advertat, loco Vini aquam fuisse consecratam; tunc enim debet de novo Vinum consecrare & sumere. 3. Si post sumptionem & Communionem Populo dispensatam supersint Reliquiæ in Corporali. 4. Ægrotus Viaticum etiam non jejunus accipere potest, si aut alteram Diem exspectare aut Cibo, vel medicina abstinere nequeat: non liceret vero ex communi Sententia illo in casu a Sacerdote non jejuno consecrari Eucharistiam ad præbendum morituro Viaticum.

Prob. II. Pars ex S. Augustino Serm. 303
XLVI. de Verb. Dom. „ Qui audit dicentem me: quicunque non servatis castitatem, nolite accedere ad illum Panem, contristatur. Et ego nollem hoc dicere, sed quid facio? timebo hominem, ut taceam veritatem? „ Ratio congruentia est. Cum Christus sit Agnus purissimus, sine macula; conveniens est, ut sine pollutione suscipiatur in Animo, maxime, cum etiam in Lege veteri ejusmodi Puritas in Sacerdotibus fuerit requisita, & hodie in Ecclesia Latina ex eadem ratione Clerici a Conjugio arceantur, quia fere continuo participant, vel assistunt my-

mysteriis. Ecclesia autem Græca, quamvis Sacerdotum permittat conjugium, eo tamen die, quo Sacris operantur, ab Usu ejus abstinere debent.

304 Est autem observandum, Pollutionem involuntariam, modo turpes cogitationes, Animique perturbationem post se non relinquat, non obstare, quo minus aliquis eo etiam Die ad S. Communionem accedere queat. Idem dicendum de Actu conjugali, non ex Libidine, sed Amore Prolis procreandæ exercito. Ita respondet GREGORIUS M. ad Consulta AUGUSTINI Anglorum Episcopi: „ Oportet itaque legitima carnis copula, ut causa „ prolis sit, non voluptatis, aut carnis commixtio creandorum liberorum sit gratia, „ non satisfactio vitiorum. Si quis ergo sua „ conjuge, non cupidine voluptatis captus, „ sed solummodo liberorum procreandorum „ gratia utitur; iste profecto sive de Ecclesiæ ingressu, seu de sumendo Corporis Dominici Sanguinisque Mysterio, suo est relinquendus judicio. „ Ita quoque respondet D. THOMAS.

CAPUT VIII.

De Eucharistia, ut Sacrificio.

305 Sacrificium, quod est *oblatio Rei externa sensibilis, Deo facta a legitimo Ministro cum illius destructione, vel immutatione, ad profitendum supremi Dei Dominium, nostramque ad eum subjectionem*, in omni vera Religione esse neces-

sa-

ſarium, atque in nova Lege etiam exiſtere, oſtendi in Diſſertatione II. *de Eccleſiæ Catholicæ Hierarchia*, hocque Sacrificium, noſtram eſſe Euchariſtiam, ibidem demonſtravi: quare hic mihi licebit eſſe breviori. Et §. I. Dogma, §. II. Quæſtionem ſcholaſticam, in quo eſſentialis Ratio Sacrificii noſtri conſiſtat? paucis elucidabo.

§. I.

An Euchariſtia ſit verum novæ Legis Sacrificium?

RESOLUTIO. Euchariſtia eſt verum & pro- 306
prie dictum novæ Legis Sacrificium.

PROB. I. Religio vera, non poteſt carere Sacrificio proprie dicto. Atqui Chriſtiana Religio eſt vera: ergo non poteſt carere &c. atqui aliud non poteſt aſſignari, præter Euchariſtiam. Ergo &c. *Maj. prob.* Fuit omni tempore, omnium gentium perſuaſio, Deos, ſeu falſos, ſeu veros, Sacrificio proprie tali eſſe colendos: hinc nulla unquam extitit gens, quæ Sacrificia non obtuliſſet Diis, ſaltem exiſtimatis: atqui ex Cicerone L. I. de Nat. Deor. N. 3. *Conſenſio omnium gentium Lex Naturæ putanda eſt.*

PROB. II. In Statu Legis *Naturæ*, & 307
ſcriptæ, extiterunt vera Sacrificia, ut conſtat ex ABEL, NOE, ABRAHAM, & ceteris Patriarchis: ergo & in novo aliquod exiſtit.

PROB. III. Deus apud MALACHIAM 308
prædixit, abrogatis omnibus veteris Legis

Sa-

Sacrificiis cruentis, in omni loco offerendum esse in Christiana Ecclesia oblationem mundam, sibique in omni loco fore sacrificandum: atqui hoc Sacrificium omni in loco, a Solis Ortu & Occasu offerendum, non est aliud, quam Eucharistia, quæ in Ecclesia toto orbe diffusa ubique, & quotidie offertur. *Ergo.*

309 Objic. IV. Datur in Ecclesia Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, qui Panem & Vinum obtulit. Atqui hoc ipsum fit in Eucharistia: *ergo* &c. Ubi autem est Sacerdos; ibi necessario datur Sacrificium. Nec potest responderi, Christum in Ara Crucis obtulisse Sacrificium cruentum: nam

310 Contra est. Christus est Sacerdos *in æternum* secundum ordinem Melchisedech: atqui offerendo se ipsum in Cruce non successit Melchisedecho, qui non obtulit Sacrificium cruentum, sed obtulit ex Pane & Vino. Ergo ut dici possit *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, debuit ad instar illius sacrificasse in Pane & Vino. Hoc autem fecit in ultima Cœna, offerendo Sacrificium incruentum: simulque voluit, ut Apostoli id ipsum facerent in sui commemorationem. Ergo voluit, Sacrificium Eucharistiæ in Ecclesia fore perpetuum.

311 Objic. I. Paulus ad Hebræos X. de Sacrificio Christi loquens ait: *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.*

tos. Ergo præter Sacrificium Crucis cruentum, non datur aliud.

Resp. Paulum velle, quod Christus Sacrificio cruento in Cruce ad ſufficientiam ſatisfecerit pro omnibus hominibus ſanctificandis, quæ tamen Sanctificatio non omnibus actu applicatur. Hinc Christus adhuc hodie in Cœlis per Manus ſuorum Sacerdotum Pretium ſui Sanguinis Patri offert pro Sanctificatione hominum. Ipſe eſt enim principalis Sacerdos. Dein ſi ſolum daretur Sacrificium *Crucis*; ſequeretur, Chriſtum non eſſe Sacerdotem ſecundum ordinem *Melchiſedech*, qui Panem & Vinum obtulit. Sequitur, quod non *quotidie*, & *in omni loco* illud offeretur, quod tamen prædixit Malachias.

Objic. II. Idem cap. VII. *Et alii quidem plures facti ſunt Sacerdotes; idcirco quod* 312
morte prohiberentur permanere. Hic autem, eoquod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium. Ergo ſolus Chriſtus eſt Sacerdos, conſequenter non datur aliud Sacrificium.

Resp. Argumentum ſupponit, Sacerdotes noſtros, Chriſti Sacerdotio ſuccedere, quod falſum eſt: cum enim Chriſtus ſit Sacerdos *in æternum*: ipſe quotidie per ſuos Miniſtros conſecrat, ſacrificat &c. Cum ſit principalis offerens & Hoſtia ſimul.

Objic.

313 OBJIC. III. CHRISTUS ait Joann. IV. *Venit hora, & nunc est, quando veri Adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Ergo Christiani non habent sensibile Sacrificium, sed solas Preces, & Actus Virtutum.

RESP. Christus ibi tantum excludit *legalia* Sacrificia, quæ in solo Templo Jerosolymitano poterant offerri, non autem *omne* Sacrificium, quod ipse in ultima Cœna obtulit, & quotidie in universo orbe per suos Ministros offert, quod cum Sacrificiis carnalibus comparatum, potest dici *Spiritus*, & *veritas*, utpote per illa Sacrificia, tanquam Figuras Eucharistiæ, præsignata.

314 OBJIC. IV. Sacrificium est Res, quæ Deo ab hominibus offertur: atqui Eucharistia non Deo, sed nobis exhibetur; non enim Christus dixit: *accipe Pater cœlestis* &c. sed ad Apostolos: *accipite & manducate* &c. *bibite* &c.

RESP. Nego *min.* Eucharistia enim, in quantum est *Sacrificium*, offertur Deo pro nobis: in quantum est *Sacramentum*; communicatur nobis ad spiritualem alimoniam, & Fructum Sacramenti consequendum.

315 OBJIC. V. Sacrificium propitiatorium offertur in Remissionem Peccatorum: atqui Eucharistia tantum celebratur in Memoriam Christi. *Ergo* &c.

RESP. Nego *min.* Namque ex Formula Consecrationis constat, *in Remissio-*

nem Peccatorum incruentum celebrari Sacrificium.

Objic. VI. Si Euchariſtia eſſet Sacrificium pro Peccatis; tunc Mors Christi non ſuſtuliſſet omne Peccatum: ſed hoc eſt falſum. *Ergo* &c. 316

Resp. *Diſt. maj.* Non ſuſtuliſſet omne Peccatum, quoad ſufficientiam. *Nego.* quoad actualem Applicationem. *Conc.*

Objic. VII. Si Euchariſtia eſſet Sacrificium propitiatorium; tunc una Miſſa vel deleret unum, aut plura, aut omnia Peccata, vel pluribus opus eſſet Miſſis pro pluribus Peccatis? Nihil horum certo definiri poteſt. *Ergo* &c. 317

Resp. Cum Valor Sacrificii quoad Sufficientiam ſit *infinitus*, finito autem modo applicetur, & Peccata non *immediate* remittat, ſed mediantibus gratiis actualibus, quibus Peccator ad Contritionem & Pœnitentiam diſponitur; hinc pro proportione diſpoſitionis Miſſa in actuali applicatione plus, minusve remittit.

§. II.

De eſſentiali Ratione Sacrificii.

Resolutio. Eſſentia Sacrificii Miſſæ non conſiſtit in Oblatione, 2. nec in Fractione Hoſtiæ, 3. nec in Diſtributione, 4. nec in ſumptione, 5. ſed in ſola Conſecratione Panis & Vini: quamvis ſumptio ad Integritatem Sacrificii pertineat. 318

Prob. I. Pars. Certum eſt ex fide, Christum in ultima Cœna obtuliſſe verum Sacrificium; at non legitur, uſum fuiſſe Oblatione vocali. Ergo &c. 2. In Sacrificio novæ Legis offerri debet ipſemet Christus, qui eſt Hoſtia: atqui in Oblatione vocali nondum eſt præſens. *Ergo* &c.

319 Prob. II. Pars. Si Hoſtia, antequam frangatur manu Sacerdotis, in Calicem S. Sanguinis decidat, ubi frangi non poteſt; nemo dicet, tunc verum non eſſe Sacrificium. *Ergo* &c.

320 Prob. III. Pars. Valet Sacrificium, ubi nulla fit Hoſtiæ diſtributio ut evidens eſt in Miſſis privatis: ſecus Fructus Sacrificii dependeret a Devotione Laicorum, qui cum libere a communicando abſtinere queant, Sacerdotem Fructu, & Sacrificium Valore deſtituere poſſent: quod eſt falſum. Aliunde etiam ſine Diſtributione omnia habentur ad Eſſentiam Sacrificii neceſſaria. Ergo &c.

321 Prob. IV. Pars. De fide eſt, Christum dum Euchariſtiam inſtituit, obtuliſſe Sacrificium; atqui non eſt de fide, quod etiam ſumpſerit; quamvis bene multi Theologi ut probabile, aſſerant: ergo ſumptio ad Eſſentiam non pertinet, cum abſolute potuerit abeſſe. 2. Tota Ratio Adverſariorum eſt, quod ad Sacrificium requiratur *realis Rei oblatæ deſtructio.* Atqui hoc falſum eſt, ut patet in Sacrificio Capri emiſſarii, qui non occidebatur,

ſed

ſed in Deſertum abigebatur. Sufficit ergo Immutatio *myſtica*, ut mox dicam. 3. Sumptio Euchariſtiæ eſt Immutatio ſolum localis, quæ ad Rationem Sacrificii non ſufficit. 4. Mutatio debet eſſe in Re oblata, ſeu in Corpore Chriſti: atqui hoc *realiter* immutari nequit. 5. Mutatio debet fieri in Altari: atqui abſumptio, ſive, concoctio, non perficitur in Altari, ſed poſt Miſſam, tempore quo Sacerdos jam ab Altari receſſit. 6. Si Sacerdos ſpecies evomeret, ſequeretur non perfici Sacrificium: quod eſt abſurdum.

Prob. V. Pars. Conſecratio *ſola* habet 322
omnia eſſentialia requiſita ad Rationem veri Sacrificii; eſt enim *Oblatio, externa*, Rei *ſenſibilis*; cum per Conſecrationem Corpus Chriſti ſiſtatur præſens, Patrique æterno offeratur, & quidem actione ſoli Sacerdoti propria. Adeſt quoque *Immutatio myſtica*; cum enim Vi Verborum Sanguis ponatur ſine Corpore; Corpus Chriſti myſtice immutatur, & Sanguis quaſi ab eo ſeparatur. Hinc Patres nonnulli verba Conſecrationis *myſticum gladium* appellarunt. Cetera patent examinando Definitionem. Accedit Authoritas D. Thomæ III. Part. q. 82. a. IV. ad I. docentis: „ Conſecratio Chriſmatis, vel „ cujuscunque alterius materiæ, non eſt Sa„ crificium, ſicut Conſecratio Euchariſtiæ. „ Ergo Sacrificium in Conſecratione conſiſtere ſupponit. Idem colligitur ex Canone Miſſæ; nam poſt Conſecrationem orat Sa-

cerdos: *Supra quæ propitio ac ſereno Vultu reſpicere digneris*, ut Sacrificium peractum ſit acceptum, ut idem S. Thomas obſervat Art. 4.

323 Objic. contra IV. & V. Partem. D. Thomas 2. 2. q. 85. a. 3. ad 3. „ Sacrificia „ proprie dicuntur, quando circa res Deo „ oblatas aliquid fit, ſicut quod animalia „ occidebantur & comburebantur, quod „ Panis frangitur & comeditur. „ Ergo *ſumptio* efficit propriam rationem Sacrificii.

Resp. Probat nimium; ſequitur enim, etiam Fractionem pertinere ad rationem Sacrificii, quod Adverſarii negant. Sufficit ergo, ut aliquid fiat *myſtice* circa rem oblatam, quod fit in Conſecratione.

324 Objic. II. S. Augustinus Lib. XVII. de Civit. Dei cap. V. „ Manducare Panem, „ eſt in novo Teſtamento Sacrificium Chri„ ſtianorum. „ Item: „ Cum Sanguis de „ Calice in ora fidelium funditur, quid aliud „ quam Dominici Corporis in Cruce immo„ latio deſignatur? „ Ergo &c.

Resp. Auguſtinus loquitur de totali & integra Actione Liturgiæ, ad quam utique ſumptio requiritur, tanquam pars integralis. Alter textus non eſt ad Rem; probaret enim, ſumptionem Fidelium, ſeu, diſtributionem, conſtituere Eſſentiam Sacrificii, quod falſum eſſe colligitur ex eo, quia Actio Sacrificii propria non niſi a Sacerdote fieri

fieri poteſt: quis autem Catholicorum fideles ſingulos Sacerdotes dixerit?

Objic. III. Concilium Toletanum XII. 325
can. V. „ Quale erit Sacrificium, cujus nec „ ipſe Sacrificans particeps eſſe dignoſci- „ tur? „ Ergo.

Resp. Loquitur Concilium de Integritate Sacrificii, ad quam adeo neceſſaria eſt ſumptio, ut, ſi ſacrificans quocunque caſu non ſumeret, alius Sacerdos, etiam non jejunus, ſumptione Integritatem ſupplere deberet.

Objic. IV. Feria VI. Paraſceve, & die- 326
bus Jejuniorum, in Græca Eccleſia ubi celebrantur Miſſæ Præſanctificatorum, habetur verum Sacrificium per ſolam ſumptionem ſine Conſecratione, quæ præceſſerat Die præterita. Ergo.

Resp. Nego, in Paraſceve, & in Miſſis *Præſanctificatorum*, offerri Sacrificium, Defectu Conſecrationis, quæ eſt Eſſentia Sacrificii Miſſæ.

Quod attinet *Valorem*, ſeu, *Fructum* Sa- 327
crificii, eſt ille *infinitus*, tam *in*- quam *extenſive*, etſi quoad actualem applicationem, ſeu, in Actu ſecundo ſit finitus.

Valor, & Dignitas Sacrificii *in ſe* deſumitur a Dignitate rei oblatæ: ſicut Valor Satisfactionis a ſatisfaciente: Atqui res oblata, eſt infinita, cum ſit ipſe Chriſtus. *Alterum*,

terum, finito tantummodo applicari, probatur. Effectus Sacrificii est Remissio Peccatorum mortalium & venialium: atqui hæc non potest esse infinita; mortalia enim destruuntur per gratiam, quæ nequit esse infinita. Venialia dimittuntur per Augmentum Charitatis, quod itidem nequit esse infinitum. Hinc etiam patet, cur Sacerdos non possit pro uno Sacrificio accipere plura Stipendia; quia etsi *in se* sit infinitum, in actuali tamen applicatione pro Numero Subjectorum Fructus decrescit. Sicut etiam Merita CHRISTI, in *se* infinita, finito solum modo nobis actu applicantur. Cum autem Sacrificio Missæ non solum culpa, sed etiam Pœna temporalis remittatur; hinc facile colligitur, utiliter illud applicari pro mortuis, ut a Peccatis, seu, Pœnis solvantur, uti definivit Concilium TRIDENTINUM Sess. XXII. can. III. Remissionem autem Peccatorum quoad Reatum Culpæ, non fieri *immediate* per Sacrificium, sed *mediate*, quatenus Sacrificium *ex opere operato* confert gratiam, qua fit conversio ad Deum &c. jam alias observatum fuit.

I. O. G. D.

Scholliner, Hermann, 1722-1795

P. Hermanni Scholliner, Benedictini Oberaltacensis, Ss. Theol. Doctor. ...
Praelectiones Theologicae in XII. Tomos divisae, ...

Bd.: 10

Augustae Vindel. ; Oeniponti 1769

Dogm. 895-10
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10399416-8
VD18 80212328